BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
36 B
33

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
21. e

10-D-44

10.4.56.

10
D
63

Digitized by Google

Digitized by Google

Petri Antonij Beuter VALENTINI SACRAE THEOLOGIAE PROFESSORIS, Prothonotarij Apoſtolici Annotationes Decem ad Sacram Scripturam.

De ordine librorum ſanctorum apud Synagogam, & Eccleſiam 1.
Qui libri ſunt Canonici 2.
Quomodo Eccleſia ſuſcepit quos non ſuſceperat Synagoga 3.
Quomodo Eccleſia mutauit ordinem Synagogæ 4.
De libris deſideratis 5.
De Autoribus librorum Sanctorum 6.
De multiplici ſenſu Sacræ Scripturæ 7.
De clauibus Sacræ Scripturæ decem 8.
De Translatoribus Sacræ Scripturæ. 9.
An vulgata editio ſit Hieronymi 10.

VALENTIAE,
Per Ioannem Mey Flandrum.
1547.

IOAN. BAPTISTAE AGNESII VAlentini Sacerdotis & Theologi planè erudiſſimi, in laudem Annotationum Sacræ Scripturæ: inq; laudem Autoris.

Corpore quòd paruus, ne temnas lector agellum.
Corpore ſub paruo grandia ſæpe latent.
Eſt multus nè Adamas? moles non magna Pyropi?
At precio ſuperant grandia ſaxa ſuo.
Sextante obrizi eſt centußis utilior æris,
Qualis, non quanta eſt res tibi quæq; uide.
Theſaurum paruo hoc magnum ſi ſobrius aruo
Perquiris: magnas inuenies & opes.
Sacri quot libri, quis & ordo, qui'ue probati,
Illorum autores qui'ue fuêre. ſcies
Multiplicem ſacræ ſcripturæ deniq; ſenſum,
Illius & claues noueris eſſe decem.
Noueris & fuerint qui traduxere pelaſgo
Ore ſenes. Latio cuius & ore ſonat.
Vulgata æditio tua ſit'ne Hieronyme norit,
Eſt tua, ſint ſcioli qui licet iſta negent.
Omnia Beuterius ſtudio docet ecce ſagaci.
Omnis cui debet ſe ſtudioſa phalanx.
Inclyta quin illi ſe noſtra Valentia debet.
Claram nam ſtudijs reddidit ille ſuis.

NOBILIBVS AC PERINDE REVERENDIS DOMInis D. Canonicis Metropolytanæ Eccleſiæ Valentinæ, Petrus Antonius Beuter. S.

VESTRA intereſt Nobiles ac Reuerendi Domini, ſegniter an uigilanter res literaria agatur. quippe Alexander. P P. V I. è noſtra Valentia oriundus, erigens Valentinũ hoc noſtrum Gymnaſium, ueſtræ cõmiſſum curæ eſſe uoluit, conſeruatoresq́; eius uos deſignauit, non tam ad coercendas foris infeſtantiũ hominum iniurias, quàm intus ad promouendas bonas literas. Quòd ſi hactenus ab exordio huius Academiæ adhibenda fuit cura ad huiuſmodi negocium, hiſce diebus maximè adhibetur, repubeſcente deſyderio bonarum literarum, aſpirante integerrimo Præſule. D. Fratre Thoma à Villa Noua, Archiepiſcopo noſtro, qui tacite librans omnia proſpicit. Nec Scholaſtica damnamus exercitia neothericorum doctorum, quum ſciam quos tumultus commouit infœliciſſimos in Germania ignorantia Scholaſticarum diſciplinarum. Sed quòd agnoſcam cum exercitio Scholaſtico, neceſſariam linguarum notitiam ad Sacras literas perluſtrandas, aut ſaltim eorum

autorum qui linguas nouerint commentariorum familiaris conſultatio. Quis enim Pſal. 44. non hærebit, caſu nominatiuo an Vocatiuo dicatur. Propterea unxit te Deus Deus tuus, oleo lætitiæ. &c. Quis item Pſal. 9. Inimici defecerũt frameæ in finem. dicatur frameæ Nominatiuo plurali, an ſingulari Datiuo Genitiuóue, non feretur in anceps? & ſimilibus innumeris locis. Præterea, quæ turpior nota, quæúe maior labes, quàm concionatorem ſacrorum Bibliorum eſſe ignarum? Quapropter, quum iam in uſum uenerint & Græca & Hebraica lingua in noſtram ſcholam, uolui ſtudioſæ noſtræ iuuentuti conſulere, ut exactis Scholaſticorum doctorũ tractatibus, quatuor illis Sentẽtiarum libris inſertis, pateat aliquantiſper ad ſacratiores literas aditus, certè minus difficilis ſit ad Bibliorum ſanctorum intellectum, methodus. Coëgi in codicillum unum, quicquid mihi ad hanc rem, uel de induſtria quærenti, uel fortuitò dum aliud agerem, contigit adnotaſſe, in quo bona pars ætatis meæ inſumpta eſt. Et quum iſagogicũ ſit, placuit pro priore nomine Adnotationes, nominare, ad ſacram ſcripturam. Quumq́; frugi eſſe ſperem iuuentuti in diſciplinis ſcholaſticis probè eruditæ, nolui mihi ſoli laboraſſe: ſtatui in medium proferre, expeririq́; genij mei expectationem. Vtrum reuera in publicam utilitatem inſudaſſem, an fefelliſſet mea me philaphtia. Sed quum Plato, in ſua illa de legibus inſtitutione diuina, inter prima commemoret, præſcribi oportere in omni Republi. caueriq́; ne cui liceat, quæ cõpóſuerit, priuatim oſtendere, aut in uſum publicum edere, antequam

ea conſtituti ſuper id iudices uiderint, nec dannauerint (utinã habita fuiſſet hæc lex in Germania & alibi. Neq; enim tam multi ſcripſiſſent, neq; tam pauci bonas literas diſcerent. nunc & copia malorum librorum offundimur, & amiſſis grauibus atq; probatis autoribus, plebeios conſectamur) conſului Antiſtitem noſtrum, eoq; autore calcographo imprimendum commiſi. Quumq; ad umbilicum opuſculum deduxiſſem, hæſitaui cui dicarem illud. Siquidem & inoleuit uſus ueteri conſuetudine, literarum lucubrationes dicandi Regibus ac Principibus uiris, pro dignitate ſcientiarũ ac excellentia. Volueram & olim Carolo Imperatori feliciſſimo, deq; Chriſtianæ Republica benè merito, Regiq; noſtro dicare. uolueram & Philippo Inclyto Principi noſtro, Curias impræſentiarum apud Montemſonum Regnis Aragonum celebranti. Nam & ad Commodũ Cæſarem ſcripſit Iulius Pollux de Grammatica: ſcripſit & ad Auguſtum Vitruuius de Architectura: Oppianus ad Antoninum de piſcibus: Diophanes ad Deiotarum Regem de Agricultura. Quid autem moror recenſens uetera? Si humana dicare principibus honeſtum eſt, quanto magis res illis diuinas dicare phas erit? At præpeditis nunc Principibus noſtris armis uictricibus contra Lutheranos, & forenſibus curiarum negotij, ad Eccleſiam quæ me aluit conuerſus ſum. Sit hoc teſtimonium meæ in eam obſeruantiæ. Mouit autem me Iuridicum uir præſignis Franciſcus Ioannes Benauent in utroq; Iure clariſſimus, qui innumeris licet negocijs obrutus, ad ſacras lectiones anhelans, inſtituit ordinariam de Diui

Pauli Epiſtolis lectionem in Eccleſia noſtra, annuos cenſus conſtituens: ſuffuraturus horulas forenſibus occupationibus, ut lectioni diuinæ indulgeret uir pius. Habeat igitur lectio illa uel hanc præparationē præambulam. Erit utrūq; ad Eccleſiæ noſtræ ornatū, quamuis aliàs ſit ſatis illuſtris. Quid enim ante Maurorū illuuiem celebres Epiſcopos Valentinos, Eutropiū, Iuſtinianū, Geneſium & alios multos recenſeam? Quid poſt reuocatam ad Chriſtum Valentiam, Raymundum de Sponte Dominicanū prius doctorem celeberrimum Theologum & utroq; iure cui Vienneſi conſilio data fuit cum duobus alijs autoritas omnia concludendi. Quid Vgonem de Bages, Vgonem à Fenollet ac alios Epiſcopos Valentinos. Quid Ioannē Periz ac Iacobū eiuſdem cognominis inſignes ſcriptis, Franciſcum Stanya adhuc ſuperſtitem apud nos Pontificalia exercētes Epiſcopos Chriſtinopolytanos. Quid etiam doctiſsimos uiros Canonicos Eccleſiæ noſtræ, Figuerolam, Pertuſam, Bouem, Vincentiū Clementem, Conill, Martinū Ignegum. Quid titulatos in Eccleſia noſtra, Michaëlem Aragoneſiū, illuſtremq; Ioannem Baiarrium, Ioannem Buxum, Andream Limos, Ioannem Salam, Daguinum Luliſtam, Ioannem Porta, & ex Carmelitis Petrum Stanya, omnes contemporaneos doctores inſignes. Atq; ne noſtros omnino prætercam magiſtros & condiſcipulos, Andream Strancam non ſatis laudatum uirum, Andream Ferranum concionatorem celeberrimum, Thomam Regium Doctorem grauem omni cenſura maturum, Ioannem Baptiſtam Agneſium totius diuinæ ſcripturæ inde-

ræ indefeſſum indagatorem, Lodouicum Sabateriũ facundiſsimum cõcionatorem, illuſtremq́; noſtrum & Theologorũ multorũ altorem, Ioannemq́; à Celaia Pariſienſem doctorem eximiũ Academiæ noſtræ Gymnaſiarcham: omnes ſumma quidem laude dignos, non regni modo huius, ſed totius Hyſpaniæ unicum ornamentũ: quorum nominibus noſtra ſacra Metropolytana ædes inſignitur. Nec minoris quidem ſunt laudis intra ambitũ urbis noſtræ, qui Eccleſiã Valentinam condecorant cum primis Ioannes Miconius Dominicorum ſpecimen, Hieronymus Periz Fratrũ Diuæ Virginis Redemptionis captiuorũ Commendatarius Valentinus Doctor exercitatiſſimus. At quid reliquos dignos omni laudum elogio memorem? Tam breui itaq; carta ſinguli ſuis meritorum coloribus nec à Demoſthene depingi poſſunt. Sit ſatis pauculos annotaſſe potius quàm laudaſſe: inter quos & noſter labor pro uirili offert quod poteſt. Veſtrum erit Patres ac Domini, boni conſulere pium hunc animi mei uotum, iuuareq́; rem literariam: ſanctaq́; ſimultate alter alterum præuenire in promouenda uirtute, quo & animabus ueſtris conſulatis, & officijs dignè uicem, expectationi populi reddatis. Det autem Spiritus ſanctus idipſum ſapere in beneplacito ſuo. Amen. E Muſeo noſtro Valentiæ Idibus Octobris.

Anno.

1547.

✠ 4 TABV

TABVLA INSIGNIVM RERVM QVAE HOC LIBRO continentur.

A

Accentus mutat nominis ſignificationẽ.fo.133.
Adnotata fuerunt multa in lege. 176.
Apoſtoli Iudæorum,12.Gentilium duo. 147.
Vltra perſonam Apoſtoli requiritur aſſiſtentia ſpiritus ſancti. 32.
Apices Hebraici quando inuenti. 209.
Apochryphi libri,tertius & quartus Hezræ. 31.
Refert dicere apochryphus eſt liber,aut nil veri continet. 32.
Apochryphi libri Iudęis. 6.
Articuli fidei probantur ex Euangelijs. 36.
Arrij error vnde cœperit. 157.
Argumentatio à literis frigida. 167.
Aſtrologi non ſunt prophetæ. 40.
Audacia temeraria Iudæorum neotericorum 187.
Athenarum Biblioteca ad Perſas translata,& rurſus relata Athenas. 93.
Autores librorum legis iuxta Hebræos 87.
Autores librorum ſanctorum iuxta Chriſtianos. 90.
Autor Pſalmorum quis. 94.
Autor Gloſę ordinarię quis. 23.
Arguitur falſitatis liber Canonum Apoſtolorum. 29.
Autores minus Principales ſcripturę. 35.

B

Babtiſmi celebritas vbi cępta. 35.202.
Barnabæ à Paulo diſceſſio. 124.

C.

Cantilenę vulgares apud Hebræos. 171.
Cabaliſtarum traditio de duplici lege, verbo & ſcripto. 176.
Canon primus ſacrorum voluminum ab Hezra deſignatus. 180.
Cathedram ligneam inſtituit Hezras ad vſum ſcribarum. 182.
Codices ſacros vndiq; comparauit Nehemias. 180.
Choros cantantium qui diuiſerunt. 202.
Condiderūt Iudęi leges iniquas, iuxta errores ſuos. 195.
Cęci Iudęi in ſcripturarum notitia. 194.
Conſilium Apoſtolorū ſuper ceſſatione legallium. 122.
Corruptę. 4. modis ſcripturę à modernis Iudæis. 187.
Clades maxima librorum Chriſtianorum. 115.
Conſilium Ferrarienſe ſub Eugenio. PP. 37.
Claſſes librorum ſanctorum apud Iudæos, tres. 3. 7.
Canones Apoſtolorum quot fuerunt. 26.
Claſſes veteris teſtamenti apud Chriſtianos. 8. 9.
Claſſes noui Teſtamenti quatuor. 10. 11. 13.
Cabaliſtarum duę regulę. 99.
Codices Latini in qbus ſint Græcis correctiores. 164.
Codices plures ab Eccleſia damnati. 80.
Captura Regis Francię Franciſci apud Ticinum prædicta. 41.

D

Deſiderati libri hyſtoriales. 77.
Deſiderati prophetarum. 79.
Differunt De & Ex. 37.
Diuerſę citatiões eiuſdē loci apud doctores vnde. 204.
Decor & ornatus Miſſę quando cępit & vbi. 202.
Dictio pro dictione ponitur in ſcriptura. 163.

E.

Hebręi in Aegypto habuerunt ſcripturas 168
Eccleſia nõ omnia ab initio determinauit, circa fidem ſacramenta, mores, & regulas. 27. 28.
Excuſat Hieronymum Driedon, & non bene 33.
Aptior excuſatio Hieronymi. 34.
In Euangelijs fidei fundamentum eſt 34.
Euangeliorum excellentia 36
De Epiſtola Pauli ad Laodicenſes. 11. 80
Euangeliorum multi ſcriptores 80
Epiſtolarum Pauli ſubſcriptiones 120
Exedra in Templo ad codices legis ſeruandos 177
Editio Septuag. ſeruata in Templo Serapis Alexandriæ. 185
Errores varij Iudæorum 194
Editio.2.Aquilæ. 198. Tertia. 199. Quarta. &c. 200
Eccleſię quãdo diſtributę in Epiſcopatus varios 203
Editio Pſalterij quę in vſu eſt, Luciani eſt. 203
Exaplarum vſus quando introductus in Eccleſia 204
Error Iudęorum de ſpiritu prophetię pro libito dato Prophetis. 3.
Epiſtolæ Pauli præcedunt Actus Apoſtolorum 12
Error literæ Gloſatoris Decreti. 25
Eccleſia ſuſcepit libros quos repudiarat Synagoga 34
Eccleſia plus intellexit libros Synagogæ, q̃ ipſa 48.
Eccleſia mutauit ordinem librorum 65.
Errorem volentes emendare, faciunt quandoque errorem. 162.

F.

Fatales anni qui 146
Franciſci Regis Franciæ captura prophetata. 41
Fractio primarum tabularum prophetica 46

Fluctua

Fluctuatio varia legis & librorum iuxta tempora. 171
Fœdus & pactum Domini quod. 175.

G.

Geſta Pauli non omnia Lucas ſcripſit. 119
Gradus prophetiæ in excellentia 43
Gentiles à Iudæis mutuati ſunt tutelarem Deum 39
Gradus diuerſi prophetiæ notabiles. 37.

H.

Hebræi cur non ſcripſerunt hymnum trium puerorum & Suſannę hyſtoriam 93
Hezras legē diuiſit, & libros quinq; noīauit. fo. 1. 179
Hæreſis Luterana prędicta ante multos annos 41
Hezras non omnes libros reſtituit 113
Hebræi nomina pro nominibus ponunt 99
Hezras autor nouarum literarum 92
Scripſit etiam in lege, quæ videbantur oportuna 179
Quare diuiſit legem in libros quinq; tantum 180
Quare legis capitula ſic diſtinxit 180
Inſtituit lectiones in ſabbatis 182
Hieronymi labores in editionibus ſcripturarum 205
Quos libros ſcripturæ pluries traduxit 209
Hierony. quandoq; omnes interpretes emulatur. 219.

I.

Incluſus liber legis intra parietem, quando. 172
Interpres primus Latinus, quis. 203
Immutationes Textus quædam ante Chriſtum tollerabiles. 197
Iudæi libros habebant legis, in quibus ſtudebant 170
Iſidori prophetiæ. Brigittæ. & Petri Heremitæ 86
Iudæi Hyſpani noluerunt aſcendere ad ſęcundam domum. 88.
Iudęi ducti in Hyſpaniā per Adrianū Cęſarem. 89
Interpres Matthęi quis. 101.

Iudæi quas editiones ſequantur. 7.
Quas in Arabia ſectentur. 8.
Infulcimenta Theodotionis, quomodo ſtent. 63.

L.

Literæ fuerunt ab initio. 113.
Literæ Hieroglyphicę. 132.
Lutheri hæreſis prophetata à quodam Germano. 41.
Litera quandoq; ponitur pro litera in ſcriptura. 160.
Lectiones quæ à quibuſdam expunguntur, Bethſaida. Sic eum volo manere, Tollerabiles ſunt in Eccleſia. 163.166.
Qui libri ſunt Canonici. 13.
Quando recepti libri Macchabęorum ab Eccleſia. 17.
Libri Sapientię autor Philo ante Chriſtum natum. 23.
Libri Clementis reiecti propter errores immixtos. 29.
Libri.3.&.4.Hezræ, quare reijciantur. 31. 34.
Librum propheticum vt Synagoga reciperet, quid erat neceſſarium. 50.
Libros Thobię, Iudith & Maccha. quare recenſiores Iudæi repudient. 50.764.
Liber Pſalmorum, quare medius librorũ ſcripturę. 64.
Libri ſacri variè apud Iudęos leguntur. 72.
Libri ſanctorum multorum deſiderantur. 77.83.&c.
Libri in canone citati non omnes canonici ſunt. 82.
Liber Iiob primum ſcriptus à Moſe. 169.
Lex ſcripta poſt Tabulas. 169.
Libri legis multiplicati ſecundum familias. 170.
Loqui facie ad faciem, quid. 39.
Liber Iudith Chaldaicè, Heſter verò Hebraicè quare ſcripti. 92.
Loca ſcripturæ aliquot, in quibus redundant particulæ. 101.
Libri legis perierunt Chaldaico incendio. 173.

Libros

Libros legis habebant Iudæi reduces ante aduentum Hezræ. 177.
Literas nouas inſtituit Hezras,reparans legem. 178.
Literæ Hebraicæ primæuæ decem tantũ numero. 178.
Literis exaratum quare dicatur quid. 179.
Lex Moyſi ab Hezra in codicis formam redacta. 180.

M.

Merlinus quis. Si fuit propheta. 40.
Menſium computatio duplex apud Hebræos. 60.
Marci Euangelium originale Venetijs ſeruatur. 117
M. clauſum in medio dictionis poſitum duobus tantum locis,propter quid. 5. 181
Mutatio non omnis in lege intollerabilis 196
Mutationes rerum periculoſæ. 220.
Matthæus qua lingua ſcripſit Euange. 96. 100.
Marranatha quid 98.
Multa intermixta textui Hebraico quæ non ſunt de textu. 101
Marcus ſcripſit Græcè & Latinè. 163
Multiplex myſtica ſignificatio 139
Moyſes continenter ſine librorũ diuiſione ſcripſit. 1.

N.

Nomen idem contraria ſignificat locis diuerſis 132.
Nomina Dei Septuaginta. 133.
Noe præſciuit ſacramentũ futurũ in pane & vino. 143
Noe irriſio quomodo. . 144
Numerus pro numero, tempus pro tempore, ſæpe in ſcriptura. 149
Nomina Hebraica quædam diuerſis literis poſſunt rectè ſcribi. 164
Nomina librorum ab Hezra & à Septuaginta. 1.

O.

Ordo librorum quem Iudæi hactenus ſeruant. 1.

Ordo

Ordo librorum Bibliꝫ apud Eccleſiam 8. 10.
Oraculum quid 34
Onias voluit complere prophetiam,& nõ potuit 44
Obſeruatus ſcripturꝫ modus cũ alijs circũſtantijs. 67
Obſeruanda in ſcriptura ſeries punctuationis & nota. 153. 159.
Orationes quꝫdam ſunt truncatꝫ in ſcriptura 168
Omne verum ab ſpiritu ſancto eſt. 34.

P.

Pentateuchus vtrum Græce fuerit verſus ante Perſarum regnum. 1.
Pronoſticum mirabile 41.
Prophetꝫ dꝫmonum qui 41
Prophetia quid ſit proprie 43
Multipliciter contingit prophetia 45
Multiplex prophetia 86
Mirabilis prophetia apud Saguntum 87
Pauli totius vitæ diſcurſus 121
Paulus venit in Hyſpaniam 128
Petrus quando & vbi ſcripſit 128
Prophetꝫ non omnes ſuarum prophetiarum ſenſus intellexerunt. 135.
Præponitur liber Sapientiæ Eccleſiaſtico, quare 21
Præponitur Abdiꝫ, liber Oſeꝫ quare 76
Abacuch quare prꝫponatur Sophoniꝫ 76
Prophetiæ vulgatæ. 86.
Pſalmi Crucis qui,& quare dicantur. 97
Papa omnium dubiorum deciſor 130
Pereunte Ieruſalem, non perierunt legis libri 174
Nec Moſes, nec Hezras punctuarunt ſcripturam 189
Punctorum inuentores 189
Prophetiæ comminatoriæ, & prænunciæ certi euentus. 86.

Q.

Q.

Quatuor ſenſus ſcripturæ aſſignati. 136.

R.

Reuelationes propheticæ, non ſemper ad omnes, nec omnibus factę. 47
Regulę Ticonij. 141
Raptus Pauli quando. 127
Reparare legem quomodo potuerit Hezras 173
Rabini legem peruerterunt & quare. 196
Ruſticus Valentinus prophetauit. 86.

S.

Spiritus ſanctus Eccleſiæ gubernator, non omnibus Pontificum actis aſſeſſor. 28
Scripturę ſecundum quid differunt per prius & poſterius. 35.
Scripturæ ſignatę quid 48
Scrupuli multiplices circa libros ſanctos. 96. &c.
Senſus multiplex in vno & eodem loco. 134. 136.
Nedum voces, ſed res ſignificant alias res 131
Differunt ſenſus literę & literalis. 131
Significationem dant circumſtantię 132
Senſum myſticũ non omnis locus ſcripturę habet. 137
Non eo quod ad mores pertinet ſenſus moralis eſt. 137
Senſus myſticus quis. 139
Solo literali ſenſu Epiſtolę Pauli continentur 137
Salomon & Acham intemperatiſſimi 150
Septem Pſalmi pœnitentiales. 147
Spiritus duplex ab Heliſeo petitus, quis. 82.
Scriptores Hebrę[i] ante Chriſtum natum. 84
Quis ſcripſerit libros ſanctos. 90. &c.
Solemne Iudęorum in Regum coronatione. 97
Sanctificatio templi in quo conſiſtebat. 175
Scripturę quando deprauatę. 192.

T.

Tabulæ duæ prima Iudęorum ſcriptura poſt Ægy-
ptum. 169
Tranſlatio prima legis in Chaldaicam linguam 182
Tranſlationes diuerſæ. 183. &c.
Quo tempore tranſtulerunt Septuaginta, & à quibus
accepta editio. 168.
Thalmuth conditum quando. 192
Quo tempore ſcripſerunt ſancti. 166. &c.

V.

Qui fuerunt vocati çofrim. 188.
Verba Pſalmi trigeſimi quare non habentur Hebraiⷺ
cè, ſicut Pſalmi. 21. in verbis Domini in cruce. 100.

Errata aliquot ſententiam inuertentia.

Fol. 31. Pag. 1. verſ. 17. lege. rę. 1. Item. 4. Hezrę. 7.
verſ. penult. leg. aſſumunt libri. 3. 4. Hezræ.
fo. 34. pag. 1. verſ. 9. leg. Certè deferimus.
fo. 44. pag. 1. verſ. 19. leg. in vtroq; ſexu fertur etiam.
fo. 57. pag. 1. verſ. 17. leg. non erant perſuadendi.
fol. 61. pag. 1. verſ. 8. leg. ziu. verſ. 10. kęęleu. verſ. 15. Thi
ſier. verſ. 24. Anmarſuane.
fol. 61. pag. 2. verſ. 17. leg. ſeruare Hieremiam vbicunq;
inueniretur. Dele. in carceribus trudendum.
fol. 96. pag. 2. ver. 17. leg. translatore.
fol. 198. pag. 1. verſ. 6. leg. 11. in editione.

ORDO LIBRORVM VETERIS TESTAMENTI, QVEM Iudæi hactenus ſeruant.

PRIMVM locum Thorah tenet, Thorah, lex dicitur, vt habetur Deut.33.A. Thorah, id eſt, legem præcepit nobis Moyſes. *Claſſis prima. Thorah.*

Hæc dicitur Homas ab Hebręis: Homas, id eſt, quinarius, vel hames, id eſt, quinque. Græcè πεντάτευχος. Pentateuchus Latinis. *Pentateuchus.*

Sunt hæc nomina quinarij, propter diuiſionem factam à Hezra in libros quinque, quũ Moſes vnico volumine cõtinuo, ſine aliqua diuiſione capitulorũ ſcripſerit, pluribus cartis adinuicem cõſutis, quo poſſent capere tantam ſcripturam: vti vſque nunc oſtentant Iudæi in Synagogis ſuis. *Ezras diuiſit ſcripturam Moyſi.*

Libris iſtis quinque, indita ſunt nomina ab initijs ſuis apud Iudęos, vt Hieronymus ait in Hebraicis quæſtionibus ſuper Geneſim, quemadmodum Pſalmi à ſuis principijs ſoliti ſunt nominari, citarique apud eos, & etiam apud nos, ex vſu priſcorum vt dicatur: Hoc continetur in Pſalmo Miſerere mei, primo, vel ſecũdo, vel in pſalmo Quare fremuerũt *Nomina librorũ ab Ezra. Hierõn in q Heb. ſuper Gene. ſtatim in principio.*

A gentes

gentes,&c. Apud Græcos autem,ſecundũ materias quæ tractantur in eis,nominantur, ſicuti Septuaginta interpretes,primũ libros eos tranſferentes in Græcum, nominauerũt, myſteria multa occultantes.vt Hieronymus ait vbi ſup. Fortaſſis enim & in illis nominibus quibus apud Hebræos vulgò nominantur, energia quæpiam eſt ſignificati myſterij, quod manifeſtare noluerunt gentili Regi: ideoq; impoſuerunt libris illis nomina ſecundum materias rerum, quas tractant.

Nomina librorũ à Septuaginta.

Adde quòd ſcripturi contra philoſophorum gentiliũ errorem, de mundi æternitate, voluerunt ſtatim in titulo primi libri, eis inſinuare, mundum aliquando cœpiſſe, contra quàm ipſi opinarentur.

Euſebius.

Quod autem Euſebius ait, ante Alexandrum Magnum, anteq; Perſarũ regnum, iam olim verſum fuiſſe Pentateuchum græcè, id neq; Auguſtino Eugubino videtur credibile, neq; mihi rationi conſonum: Niſi error ſit in litera Euſebij, vt pro Chaldaicè legatur Græcè. Siquidem notũ eſt interpretationem Chaldaicã (quam etiã nũc religioſe ſuſcipiũt Iudæi) multo tẽpore præceſſiſſe Græcam Septuaginta trãslationẽ: ſed de hoc latius infra.

Quod

Quod ſi Philo in lib. ſuo de Mundo refert Moſen ipſum, librũ ſuum omniũ quinꝙ primum, inſcripſiſſe Geneſim, id ego crediderim non ideo à Philone dictum, vt tenaciter mordaciter'ue opinetur ab ipſo Moſe ſic denominatum librũ ipſum: quum perſpicuũ ſit ab ipſo Moſe diuiſum opus ſuum in ſectiones illas librorũ quinꝙ minimè fuiſſe: ſed exiſtimo ideo dixiſſe vt intelligatur, ſic à Moſe narrationem illius libri exorſam, vt nomen Geneſis meruerit, vti poſtea tributum fuit ei à Septuaginta. Philo.

Sunt igitur Hebraica nomina ipſius Thorah, ſecundum Homas, id eſt, quinariam diuiſionẽ eius, hæc. Bereſith, id eſt, In principio. Incipit liber hic à creatione mundi: proſequitur vſꝙ ad deſcẽſum in Aegyptũ ipſius Iahacob & familiæ ſuæ, terminatur in obitũ Ioſeph, per annos bis mille tercẽtos & octo. Bereſith.

Apud Græcos nominatur Geneſis, ſecundum materiam quam agit. De generatione videlicet, & principio mundi, humanæꝗ naturæ. Idemꝗ nomen manet apud nos. γένεσις.

Elleſmoth, vel Velleſemoth, id eſt, Et hæc ſunt nomina. Habet liber hic Seruitutẽ, Exitum, Legem, Tabernaculum populi Iſraëliti- Velleſemoth.

ci erectũ, per annos centũ quadraginta ſex.

ἔξοδος. Apud Græcos nominatur Exodus, id eſt, viæ: qa ibi de egreſſu populi ab Aegypto agi tur, & de his quæ in itinere euenerũt. Perma net etiam nomen Græcum apud nos.

Vaiechra, id eſt, Et appellauit. Cõtinet ſa crificia, & ſacra quædam, per menſem tantum λευιτικὸς. vnũ. Apud Grȩcos Leuiticu, à Leui aſſum pto nomine: quia de miniſterio gentis eius tri bus agit. Apud nos quoque Leuiticus no minatur nomine Græco, quũ Latinè debuiſ ſet nominari, Offertorius, vel ſacrificatorius, vt hyſto. Scolaſt. cap. 1. ſuper Leuit.

Vaidaber, id eſt, Et loquutus eſt, vel ſecun dum alios, Bemidbar Cynai, id eſt, in deſer to Cyna. Habet hic liber adnumerationẽ po puli Iſraëlitici, & pugnas eius, per annos tri ἀριθμοί. ginta nouem. Apud Græcos Arithmi ſecun dum materiam vocandus. Apud nos Nu meri Latinè, in genitiuo, ſingularis numeri: quia de numeratiõe agit populi, tam ſeruien tis munijs, quàm liberi: qui propterea immu nis dicebatur.

Elle addebarim, id eſt, Hæc ſunt verba. Ha bet ſecundo legem, obſeruantijs multiplica tis. Apud Græcos vocatur Dephtȩrono

mion,

mion, id eſt, Secunda lex, propter repetitionem legis: & propter myſteria reſpiciẽtia venturam aliam legem à Meſſiah legislatore expectato, per duos vltimos menſes anni quadrageſimi ab egreſſu ex Aegypto.

Placet Latinis huius nominis inſinuatio, vocaturq́ nomine Græco Deuteronomiũ, Conſtat autem in Hebraico liber hic Exametris ac Pentametris verſibus, vti Ioſephus & Origenes ſcribunt, & beatus Hieronymus in Prologo ſuper Iiob, & in Proemio ſuper Chronicon Euſebij.

Hæc omnia Thorah, & Homes, Lex & Pentateuchus, continens hyſtoriam annorum bis mĩllium quadringentorum nonaginta quatuor. 2494

SEcundum locũ Mikra tenent apud Iudæos, id eſt, Legenda ſancta, per anthonomaſiam, quum propriè dicantur Neuijm, id eſt, prophetales: quia continentur in eis libris Meſſiah aduentus, mundi redemptio, ſtatusq́ rerum futurus. Secunda claſsis. μικρα. Prophetę

Hi libri ſunt numero octo, videlicet, Iehoſuah, aliàs Ioſue. Sophthim, qui & Iudicum. Semuel, qui primus & ſecundus Regũ. Malachim, qui tertius & quartus Regum eſt. Prophetarũ priorũ libri. 4.

Hi libri priorum Prophetarum dicuntur.

Propheta rum poſteriorum libri 4.

Ieſahiah, qui & Iſaias, Irmeiahu, qui & Hieremias, Iechezchel, qui & Ezechiel. Tere aſar id eſt, duodecim prophetarum minorum, qui ſunt vti ſequuntur.

Duodecim prophetæ minores.

Hoſeah.	Oſe.
Iocl ben Patuel.	Ioël filius Patuel.
Hamos.	Amos.
Hobadiah, triſyllabū.	Abdias.
Ionah ben Amitay.	Ionas filius Amitay.
Michach Ammoraſti.	Micheas de Moraſti.
Nachum Haelqoſſi.	Naum Elcoſſi.
Chabacuc.	Abbacuc.
Sephania ben quuſſi.	Sophonias filius Cuſſi.
Zechariah, triſyllabū.	Zacharias.
Malachi.	Malachias.
Chaggai.	Aggeus.

Hi libri dicuntur ab Hebræis prophetarum poſteriorum.

Error Iudæorum.

Exiſtimant autē Iudæi omnes priores prophetas habuiſſe prophetiam quando voluerunt, quod de Moſe patet. De Ioſue quoq; dicūt conſtare Ioſue. 1. B. Sicut fui cum Moyſe, ita ero tecū. & Ioſue. 7. Statim oranti Ioſue oſtendit Deus quòd propter peccatū Achan de anathemate Hierico tollētis percuſſus fuerat po-

rat populus. De Samuele quoq; ſatis appare-
re.1.Reg.3.Cognouit vniuerſus Iſraël à Dan
vſq; Ber-ſabee, quòd fidelis Samuel propheta eſ-
ſet dñi. Itē.1.Reg.12. Inuocabo dñm,& dabit
voces & pluuias,&c. Poſteriores verò pro
phetæ nō ita pro libito quando voluerūt ha-
buerunt prophetias: ſed accidebat quandoq;
ſpiritus prophetiæ, non quærentibus: quan-
doq; quærentibus non dabatur. Qui autem
ſtudentes erant in prophetarū dictis, philoſo
phantes circa libros eorū, abſcondita in eis
ſecreta eruentes, filij prophetarū dicebantur.
Hæ ſunt Iudæorū traditiones: verum in eo
quòd primo dicūt, quòd omnes priores pro
phetæ habuerunt quando voluerūt prophe
tiæ ſpiritum, mentiuntur: conſtat enim auto-
rem libri Melachim nō ita ſemper habuiſſe,
vti poſtea latius oſtendetur.

Confutatio erroris.

TErtium locū amplectuntur Chetubin, id eſt, Scripturę. Per excellentiā quoq; poſt ordinem ſecundum: Græco tamē vocabulo Agiographa nominãtur. Sunt autē vndecim numero, videlicet. Ruth.

Claſsis tertia. Chetubin

αγιογραφα.

Tehillim, id eſt Pſalmorū. ψαλτειον. Pſalteriū.
Iiob. duplici Ii.
Misle, id eſt, Parabolæ. παροιμιαι. Prouerbia.

Coheleth, id eſt, congregatrix. εκκλησιασις. Eccleſiaſtes.

Sir haſſirim, id eſt, Canticum canticorum. ασμα ασματων.

Echah, id eſt, Quomodo: quia ſic incipit, vel Cinoth, id eſt, Lamentationes. θρηνοι. Threni.

Daniel.

Heſter.

Hezra, qui complectitur Nechemiam.

Dibrehaiamin. παραλειπομενων, id eſt, verba dierum. Paralipomenon Græce, id eſt, Supplementum Latine. & eſt liber duplex, primus & ſecundus.

Hic eſt elenchus librorum ſanctorũ apud Iudæos, ſicut Hieronymus ait in prologo ſuper Danielem, dicens. In tres ſiquidem partes, omnis ab eis (Iudęis) ſcriptura diuiditur, In legem, in Prophetas, & in Agiographa, id eſt, in quinq;, in octo, & in vndecim libros, de quo nõ eſt pręſentis negocij diſſerere. Hæc Hierony. Iuxta hunc ordinẽ videtur dixiſſe dñs Lucę 24. Oportet impleri om̃ia quæ ſcripta ſunt in Lege, Prophetis, & Pſalmis de me, vt ſcilicet diſtinctionem reſpexerit librorum ſanctorũ à Iudæis familiariter habitam, de legalibus, prophetalibus & agiographis. Licet

Luc.24.

Mat-

Matthæus Toring, in reſpõſione ad Burgenſem, ſuper principio Pſalmorũ hoc applicet ad materias diuerſe tractatas, videlicet, Agenda in lege. Euẽtura in prophetis. Laudes deo cantandas in pſalmis.

Sic igitur numerantur communiter ab Hebræis libri veteris legis quatuor & viginti: ſed quoniam liber Ruth à plæriſq; eorũ peritis non ſeiungitur à libro Iudicum, ſub quorum vno cõtigit eius hyſtoria: liber etiam Cynoth, cum prophetia Hieremiæ eius autore combinatur. Reſtringitur quandoq; ſanctorum librorũ numerus ad duos & viginti codices, ſecundum numerũ viginti duarũ literarum Hebraicarum. Sunt autem quinq; literæ duplices apud Hebræos, videlicet.
כ ך. מ ם. נ ן. פ ף. צ ץ. quibus reſpõdent ç. ç. ph. p. n. n. m. m. ch. c. nr̃æ Latinę literæ.

Vtuntur autem eis Hebręi quandoq; aliter in principio, vel medio: aliter in fine. vti מ ם. Nam hac nota מ, quæ tantundem valet ac. m. noſtrũ Latinũ, vtuntur in principio vel medio dictionis, & vocatur m apertũ: fortaſſis quia in eius prolatione aperitur oris figura. In fine autẽ dictionis vtũtur hac nota ם, habente poteſtatem literæ m: ſicut apud nos

literam, m. finalem ſupplemus per apicem, & quãdoq; litera.z.nunq̃ autẽ apud Hebręos inuenitur hęc litera.ם.in medio dictiõis Hebraicæ: niſi in locis dumtaxat duobus Eſaiæ, de quo infra: ſicuti &.z.litera noſtra (ſi modo noſtra eſt) nunquam in principio, vel medio dictionis poſita, vocem reddit.m.literæ. Vocatur autem apud Hebræos.m.clauſum: quia & figura eius quadrato clauſo figuratur: fortè etiam propterea ſic figurata, quia & oris figura in eius prolatione finali clauditur.

Quandoq; etiam aliter iſtis duplicibus caracteribus vtuntur Hebræi ad aſpirationem, vt in ך quæ valet quantum.ch. noſtrum: aliter ad exilitatem, vt in כ quę valet.c.noſtrũ. Quandoq; aliter ad preſſionem, vt in פ p.aliter ad lenitatem, vt in ף ph. Et ſic de alijs literis, quarũ ſecundum ſitum & poteſtatem diuerſus eſt vſus.

Ita quinq; libri duplices ſunt in ſcriptura ſancta, videlicet, Samuel duplex. Melachim quoq; duplex. Irmelahu, cum Cinoth, Hezra cum Nechemia, & Dibrehaiomin, id eſt, Para-

Hierony. lipomenon, vti ſup. dictum eſt. Sic Hieronymus ait in prologo Galeato ſuper lib. Regũ.

Ioſephus. Eiuſdem ſententiæ eſt Ioſephus lib. 1. cõtra Appio

Appionē Alexandrinū,ſic inquiēs.Sunt apud nos ſolūmodo duo & viginti libri,habentes temporis totius conſcriptionem,quorū iuſtè fides admittitur. Horū ergo, quinq; quidem ſunt Moſeos,qui natiuitates continent,& humanæ generationis traditionem habent:vſq; ad eius mortem.Hoc tempus de tribus millibus annis paululum minus eſt.A morte Moſeos vſq; ad Artaxerxem Perſarū regem, qui fuit poſt Xerxem,Prophetæ poſt Moſen,& quæ ſecundum nos ſunt geſta conſcripſerūt, in tredecim libris.Reliqui verò quatuor,hymnos in Deū: & vitæ humanę noſcūtur præcepta continere.Ab Artaxerxe verò,vſq; ad noſtrum tempus,ſingula quidem conſcripta, non tamen priori ſimili fide ſunt habita,eo q̄ nō fuerit certa ſucceſſio prophetarū.Hæc ille. Patet igitur quòd viginti duob⁹ libris cōprehendit Ioſephus libros canonicos ſynagogæ.

Apochriphi libri Iudæis.

Apochriphi autem libri,ſiue non canonici apud Hebræos,quiq; nuſquam extant apud ſynagogas neotericorū Iudæorū cura publica cuſtoditi. hi ſunt.

Confeſſio regis Manaſſes. Hæc apud nos

habetur

habetur in fine ſecundi lib. Paralipomenon.
Hezræ. tertius & quartus liber.
Thobiah. biſſyllabum.
Iehudith.
Sapientia. Eccleſiaſticus.
Oratio Salomonis.
Baruch propheta, qui ab ijs neq; legitur, neq; habetur: ideoq; à Hieronymo prętermittitur in prologo ſuper Hieremiam.
Epiſtola Hieremiæ. Hæc à nobis dicitur caput ſextum Baruch.
Oratio, ſeu canticum trium puerorum in camino ignis. Danielis. 3.
Hyſtoria Suſannæ. Danie. 13.
Hyſtoria Belis. Danie. 14. Hanc Hieronymus fabulam nominat.
Somnium Mardochæi. à cap. 10. Heſter, vſq; ad finem libri.
Macchabęorũ libri omnes quatuor, quorum duos nos Latinè habemus exaratos, Græci verò omnes quatuor Græcè.

Hæc igitur ſeries apud Iudæos librorum ſanctorum atq; nothorum.

Habent quoque Iudæi ad legendum libros receptos, notas diuerſas, quibus reſpondent diuerſi toni, in grauitate, acuitate, ſatyrico

rico pronunciationis modo, vt aliter legant, Thorah, aliter Neuijm, & aliter Chetuuim, & quidem diuerſitate multiplici hæc inter ſe: & ſicut apud nos diuerſis tonis decantantur Euangelia, Epiſtolæ, ſacræq; lectiones in Eccleſia, ſic Iudæis ſunt characteres diuerſi inter apices ſuos, ſignantes quis ſonus modusq; legendi ſit, cui aptetur ſcriptura: per hoc innuentes reſpectũ debitum tali lectioni ab auditoribus: ſed hoc in annotatione quarta latius agetur.

Arbitror autem oportunũ eſſe, poſtq̃ cępimus Iudæorũ libros adnotare, quas ſequantur editiones hic breuiter inſinuare, fortaſſis latius alibi proſecuturi. De ijs ſic habet Adrianus Finus Ferrarienſis: homo quidem rerũ huiuſmodi ſatis indefeſſus inueſtigator, in libro. 2. Flagelli ſui cõtra Iudęos. cap. 6. Habent Iudæi duplex ab antiquis ſacrarũ literarũ volumen, alterum quidem Hebraicis literis, ſiue characteribus, & oratione Hebraica: alterum Chaldæa oratione, ſed Hebraicis literis ſcriptum: & (vt teſtatur rabi Salomõ, & rabi Moyſes Aegyptius) Chaldæo textui nemo vnq̃ auſus eſt contradicere. Et hic textus Chaldaicus vocatur Targũ apud Hebræos. Vtriuſq; igitur

Adrianus Finus.

Duplex apud Iudęos volumen.

Targum.

igitur apud illos æqua autoritas, ſententia quoq; eadem: ſed quod in altero, ſcilicet Hebræo, breuius vel obſcurius eſt: in altero, ſcilicet Chaldęo ſæpe latius atq; clarius. Et hũc Chaldęum opinantur multi traductum fuiſſe per tres prophetas: nempe Aggeum, Zachariam, & Malachiam. Quòd ſi quis hoc in dubium vertat, eo quòd tranſlatio Chaldaica habeat etiam Zacharię prophetiam, quam nõ videretur habitura, ſi Zacharias autor eius fuiſſet interpres Targum: huic ſatiſfaciat hæc reſponſio, quòd Zacharias autor fuit ſuæ prophetiæ, & interpres: de quo latius infra.

Obiectio.

Reſponſio

Eſt etiam apud Iudæos interpretatio ſiue editio Chaldaica Ionathæ & Anquelon fratrum, filiorum Ozielis, traducta, ſecundũ aliquos, tempore deſtructionis ſecũdi Templi Hieroſolymitani. Et omnibus iſtis tribus fidem adhibent Iudæi maximam.

De Thalmud.

Habent inſuper duplex Thalmud, videlicet Babylonicum ac Hieroſolymitanũ, ſecundum quæ Iudaica Synagoga iam diu gubernatur, & maximè ſecũdum Babylonicum. Et quidem nõ rectè, ſed impiè: & ideo neutri iſtorum Thalmud fidem adhibẽt Chriſtiani, imò improbant meritò vtrunq;: quum ſupradictis

tribus

tribus primis etiã adhæreant Chriſtiani. Hęc ille. Veruntamen in eo quod Adrianus hic dicit de Ionatha & Anquelon fuiſſe fratres, & filios Ozielis, oportet fraternitatem hanc hoc modo intelligere: nempe fuiſſe ſecũdum gentem cognatos, quia reuera non fuerunt germani, nec potuerũt eſſe ambo filij Ozielis, vti infra quinta annotatione exponam. Ait etiam idem Adrianus lib. 5. eiuſdẽ Flag. cap. 4. quòd Cahadias Iudęus tranſtulit legem & vetus Teſtamentũ literis Arabicis. Et hæc tranſlatio pro tranſlatoris autoritate, legitur cõmuniter in partibus Africæ. Quomodo autẽ impiè mille mendis adimpleuerint perfidi Iudæi Textum ſacrum. & vbi. infra diſcutietur. & de his hactenus. Adrianus

SEQVITVR ORDO LIBRORVM VETERIS INSTRVMENti apud ſanctam matrem Eccleſiam.

ORDO LIBRORVM IN Biblijs vulgatis.

PRimum locum obtinet Lex, in libros quinq; diuiſa. Conſonat Hebræis. Claſsis prima.

Secundo ponũtur libri hyſtoriales, ſecundæ poſt Claſsis ſecunda.

dæ poſt primos autoritatis: ſunt numero decem & ſeptem: vt omnes hyſtoriales comprehendamus: licet non æquè ſint dignitatis.

Hi ſunt.

Ioſue.	1.	Paralip. ſecundus	9.
Iudicum	2.	Hezræ primus	10
Ruth	3.	Hezræ ſecundus	11
Regum primus	4.	Hic eſt Nehemias.	
Regū ſecundus	5.	Thobiæ	12
Regum tertius	6.	Iudith	13
Regum quartus	7.	Eſter.	14
Paralip. primus	8.	Iob	15.

Additi ſunt his libris, duo Macchabęorū, licet nō æquę dignitatis ac primi, & propterea ad vltimam claſſem poſiti poſt om̄es alios libros veteris Teſtamēti, immediatè ante noui Teſtamenti libros: quia non redundant eo ſpiritu quo cæteri: licet ex eis quoq; ſumatur fidei veritas, vti erit videre inferius. Et Rabanus allegoricè libros iſtos expoſuerit, ad ea quę ſub Antichriſto expectantur futura.

Claſsis tertia. In tertio loco ſunt libri Sapientiales, numero quinq;, videlicet. Prouerbia. Eccleſiaſtes. Sapientia. Cantica canticorum. Eccleſiaſticus.

Liber autem hic Eccleſiaſtici quū ſit apud

Hebræos

Hebræos priuatè, non ita appellatur nomine iſto: ſed Misle, ſiue parabole, aut Prouerbia: habetq́ ſubſequentes duos libros, dictos Ecclesiaſtes, & Cantica canticorũ, vt Hiero. refert in prologo ſuper Prouerbia.

IN quarto loco ponũtur prophetales, numero decem & octo libri. Hi ſunt: Claſsis quarta.

Pſalterium	1	Oſee	7	Naum	13
Eſaias	2	Ioel	8	Abacuch	14
Hieremias	3	Amos	9	Sophonias	15
Baruch	4	Abdias	10	Aggeus	16
Ezechiel	5	Ionas	11	Zacharias	17
Daniel	6	Micheas	12	Malachias	18

Hic ordo habebatur apud Hebræos tempore Hieronymi, in.12. prophetis, uti habetur in cõmentarijs ipſius Hiero. ſuper Ioel. ad Pammachiũ in proemio: licet apud.70. alius haberetur ordo, uidelicet: Oſee, Amos, Micheas, Ioel, Abdias, Ionas, Naum, Abacuch, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias.

Poſt hos omnes annumerantur libris hyſtorialibus, Macchabæorum libri.

Hæc quum ita quoq; habeantur à Hieronymo in prologo Galeato: tamẽ in prologo qui toti Bibliæ præponitur, incipiens, Frater Ambroſius, aliter habentur: nempe hoc quo ſequuntur ordine.

B Penta

Pentateuchus.	Eſaias.
Iiob.	Hieremias.
Ioſue.	Ezechiel.
Iudicum.	Daniel.
Ruth.	Dauidis Pſalterium.
Samuel.1.&.2.Reg.	Selomonis opera.
Malachim.3.&.4.Reg.	Eſther.
Duodecim prophetarum.	Paralipomenō duplex.
	Hezras & Nechemias.

Sed hoc nō obſtat: Nam hic Hieronymus non ſecundum librorū dignitatem, ſed ſecundum intelligendi difficultatem ordinat & annumerat: ne quis temerè huius diſciplinę ineruditus, in ſacram irruat ſcripturam, ingenij ſui virtute fretus, cōtra q̄ ſancta mater Eccleſia habet in vſu. Vnde Clemēs PP. Canone vltimo: & habetur. 37.d.cap. Relatum. ſic ait. Relatum nobis eſt, quòd quidam in veſtris partibus cōmorantes, aduerſantur ſacris doctrinis, & provt eis videtur, non ſecundū traditionem patrū, ſed iuxta ſuum ſenſum docere videntur. Et inf. Et ideo diligenter obſeruandum eſt, vt lex Dei quum legitur, non ſecundum proprij ingenij virtutem, vel intelligentiam legatur, vel doceatur. Hæc ibi. In tractatu autē quem idem Hierony. fecit de interpreta

pretatione Hebraicorũ nominũ, ponit Iiob poſt omnes libros veteris inſtrumenti, eo ꝙ liber hic ante legem conditus fuerit, populo adhuc in Aegypto degẽte ſub Pharaonis operibus duris, vt huius libri lectione conſolarentur, laboribus afflicti. Conſequenter liber hic quodammodo eſt extra legem.

Supereſt difficultas quædam ex dictis exoriens declaranda, quare Pſalteriũ inter libros Prophetales annumeratũ pręponatur Sapientialibus libris, poſitũ poſt hyſtoriales: ſed de hac infra.

SEQVITVR ORDO LIBRORVM NOVI TESTAMENTI.

PRIMVM locum Lex Noua, ſecundum Euangeliſtas quatuor, iuxta tempus quo ſcripſerunt, obtinet. Claſsis prima.

EVANGELIVM ſecundum Matthæum. 1
EVANGELIVM ſecundum Marcum 2
EVANGELIVM ſecundum Lucam 3
EVANGELIVM ſecundum Ioannem. 4.

Hæc omnia in primo loco religioſiſſimè ueneranda, ut nec ſine myſterio magno duplicetur dictio, uti eſt illud, Abba Pater. & illud Ephetah, uel Iphtah propriè; quod eſt, adaperire. & ſimilia.

Claſsis ſecunda. IN SECVNDO loco ſequũtur Epiſtolæ Paulinæ, quæ ſenſum recipiunt literalem ſolũ, per omnes fermè partes ſuas, vt Burgenſis inquit, prima additione prologi ad Bibliam: quamuis allegorias multas contineant ac dilucident. Et propterea ad ſecundam claſſem reſtringuntur, quum non abundent ſenſibus myſticis, ſed literalibus cõprobationibus ſtabiliant legis nouæ maieſtatem, quandoq; reſperſis perfunctoriè allegorijs. De Lege veteri Thorah ait dominus, non poſſe præteriri Iod vnum, aut apicem: innuens myſteriorum cumulum in ea. Quum ergo norint omnes Legem nouam multo præſtantiorem eſſe Lege veteri hinc ſequitur non ei deeſſe myſteria recondita in verbis ac ſenſibus: ſicq; animaduertendum eſt in litera textus Euangelici, ſenſus multiplices ſcaturire, & ad fidẽ & ad ſpem & ad mores quoq; pertinentes. De quo inf.

Sunt autem Pauli Epiſtolæ numero quatuordecim ab Eccleſia receptæ, videlicet.

Ad Romanos.	Ad Philippenſes.
Ad Corinthios 1	Ad Coloſſenſes.
Ad Corinthios 2	Ad Theſſalonicẽſes 1
Ad Galatas.	Ad Theſſalonicen. 2
Ad Epheſios.	Ad Timotheum 1

Ad

Ad Timotheum 2 Ad Philemonem.
Ad Titum. Ad Hebræos.

Creditur à quibuſdam quandam aliam Epiſtolam eſſe ad Laodicenſes, cuius meminiſſe uidetur in cap.4. Epiſtolæ ad Coloſſenſes, ſed hæc nuſquam extat apud Eccleſiam. Epiſtolæ autẽ quæ ad Senecam ſcriptæ circumferuntur, canonicæ non ſunt.

Libet autem cõmonere lectorem circa id quod de Epiſtola ad Laodicenſes dictũ eſt, quod locus vnde ſumitur argumentũ ad eam ſtabiliendam, ſic habet in dicto cap. 4. Epiſtolæ ad Coloſſenſes, in biblijs quidem vulgatis. Facite vt hęc Epiſtola legatur in Laodicenſiũ Eccleſia, & ea quæ Laodicenſiũ eſt, vt vobis legatur. In Biblijs correctioribus non ita, ſed ſic. Et ea quæ ſcripta eſt ex Laodicea, vt vobis legatur. Ex quo videtur, quòd nõ loquatur de Epiſtola aliqua ſcripta ad Laodicenſes, ſed de Epiſtola prima ad Timotheũ, quæ ex Laodicea ſcripta fuit. De quo inf. annota.6.

Nunc autem ſat erit annotaſſe lectionis diuerſitatem in textu Epiſtolæ ad Coloſſenſes, quam etiam Bulgarius in cõmentarijs ſuper eam epiſtolam videtur innuere. Verũtamen ſunt qui exemplaria eius Epiſtolæ referant, & quidem non abhorrentia Paulinam phra-

ſim: quicquid autem ſit, non admittitur ad ca nonem. Latius de hoc infra.

Claſsis 3. IN TERTIO loco Actus Apoſtolorũ ponuntur: Hyſtoriales noui Teſtamenti libri à quibuſdam nominati: reſpõdentes hyſtoria libus veteris inſtrumenti: vti Sapientialibus veteris teſtamenti dicuntur reſpondere Pauli Epiſtolæ, quæ ſunt Noui Teſtamenti libri Sapientiales.

Sed quũ apud Hebræos præponantur Hyſtoriales Sapientialibus, apud nos alta conſi deratione poſtponũtur. Fortaſſis autẽ propterea, ꝙ ſicut iam dictũ eſt, cõprobatio ac ſtabili tas legis ſunt Paulinę Epiſtolæ. Et quidẽ quãtum attinet ad legem Moyſi, aptior fuit comprobatio, ſcriptura continens, quæ mulcta, quæ'ue pœna cõprehendit legis præuaricatores, quem etiam benedictionis prouentũ ſeruatores habuerint ex cõdicto pacto iam inter Deũ & populũ illum, Moſe medio atq; ſequeſtro: quod vt alibi, præcipuè tamẽ ad vallem quę eſt inter Hebal & Garizim. Deut. 27. in campeſtribus Moab. Deut. 29.

Sic poſt legem ſtatim apud Hebręos ſequitur narratio ſucceſſus rerum, temporũ ac reginimis illius populi. Attamen quoniam firmior

mior eſt ſermo propheticus teſtimonio mira-
culorum, ex doctrina Petri cap. 1. Epiſtolæ. 2.
conuincens Paulus Epiſtolis ſuis, completas
fuiſſe ſcripturas, fidei noſtræ fundamẽta con-
firmans, quod in Epiſtolis nunq̃ nõ agit, me-
rito ſecundũ locum ſibi cõparauit, primũ vi-
delicet poſt legem. Secundũ hoc enim dice-
bat dominus. Scrutamini ſcripturas. Ecce eñ
eæ ſunt, quę teſtimoniũ perhibẽt de me. quòd
ſi dñs etiam dixit. Ego teſtimoniũ habeo ma
ius Ioanne. Opera enim quæ ego facio teſti-
monium perhibent de me. Vbi opera excelle
re videntur ſcripturas, quibus excelſior fuit
ipſe Ioannes, in ſingulari & indiuiduo oſten-
dens, quem confuſe deſignabãt ſcripturæ, di
cens. Ecce hic eſt agnus Dei. Hoc inquam
ſi profundius rimemur, ſciemus opera pluris
eſſe, in quantũ quadrabant prophetarũ vatici
nijs, qualitates cõditionesq́; venturi Meſſiah
concinẽtibus, q̃ in quantũ ex ſui miraculo ad
virtutẽ diuinę poteſtatis aduertendã prouoca
bant. Vtroq; enim modo miracula teſtimoniũ
reddebãt Chriſto: irrefragabilius autẽ primo
modo, vti ex eo cõuincitur, quod Dñs Ioan
nis diſcipulis ait. Renunciate Ioanni quæ au-
diſtis & vidiſtis, &c. Sic ſancta mater Eccleſia

In Symbolo Romano expreſſit firmiſſimã re ſurrectionis dominicę cõprobationem, dicẽs. Reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas.

Igitur præponuntur Epiſtolę Paulinæ, noſtri ſapientiales libri, Actibus Apoſtolorũ, qui ſunt noſter liber hyſtorialis, propter aſſignatam rationem. Vnde non ſatis mirari poſſum quid in mentẽ venerit illis qui nuper impreſſerunt Bibliam Pariſijs, quum ordinem hunc mutauerint: Præpoſuerunt enim Actus Apoſtolorum Epiſtolis Pauli, contra quam diuerſus eſt ordo in cæteris vulgatis Biblijs.

Seruantur autem Epiſtolæ Canonicæ, quę etiam ſunt nr̄i Sapientiales libri, poſt Actus Apoſtolorũ, propterea quòd multiplicitatem ſenſuũ recipiũt, pręter literalem. Item & temporis eſt habita ratio, quo præceſſerũt Epiſtolæ Pauli, Actus Apoſtolorũ: & hos ſubſecutę fuerunt Epiſtolæ Canonicæ.

Sunt ergo nobis hyſtoriales libri Actus Apoſtolorũ. Et quemadmodum in Synagogę decurſu, tempore illo pręſignabatur ſtatus in Eccleſia futurus, quem nũc videmus partim prætęritũ, partim etiam nũc expectamus futurum: ita in narratione hyſtoriæ naſcentis Eccleſiæ, depinxit Lucas afflatus ſpiritu ſancto,

doctri

doctrinã multiplicem, omnis ætatis futurę.

Recipiũt autem Actus Apoſtolorũ, vltra literalem ſenſum, etiam moralem, iuxta Hieronymũ in Prolo. ſuper eum librũ, quum ſit medicus animarũ, eorum ſcriptor. Recipiũt item anagogicũ, de ſperandis à nobis bonis felicitatis æternæ: quia de Eccleſię tractant ſtatu, quem in cœlo triumphus exornat. Recipiunt etiam allegoricũ de fide catholica, myſterijsq́ ſacramentorũ ex contextu eruendis, vti patet de ſolẽnitate Euchariſtiæ, baptiſmatisq́, animaduertentibus cap. 2. & 11. Sicq́ in cæteris. Notũ igitur eſt quomodo multiplex lectio eius ſit libri.

SVBNECTVNTVR ſeptem Epiſtolæ Canonicæ, de quarũ aliquibus licet fuerit dubitatum aliquando an vere fuerint eorũ quibus aſcribebantur: diſcuſſa tamen diligentius quæſtione, dimotisq́ ſcrupulis iudiciũ remorantibus, indubitatè ſuſcepit omnes ſeptem ſancta mater Eccleſia, tanq̃ genuinas, verasq́ eorum autorum quibus inſcribuntur.

Sunt autem hæ quæ ſequuntur.

Iacobi vna.	Ioannis ſecunda.
Petri 1. Petri 2.	Ioannis tertia.
Ioannis prima.	Iudæ vna.

Sunt verò tam ſuccinctæ, paucisq́ verbis ſenſus profundos cōprehendentes, vt rarus ſit qui in earū lectione nō cæcutiat, vt Hieronymus ait in prologo ſuper Bibliam. Frater Ambroſius.

Dictum eſt iam ſuperius eſſe has Epiſtolas de ordine librorū ſapientialiū, & propter cauſam, Paulinas Epiſtolas prçoccupaſſe locū hyſtorialibus libris, quū aliâs adiungendæ fuiſſent iſtis Epiſtolis, ceu eiuſdem ordinis Sapientialis.

Claſsis.4. IN QVARTO loco poſt hos omnes libros vltimo ſuo loco, quaſi neruus noſtrç fortitudinis ſeruatur, Ioannis Apocalypſis. Liber propheticus totus, quo indicantur ſucceſſura tempora noſtræ religioni: eventuraq́ ſuper orbem ante conſummationē ſeculi. Et poſt, futurum in æternū rerum ſtatum.

Hic ordo in vulgatis Biblijs librorum ſanctorum.

ANNOTATIO II.

Qui libri ſunt canonici.

SVpereſt nunc oſtendere quomodo prædicti libri omnes apud ſanctam matrem Eccleſiam Canonici ſint. Quod multis difficilimum

ciliſſimum fuit, eo ꝙ Hieronymus ait de libris Sapientiæ & Eccleſiaſtici, in prologo ſuper libros Salomonis, dicens. Sicut ergo Iudith, & Thobiæ, & Macchabæorũ libros, legit quidẽ Eccleſia, ſed inter canonicas ſcripturas nõ recipit: ſic & hæc duo volumina legat ad ædificationem plebis, nõ ad autoritatem Eccleſiaſticorum dogmatũ confirmandam. Hæc ille. Incipit autem Prologus. Iungat epiſtola. Hiero. Hiero.

Idem in prologo Galeato, ſic cõcludit: Igitur Sapientia, quæ vulgo Salomonis inſcribitur, & Ieſu filij Syrach liber, & Iudith, & Thobias, & Paſtor nõ ſunt in canone. Macchabęorum primũ librũ reperi Hebraicũ. Secundus Græcus eſt: quod ex ipſa quoq; phraſi probari poteſt. Hæc ibi.

In præfatione quoq; ſuper Hezram librum ait. Nec quenq̃ moueat, quòd vnus à nobis liber editus eſt, nec apocryphorũ tertij & quarti libri ſomnijs delectetur: quia & apud Hebræos, Hezrę, Nechemiæq́; ſermones in vnũ volumẽ coarctãtur: & quæ nõ habentur apud illos, nec de viginti quatuor ſenibus ſunt procul abijcienda. Hæc ille. Hiero.

Colligis ex his, vti videtur, fuiſſe Hieronymum huius poſitionis, vt excluſos ab Hebræis

bræis libros, Eccleſia non ſit pro canonicis ac regularibus admiſſura, ad fidem ſtabiliendam in dogmatibus ſuis.

Grego. Videtur etiã Hieronymo concordare Gregorius. Sic enim ait lib. 18. Moraliũ. Proferamus teſtimoniũ de libris nõ canonicis, ſed ad ædificationem editis, &c. Loquitur autem de libris Macchabæorum.

Lyra. Lyranus etiam in prologo ſuper Apocalypſim, ait, libros Macchabæorũ, ambos duos non eſſe canonicos. Quid de tertio putas diceret? qui nuper apparuit impreſſus in Biblijs iuxta Septuaginta editionẽ translatis. Et habet in fine codex iſte translationis huiuſmodi annotationem quandam nomine Athanaſij, in qua citantur quatuor libri Macchabæorum. Ea interprete Eraſmo ſic habet.

Athana. Itaq; qui libri ſunt veteris inſtrumenti qui reclamãtur à nonnullis, iam ante quoq; diximus videlicet, Sapiẽtia Solomonis, Sapientia Ieſu filij Syrach. Præterea Eſter, & Iudith, ac Tobias. Quibus annumerãtur & hi: Macchabæorũ libri quatuor, Ptolemaici, Canticũ Solomonis, Suſanna. Hi ſunt libri veteris Teſtamẽti, qui recepti ſunt nõ ſine cõtradictiõe. Rurſus apochryphi, hoc eſt, qui ſecreto habebantur

bebantur veteris inſtrumenti libri ſunt hi. Enoch patriarchę, Aſſumptio Moyſi, Abrahā, Eldad & Modad, Heliæ prophetę, Sophonię prophetę, Zacharię patris Ioannis Baptiſtæ, Baruch, Habacuch, Ezechiel: & q falſe aſſcribitur Danieli. Porrò noui Teſtamenti libri quibus cōtradicitur, ſunt hi. Itinerariū Petri. Itinerariū Ioannis. Itinerariū Thomę. Euangelium ſecundū Thomam. Doctrina Apoſtolorum. Libri Clemētis. A quibus ſemoti ſunt ac decerpti libri veriores, ac diuino afflatu ſcripti, hi qui nunc legūtur. Atq; hæc quidem omnia ſunt edita, vti cognoſcerentur. Cæterum illi notati ſunt omnes vt adulterini & relectitij. Ac ne eorū quidē, maximè Apochryphorū vlla certitudo aut vtilitas eſt: pręcipuè qui pertinent ad Nouum Teſtamentum: ſed omnes pręter illos qui primū à veteribus ac doctis patribus recepti ſunt & cōprobati, nimirum digniores ſunt qui occultentur, quàm legātur. Etiam reliqua illa quę inter apochrypha nūmerantur Euangelia, exceptis his quatuor quę nobis tradita ſunt. Nam quatuor Euangelia nobis diuinitus tradiderūt ſanctę catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ: nempe Euangelium ſecundum Matthæū, ſecundum Marcum,

cum, ſecundum Lucam, ſecūdum Ioannem: iuxta propheticam viſionē, quam vidit Ezechiel propheta de quatuor cherubin. Vidit enim hic propheta quatuor cherubin, vnū ſimile homini, hoc eſt, Euangeliū ſecundum Matthæū. Alterū ſimile vitulo, Euangelium ſecundum Marcū. Tertiū ſimile leoni, Euanlium ſecundum Lucam. Quartū ſimile aquilæ, Euangeliū ſecundum Ioannē. Porrò præter hæc quatuor, non eſt aliud vllum Euangelium. Euangeliū igitur ſecundum Matthęū deſcriptū eſt ab ipſo Matthæo Hebraica lingua, atq; editum Hieroſolymis. Interpretatus eſt autem Iacobus, qui dictus fuit frater Domini, iuxta carnem, qui idem primus electus eſt à ſanctis Apoſtolis Epiſcopus Hieroſolymitanus. Euangeliū autem ſecundum Marcum, dictatū quidem fuit à Petro Apoſtolo Romę, ſed editum à beato Marco Apoſtolo, & ab eodem prædicato in Alexandria, Aegypto, Pentapoly, & Libya. Cæterū Euangelium ſecundum Lucam, dictatū quidem fuit ab ipſo Paulo Apoſtolo, cōſcriptum autem & editum à beato Luca Apoſtolo & medico. Quemadmodū & acta Apoſtolorū: dictauit quidē Petrus apoſtolus, ſed idem Lucas conſcripſit.

ſcripſit. Euangeliũ autem ſecundum Ioannem, prædicatum quidem eſt ab ipſo Ioanne Apoſtolo & Ieſu dilecto, quũ exularet in inſula Pathmo: editũ ab eodem Epheſi, per Caiũ dilectũ & hoſpitem Apoſtolorũ, de quo & Paulus Romanis ſcribens, ait, ſalutat vos Caius hoſpes meus, ac totius Eccleſiæ. Hæc Athanaſius. Vbi multa congerũtur, quæ locis ſuis referentur, vbi fuſius tractabuntur.

Nunc autem ſat eſt mentem habere Athanaſij (ſi modo eius eſt annotatio) de libris ab Eccleſia ſuſceptis, quamuis reclamarint nonnulli: qui ſunt, Sapientia, Eccleſiaſticus, Eſter, Iudith, Thobias, Macchabæorũ omnes, adiungit autem his Ptolemaicos, Canticum Solomonis, & Suſannã. De quibus ſup. dictũ eſt Annotat. 1. de libris nothis apud Hebræos.

Ruffinus etiam in expoſitiõe Symboli, tractans particulam illam. Et in ſpiritum ſanctum. Idem cum Hieronymo ſentit, reijcitq; à Canonicis libris, libros Sapientię, Eccleſiaſtici, Thobiæ, Iudith, & duos libros Macchabæorum. Reponit autem eos inter Eccleſiaſticos libros non canonicos. Subditq;. Quæ omnia legi quidem voluerunt (loquitur de patribus) ſed non proferri ex eis teſtimoniũ ad au Ruffinus.

ad autoritatẽ fidei confirmandam. Hæc ille.

Rupertus Rupertus Tuitienſis lib. 3. ſup Geneſim dicit, librũ Sapientię nõ eſſe de Canone, propterea ꝙ cap. 10. dicat de Adam, quòd Sapientia dederit ei virtutẽ continendi omnia, quod ſolo Chriſto cõuenit. Sed corrigitur dictum hoc à Ioãne Driedon, lib. 3. de Eccleſiaſticis dogmatibus. Similes multę autoritates reperientur multorũ priſcorum doctorum.

Eraſmus. Circa quæ Eraſmus in ſcholio ſuper præfatione Hieronymi in Danielẽ ait. Mirũ quod Hieronymus veru iugulat, id nunc paſſim legitur & canitur in Templis, ceu res in primis ſancta. Tanto plus valet conſuetudo multitudinis imperitæ, q̃ hominis eruditi iudicium: Imò nullo delectu legimus de Bel dracone, quam Hieronymus non veritus eſt appellare fabulam: nec additurus, ni veritus fuiſſet, ne bonam partem voluminis detruncaſſe videretur. Sed apud quos tandem? Apud imperitos, inquit ipſe. Sic vbi cõmodum eſt, quiduis apud nos valet Hieronymi autoritas: vbi non eſt cõmodum, nec tantillum quidem valet. Ac poſtea, nos vt parum credulos damnant, quũ nulli minus rectè credant, quàm iſti, qui quiduis credunt. Hæc Eraſmus.

CONTRA

CONTRA QVOQVE SVNT
autoritates doctorum multorum.

IN PRIMIS Dionyſius, in lib. cœleſtis hierarchiæ, recipit libros Macchabęorũ inter ſacræ ſcripturæ canonicos. Capite eñ. 15. exponens imagines angelicarũ virtutum figuratiuas, tractat quid haſtæ ſignificent in ſacris eloquijs. Habetur autẽ de haſta. 11. cap. 2. Macchab. lib. Quod etiã notauit Iacobus Faber in ſcholio ſuo ſuper citatum locum. Diony.

Auguſtinus etiam. 2. de doctrina Chriſtiana, numerat quadraginta quatuor libros veteris Teſtamenti, inter quos libri computantur Macchabæorũ, Iudith, Thobiæ, Sapientiæ, & Eccleſiaſtici. Auguſt.

Præterea in. 18. de Ciuitate Dei, cap. 36. ait. Libros Macchabęorũ, non Iudæi, ſed Eccleſia pro canonicis habet. Auguſt.

Item cõtra ſecundam Gaudentij Epiſtolã, lib. 2. cap. 23: & habetur in. 8. Tomo operũ Auguſtini. ſic ait. Libri Macchabæorũ ſuſcipiendi ſunt, tanq̃ ab Eccleſia ſuſcepti. Hęc Aug. Auguſt.

Huiuſmodi autem ſuſceptio Eccleſiæ, licet non conſtaret: vel in hoc maximè apparet, ꝙ in ſacra lyturgia pro mortuis ſuſcepit ad Epiſtolam, partem illam cap. 12. lib. 2. Macchab.

quæ loquitur de Iuda: quòd miſerit Hieroſolymam duodecim milia dragmas, offerri pro mortuis. In quo videtur hũc librũ admiſſum intra canonicos, quũ in tanto ſacramento nõ videantur admittendæ lectiones apocryphorum librorum.

Quę ſit ſuſceptio libri Macchabeorũ.

Veruntamen non ęſtimo huiuſmodi ſuſceptionem intentam ab Auguſtino, quũ Rabanus ſcribens Luithouuicho regi, dicat inter cętera. Nunc verò quia tempus eſt illud, quo Romana Eccleſia conſtituit libros legi Macchabæorũ in Eccleſia, eorundem librorũ expoſitionem, quam ante annos aliquot, rogantibus amicis, ſenſu hyſtorico ſimul & allegorico dictaueram, excellentię veſtrę defero, &c. Fuit autem Rabanus poſterior Auguſtino, plus quadringẽtis annis. Aliunde igitur Auguſtinus habuit ab Eccleſia ſuſceptos libros Macchabæorum, ſicut poſtea dicetur.

Nec poteſt intelligi ſuſceptio huiuſmodi à Rabano ſignificata, ad lectionem in officijs horarijs, quia hoc longè ante Rabanum factum fuerat, & ante Gelaſium. PP. ſicut habetur in Decreto. 15. d. Sancta Romana Eccleſia. Vbi inter libros qui de curſu anni leguntur in Eccleſia, nominantur libri Macchabęorum,

rum,ad Dominicam primā menſis Octobris deſtinati. Dicit autem ibi Gelaſius. Cæterū qui libri in Eccleſiaſticis officijs per anni circulum à nonnullis legantur (quòd ritum illū Apoſtolica non reprobat,ſed ſequitur Eccleſia) pro fideliū ædificatione annotandum cenſuimus,&c. Lucido igitur conſtat, quòd Rabanus non intellexit de huiuſmodi lectione, quæ longè præceſſit eum, fermè annis quingentis. Oportet igitur ſuſceptionē illam intelligi ad Miſſam, quę ſicut maximum omnium noſtrorū ſacramentum eſt, ita nō ſuſcipit niſi lectiones ſacras, ex Canonicis libris. Et de his ſatis.

Hieronymus de libro Iudith ait in eius prologo, quòd ſancta Synodus Nicena ſuſcepit eum,&numero ſanctarū ſcripturarū aſſcripſit. Quomodo igitur is ipſe eum inter apocryphos adnumerauit vbi ſupra certè mirū eſt. Hiero

Quòd ſi quiſpiam volens hoc Hieronymi dictū calumniari, oſtentet Nicenæ Synodi Canones & acta, inter quæ de huiuſmodi re, verbum nullū inuenitur: & propterea vel literam Hieronymi cauſetur mēdoſam, vel certè exiſtimandum eſſe Hieronymū lapſum. In prōptu eſt hanc declinare calumniam. Nanq;

Nicenæ Synodi ſeptuaginta fuere Canones: triginta à Gręcis, triginta à Latinis, decemq; ob myſteriū additi ab omnibus ſimul tercentis decem & octo Patribus. vti habetur. 16. d cap. Septuaginta. Item patet fuiſſe ſeptuaginta canones eius cōſilij, ex Epiſtola Athanaſij ad PP. Marcum. Item ex Epiſtola PP. Marci reſpōſoria, qui fatetur ſe ſic inueniſſe. Conſtat autem fuiſſe plures q̄. 20. canones, ex eo quòd canon citatus à Zozimo PP. de conſilio Niceno, ad conſilium Carthaginenſe, non eſt intra. 20. canones quos habemus. Hoc idē aſſumit Eckius contra Hæreticos. lib. de Primatu Petri. capit. 18.

Quos habemus autem canones. 20. ſunt, vt. 16. d. cap. Prima autem Synodus. Et in iȷs nulla mentio de libris canonicis, vel non canonicis. Cæterū ex hoc argumentari lapſum Hieronymū, quòd nō contineatur inter canones à nobis habitos ſermo de libro Iudith, ſicut ipſe dixit: vides quàm frigidè aſſeueretur.

Nanq; moris erat ſanctorū conſiliorum in fine omniū canonū, de libris & ſcripturis meminiſſe, vt eſt videre in actis Conſiliorū, quorum copia integra eſt apud nos. Fortaſſis itaque in illis decem capitulis ad cōplementum numeri

numeri ſeptuagenarij conditis, ſermo erat de ſcripturis Canonicis, inter quas cõputabatur liber Iudith. Quo fit vt deſideratis.50.canonibus eius conſilij, deſideretur quoq; huius nodi ſolutio.

Iſidorus etiam lib.6.Ethymologiarũ.cap.1. dicit, quòd ſex iſti libri Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Tobiæ, Iudith & Macchabæorũ duo, non ſuſcipiũtur à Synagoga, tamen Eccleſia Chriſti inter diuinos libros & honorat & prædicat. Iſidor.

Reperientur quoq; ſimiles pro hac parte autoritates multæ ſanctorum doctorum.

Quid igitur in tanta doctorũ varietate dicendum? Certè recurrendum eſt ad Eccleſiaſticas ſanctiones ſanctę matris Eccleſię, ſecundum decreta Synodalia & Pontificia.

ECCLESIAE DECISIO.

Primum ergo in Synodo Laodicena, quæ in Phrygia Paccatiua conuenit, circiter annũ domini.350. Fuit enim ante primũ Conſtantinopolytanum conſiliũ, quod fuit anno domini.381.ſic ſtatuit.cap.59. Synodus Laodice.

NON OPORTET ab idiotis Pſalmos compoſitos & vulgares in Eccleſijs, neq; libros qui ſunt extra canonem legere, niſi ſolos ca

los canonicos Noui & Veteris Teſtamenti. Quæ autem oporteat legi, & in autoritatem recipi, hæc ſunt.

Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomiū, Ieſu Naue, Iudicum, Ruth, Regnorum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Eſdræ, Liber Pſalmorum, numero. CL. Prouerbia Salomonis, Eccleſiaſtes, Cantica Canticorū, Iob, Heſter, XII Prophetarū libri, id eſt, Oſee & Amos, Ioel, Abdias, Ionas, Micheas, Naum, Abacuc, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias, Eſaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel. Noui teſtamenti, id eſt, Euangeliū ſecundum Matthæū, ſecundum Marcum, ſecundum Lucam, ſecundum Ioannem. Actus Apoſtolorū. Canonicæ epiſtolæ ſeptem, Iacobi vna. Petri duæ. I. & II. Ioannis tres. I. & II. & III. Iudæ vna. Epiſtolæ Pauli Apoſtoli, numero XIIII. Ad Romanos. Ad Corinthios I. & II. Ad Galatas. Ad Epheſios. Ad Philippenſes vna. Ad Coloſſenſes vna. Ad Theſſalonicenſes duæ I. & II. Ad Timotheum duæ. I. & II. Ad Titum. Ad Philemonem. Ad Hebræos.

Hæc ibi capit. 59.

Ecce habetur quomodo in illa Synodo nō compu

computantur inter canonicos libros veteris Teſtamenti liber Sapientiæ, liber Eccleſiaſtici, liber Thobiæ, liber Iudith, liber Baruch, libri duo Macchabæorũ. Inter libros etiam canonicos Noui teſtamenti non connumeratur liber Apocalypſis Ioannis Apoſtoli. Fuerit autem huius cauſa quæcunq́, mihi ſi coniectare licet, videtur propterea hoc eueniſſe, quia nondum plenè diſcuſſę fuerant cauſæ dubietatis, facientes anceps iudiciũ, ac titubare in eruditos huiuſmodi lectionum. Diſcurſu verò temporis, explicatis controuerſijs, & re amplius diſcuſſa, ceptus eſt ſuboleri ſpiritus qui loquutus eſt in librorũ iſtorũ autoribus: quod infra paulò latius diſcutietur.

POST hæc Innocẽtius primus huius nominis PP. qui fuit. 41. poſt Petrum, anno domini. 407. in Epiſtola Decretali ad Exuperiũ Tholoſanum Antiſtitem, quæ habetur inter Decreta Innocentij. ſic habet capit. 27. Innocentius. PP.

Qui verò libri recipiãtur in Canone, breuis annexus oſtendet. Hæc ſunt ergo, quę deſiderata voce moneri voluiſti.

Moyſi libri. 5. id eſt, Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium. Nec nõ & Ieſu Naue, & Iudicum. & Regnorũ libri. 4.

 ſimul

ſimul & Ruth. Prophetarū libri. 16. Salomonis libri. 5. Pſalterium. Item hyſtoriarū Iob liber vnus. Heſter vnus. Iudith vnus. Macchabæorū duo. Paralipomenon duo.

Item Noui teſtamenti Euangeliorū libri. 4. Apoſtoli Pauli libri. 14. Epiſtolæ Ioānis. 3. Epiſtolæ Petri. 2. Epiſtola Iudæ. Epiſtola Iacobi. Actus Apoſtolorum. Apocalypſis Ioannis. Hæc ibi.

Hic igitur nedum recipiuntur libri deſiderati in Laodiceno conſilio, intra canonem: verum & Salomoni aſcribuntur libri Sapientię, & Eccleſiaſtici. Quod Auguſt. 2. de doctrina Chriſtiana. cap. 8. putat ideo factū, quia ſimilem cum Salomone in Prouerbijs & Eccleſiaſte tractant materiam. Sic etiā Santes Pagninus in Iſagogis ſuis tradit. Sic Adrianus Finus lib. 1. Flagelli cōtra Iudęos. cap. 21. Nam reſoluunt ea quæ Salomon fuſius tradit in libris ſuis, particulariusq; ad Meſſiah accōmodant. Et vbi ſuccinctè ille profunda myſteria occuluit, iſti abditos ſenſus eruentes, verbis explicant lucidioribus. Ideoq; Salomonis dicuntur, id eſt, explicationes librorū Salomonis, quamuis reuera Philo autor fuerit libri Sapiētiæ, & Ieſu ben Syrac, libri Eccleſiaſtici.

[Margin: Auguſt. — Sanctes. — Adrianus.]

POST

POST INNOCENTIVM ſedit in cathedra Petri Zozimus:ſub quo conuocatum conſilium Carthaginenſe tertiũ, ſic concluſit capit.47.aliàs.24. Synodus Carthag.

Item placuit vt præter ſcripturas Canonicas, nihil in Eccleſia legatur ſub nomine diuinarum ſcripturarum.

Sunt autẽ Canonicæ ſcripturæ, id eſt, Primus Geneſis.2.Exodus.3.Leuiticus.4.Numeri.5.Deuteronomiũ.6. Ieſu Naue.7.Iudicum.8.Ruth.9.Regum libri.4.Paralipomenon libri.2.Iob vnus.Pſalteriũ Dauidicũ.Salomonis libri.5.Libri.12.prophetarũ.Eſaias. Ieremias.Ezechiel.Daniel.Thobias.Iudith. Heſter.Ezræ libri.2.Macchabæorũ libri duo.

Noui autem teſtamenti.27.Euangeliorum libri.4.Actuũ Apoſtolorũ liber vnus. Pauli Apoſtoli Epiſtolæ.13. Eiuſdem ad Hebræos vna. Petri Apoſtoli.2.Ioannis Apoſtoli.3.Iudæ Apoſtoli vna. & Iacobi vna. Apocalypſis Ioannis vnus. qui ſunt viginti ſeptem.

Hoc enim fratri & conſacerdoti noſtro Bonifacio, vel alijs earum partiũ Epiſcopis, pro confirmando iſto canone innoteſcat:quia à patribus iſta accepimus in Eccleſia legenda.

Liceat etiam legi paſſiones martyrũ, quum

 anniuer

anniuerſarius dies eorũ celebretur. Hæc ibi.

Hic autem Bonifacius, fuit ſucceſſor Zozimi, qui morte præuentus non uidit concluſionem conſilij, quod congregari curauerat: unde oportuit Bonifaciũ confirmare acta
Eckius. *conſilij atq; decreta. Sic etiam refert Eckius lib.3.de Primatu Petri.cap.19.*

Ecce etiam in hoc conſilio Sapientiæ liber & Eccleſiaſtici Salomonis eſſe dicuntur.

Quare præponatur Sapientia Eccleſiaſtico. Mirum tamen, quomodo liber Philonis, qui præceſſit Chriſtum annis fermè centum, præponatur libro Ieſu Syrach, qui per annos ducentos anteceſſiit Chriſti aduentum, fuit enim tempore Ptolomei Euergetis, vt in prologo eiuſdem libri eſt videre. Præcipuè quũ apud Iudęos Misle, id eſt, Parabolæ, nominetur, vti iam dictum eſt. Veruntamen in hoc apertius Auguſtini ſententia ſtabilitur. quòd propterea Salomonis dicatur: quia explicant ea, quæ ſubobſcurius ille tradiderat. quod qa Philo apertius reddidit, antelationem meruit. Poteſt autem hoc ipſum exemplo demonſtrari.
Prou. 13. Ecce Salomon ait. Fili mi, ſi te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis. Dein ſequitur, Si dixerint, veni nobiſcum, inſidiemur ſanguini, &c. Vide autem vt Philo reddat hæc.
Sapiẽ.14. D. Dixerunt impij apud ſemetipſos, nõ rectè cogitan

gitantes, &c. Mittamus, inquit, lignū in panem eius, id eſt, in corpus eius, quod ipſe panem eſſe dixit in parabola. Quid autem hoc lucidius, manifeſtius ꝙ? Propter hoc igitur etiam Galatinus lib. 1. cap. 14. huius eſt ſententiæ Auguſtini. In noſtra autē vulgata editione ſic habetur. Morte turpiſſima condemnemus eum. Et quod illic dicitur. Mittamus lignum in panem eius. hic dicitur, Et probemus patientiam illius. Galatinus

Sic ſæpe apud antiquos autores allegatur Sapientiæ liber, ceu Salomonis, quorū vnus eſt Ireneus, vti refert hyſtoria Eccleſiaſtica lib. 5. cap. 25. ſed plenius lib. 4. cap. 21. vbi habetur: quòd Egeſippus & Ireneus, & omīs antiquorum chorus, librū intitulatū Sapientiæ, Salomonis eſſe dixerūt, ſicut & Prouerbia. Ireneus.

Tradit etiam ibidem Euſebius, lib. 4. ca. 24. de quodā Melitone Sardenſi Epiſcopo, quòd ſcribens Oneſimo cuidam tradiderit quinam libri canonici reputarētur veteris Teſtamenti apud Orientem, ait enim ſic. Scias me perrexiſſe vſq; ad Orientis locū, vbi prædicationis noſtræ cępit exordiū, & vbi geſta ſunt illa omnia quæ leguntur ſcripta: ibiq; diligēter de omnibus exploraſſe, quæ eſſent Veteris Teſtamenti Euſebius. Melito.

ſtamenti volumina. Ibi igitur quæ cum omni inueſtigatione comperi: hæc ſunt. Moyſi libri quinq̧, Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomiũ. Tum deinde Ieſus Naue, Iudicum, Ruth, Regnorũ libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Pſalmi Dauid, Salomonis Prouerbia, Sapientia, Eccleſiaſtes, Cantica canticorũ, Iob. Prophetæ autẽ, Eſaias, Hieremias. Duodecim prophetarũ liber vnus. Daniel & Ezechiel, Eſdras. Hæc ibi. Melito igitur hic, librum Sapientiæ inter Canonicos libros recipit, pro more orientis, ſimulq̧ Salomonis eſſe dicit. Libros autem Eccleſiaſtici, Thobiæ, Iudith, Heſter & Macchabæorum, non recipit: quũ & nondum Eccleſiæ decretum fuerat de huiuſmodi libris recipiendis: vti ſupra ſatis dictum eſt.

Damaſc. Ioannes Damaſcenus etiam lib. 4. cap. 18. ſecundum diuiſionem operũ eius nuper factam agens de libris Canonicis, diſtribuit eos per quatuor pentateuchos: excludit autem libros Sapiẽtię, Eccleſiaſtici, Thobiæ, Iudith, & Macchabæorũ à canonicis, quum nõ ſint de illorum numero, quos Hebræi recõditos ſeruabant in Arca fœderis. Librum autem Sapientiæ Salomoni aſſerit.

Lactan

Lactantius etiam Firmianus lib.4.diuinarũ inſtitutionũ.cap.16.librum iſtum Salomoni tribuit. Idẽ agit Catharinus Polytus noſtri temporis doctor, libro ſuo de clauibus ſcripturę. Lactantius. Catharinus.

Præcipui tamen huius opinionis aſſertores Iacobus Faber,& Roppertus Holkot nituntur, quantũ poſſunt, librũ Sapientiæ à Salomone editum, non à Philone, perſuadere argumentis quamplurimis.

Primus in Commentarijs ſuper Ioannem Damaſcenum, loco præſignato ſup. vbi de libris canonicis, præter alia argumenta, illud multi facit: quòd Dionyſius ait, ibidem citatus, hunc librum eſſe primarum inſtitutionũ fidei. Quomodo autem ſtare poſſet, ꝙ liber editus à Philone, quaſi coæuo ipſius Dionyſij, vel parum ante Dionyſiũ, vocetur à Dionyſio liber primarum inſtitutionum, vel antiquarum.

Sed quoniam argumentũ hoc non ita conuincit, quod intendit, conformiter Auguſtini dictis reſpõdendum eſt. Ideo à beato viro librum hunc inter antiquas ac primas inſtitutiones repoſitum, quod ad vetus inſtrumentum pertineat, antiquataq; iam lege Moſayca, omnia quę ad eam pertinebant etiam fuere anti-

antiquata. Quantumuis igitur Philo vicinus fuerit Chriſti ſeruatoris temporibus: nihilominus tamen, editum ab eo librũ, paraphraſticum quidem in Prouerbia Salomonis, rectè Dionyſius inter antiquatos veteris legis annumerat: vti & reuera ab Eccleſia cõnumeratur, & eum primarũ inſtitutionum eſſe dicit.

Philo duplex. Errant autẽ quicunq; Philonem hũc, eum eſſe putant, qui Paulo coęuus, pro Alexandrinis Iudæis Romam adijt, acturus cum Imperatore cõtra Gentiliũ moleſtias: hic em̃ Philo plus centũ annis poſterior fuit primo Philone, quem autorẽ eſſe dicimus libri Sapiẽtię.

Holkot. Holkotus autem lectione. 1. ſuper ipſum Sapientiæ librum, varia ad hoc propoſitũ affert Argu. 1. argumenta. Primũ enim adducit Auguſtinũ retractãtem, quòd liber hic eiuſdem fuerit autoris, cum Eccleſiaſtico: quũ poſtea fateatur ſe didiciſſe, non fuiſſe eiuſdem autoris, videli Reſpõſio. cet Ieſu ben Syrach. Sed miror certè quomodo non plenè refert Auguſtini dictum. Nam ibi met dicit, quòd autor eius libri fuit Philo. Argu. 2. Vide. 2. Retractationũ. cap. 4. Secundo adducit Gloſam, ſuper Matth. 27. in verbo, Blaſphemabant eum, mouentes capita ſua, &cæ. Vbi Ordinaria dicit. Prædictum erat in libro

Sapien

Sapientiæ. Morte turpiſſima condemnemus eum. Hinc arguit. Si ante paſſionem Chriſti iam editus erat liber Sapientiæ, Philo nō fuit autor eius, qui poſterior fuit Chriſto, tempore Apoſtolorum florens. Huius autem argumenti ſolutio patet ex dictis, quia non de Philone illo poſteriore intelligimus hoc, ſed de priore. Sic autem adducit Gloſæ autoritatem, quaſi irrefragabilis ſit. Notū vero cunctis ſtudioſis eſt, Gloſam illam collectionem eſſe, ſanctorum doctorum ſententijs conſtantem, referentemq́ quid Hieronymus, quid Auguſtinus, Iſidorus, Rabanus aut Beda, vel alius quiſpiam ex præcipuis doctoribus ſentiat: quandoq́ etiam propriam collectoris mentem referantem. Quis verò is fuerit, incertum eſt. Alfonſus Toſtado, vt alibi ſæpè, præcipuè tamen in Commentarijs ſuper Geneſim. cap. 48. vbi de parte vna Ioſeph legata ab ipſo Iahacob, vltra fratres ſuos, ait, citans dictā gloſam. Ioannes Bleſenſis dicit, hoc vel illud. Ex quo innuit Bleſenſem fuiſſe autorem illū Gloſæ. Eckius tamē lib. 1. de primatu Petri, cōtra Lutherū. cap. 3. videtur ſentire quòd Rabanus ſit autor. Quicunq́ autē fuerit, certum eſt non ita præſtantiſſimæ eſſe autori

Reſpōſio.

Quis autor Gloſ. ordin.

Eckius.

autoritatis, vt nephas ſit dictis eius cõtraire. Sæpiſſimè etẽ Lyranus ei cõtradicit. Quantumuis igitur gloſa diceret Philonẽ nõ fuiſſe autorem libri Sapientiæ: non ſtatim ſequitur, hoc ita debere credi, ac teneri. Argumentatur præterea tertio. Quòd ſancta mater Eccleſia ita legit, feria. 4. hebdomadæ Pentecoſtes

Argu. 3. in Miſſa. Dixit Salomon filijs Iſraël. Diligite iuſtitiam, qui iudicatis terram, &c. Vbi verba libri Sapientiæ Salomoni tribuũtur. Sed neq;

Reſpõſio. hoc conuincit: Satis enim ſupra dictũ eſt, quare dicatur eſſe liber hic Salomonis, licet ab eo non ſit editus. Neq; hoc nouũ inuentum eſt vſui eccleſiaſtico, vt lectio Epiſtolæ, quæ ex libris excerpta eſt Prouerbiorũ, Eccleſiaſtici, aut Eccleſiaſtes, vel Cantici canticorũ, dicatur eſſe libri Sapientiæ.

Argumentatur item, quòd cap. 9. libri hu-

Argu. 4. ius ſic habetur. Tu me elegiſti regem populo tuo, &c. hoc inquit, nequit de Philone intelligi, qui fuit priuatus quidam Iudæus Alexandrinus: ſed tantum de Salomone filio Da-

Reſpõſio. uidis. At ne hoc quidem cõcludit. Nam dictum eſt, librum hunc declaratoriũ eſſe atq; paraphraſticum libri Salomonis: idcirco verè dicere potuit, cõcinneq; in Salomonis perſona:

ſona:Tu me elegiſti regem: vti in Prouerbijs habetur,hoc ipſum à Salomone implicitũ.Sic ait Adrianus Finus lib.2.Flagelli.cap.5. Adrianus Finus. Argu.5.

Citat etiam Ambroſij locũ in libro ſuper tres quæſtiones Salomonis, vbi libri huius ait fuiſſe Salomonem autorem.Poſſet etiã citare Ireneũ,& Clementem Alexandrinũ, Tertullianum libro de Præſcriptionibus hæreticorum, & Cyprianũ locis multis, aſſerentes librum Sapiẽtiæ,Salomonis eſſe.Sed neq; hoc vincit propoſitũ: omnibus enim vnica cõmunis reſponſio eſt: Quòd ideo Salomon autor vocatur :qa materiã præbuit explicationi illi quam edidit Philo. Vterq; enim loquutus eſt per ſpiritũ ſanctũ:vnus ſubobſcurius in Prouerbijs, alter apertius in Sapientia.

Ecce habetur difficilis nodi ſolutio, & intellectus quo poterunt conſiliari autoritates plures contrarium ſonantes.

Sed nolo ſilentio præterire, quod in Decreto habetur.16.d.c. Canones. Sic eñ habet gloſa.§.atq; inter apocrypha.Id eſt, incerto autore,vt Sapientia Salomonis.liber Ieſu filij Syrach, qui dicitur Eccleſiaſticus,& liber Iudicum & Thobię,& liber Macchabęorũ.hi apocryphi dicuntur: & tamen leguntur,ſed fortè Gloſæ decreti neuus.

non generaliter. Hæc ibi. Vbi liber Iudicum (niſi Codex mendoſus ſit, pro Iudith habens Iudicum) inter apocryphos numeratur à gloſatore Guilielmo Brixinenſi. Sed neq; hoc refert: nam hic bonus autor quãdoq; dormitanter gloſauit. Habeturq; huius experimẽtum, in gloſa capituli, Vt veterũ.9.d. vbi ſua gloſa facit pugnantem cũ Auguſtino Hieronymũ, quem citat in prologo ſuper Biblia, Deſiderij mei. Rogo lege prologũ, conferq; cum gloſa, videbis cõtra intellexiſſe hunc, q̃ ille ſcripſerit. Mirum certe neuũ. Huiuſmodi floſculis vernant cõmentaria ſuper Decretũ: quũ aliàs & in ipſo Decreto caſtigatiorem lectionem deſiderem. Sunt enim plus quàm triginta loci, quos notaui inuerſos, dum alter canõ alteri aſcribitur autori, præter corruptelas literarum & orationum.

Nota.

Poſtremo, quia in ſuperius citata Athanaſij Annotatiõe (ſi modo eius eſt) de libris Clementis reiectis ſermo habitus eſt, nõ erit abſurdum hic inſerere vltimũ canonem eius libri qui inſcribitur Canones Apoſtolorũ per Clementem à Petro Apoſtolo Romæ ordinatum Epiſcopũ, in vnum congeſti, is eſt octuageſimus quartus. Et ſic habet.

Sunto

Sunto omnibus vobis clericis ſimul & laicis venerandi ac ſacri libri, Veteris quidem Teſtamẽti, Moſis quinq;, Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomiũ. Ieſu filij Naue vnus. Iudicũ vnus. Ruth vnus. Regnorum quatuor. Derelictorũ ex libro dierũ duo. Heſter vnus. De Macchabæorũ geſtis tres. Iob vnus. Pſalterium vnus. Salomonis tres, Prouerbia, Eccleſiaſtes, Canticum canticorum. Prophetarũ. 12. vnus. Eſaiæ. Hieremiæ vnus. Ezechiel vnus. Daniel vnus. Inquiritor autem à vobis extrinſecus vt adoleſcentes veſtri addiſcant. Item Sapientiam eruditi Syrach. Noſtra verò, hoc eſt, Noui Teſtamenti Euangelia quatuor, Matthæi, Marci, Lucæ, Ioãnis. Pauli Epiſtolæ. 14. Petri Epiſtolæ. 2. Ioannis. 3. Iacobi vna. Iudæ vna. Clementis Epiſtolæ. 2. & præceptiones quæ vobis Epiſcopis per me Clementem, in libris. 8. nuncupatę ſunt: quas omnibus publicare nõ oportet, ob quædã arcana quæ in ſe cõtinent. Et actiones noſtras Apoſtolorũ. Hæc ibi.

Sed quid de iſtis Canonibus Apoſtolorũ ſentiendum ſit, videtur ambiguũ, præſertim quum in Decreto Gratianus. d. 16. varias colligat ſententias: quorundam dicentiũ eſſe reijciendos Dubium.

 ciendos

ciendos:quorūdam autem eos amplectentiū, & hoc in omnibus.85.cap.quorundā in ſexa-ginta.quorundam verò in quinquaginta tantum.Hanc autē varietatem conſiliare niſi cō-mentatores, Archidiaconus, Turrecremata. & alij, amplius eas reuera diſſidere fecerunt, dum alius tempora inuertens,poſteriorem facit ſexta Synodo,Zepherinū, qui plus q̄.460. annis præceſſit Agathonē, ſub quo Synodus ſexta fuit. vt.16.d.cap. Sexta Synodus.patet. Alius ad placita ſe cōferens, nititur ſic diuer-ſitatē ad cōcordiā redigere.vt. 85.capitula.ad Græcas Eccleſias, quarum Conſtantinopolis caput erat, in qua ſexta Synodus, quę id dicit celebrabatur,ſeruanda intelligat. Sexaginta verò tempore Zepherini ab Eccleſia Latina quæ tēporis diſcurſu ad quinquaginta reſtri-cta fuere,Leonis PP.huius nominis noni, tē-pore, ſeruata exiſtimet. Age, velit aliquis in hac vltima poſitione ſtare, quo modo pote-rit ſe cōmodè explicare: ſi vrgeat alius ad ea quinquaginta capita aſſignāda. Vtrū'ne priora quinquaginta, an poſteriora, inter illa octuaginta quinq;, aut certè ex omībus illis excer-pta. Item, ſiccine recidit Leo, quæ decretaue rat Zepherinus:Imò quę decreuerat ſexta Synodus,

Varię ſententię doctorum.

nodus, itáne Leo inualidauit? Porrò ſi ſexta Synodus om̃ia. 85. capita decretauit, quid Gelaſio venit in mentem, vt Clementis libros à Canonicis reiectos ad apocryphos relegaret, in cap. Sancta Romana Eccleſia. d. 15. vbi etiã canones Apoſtolorum ſimili nota vſſit. Fuit autem Gelaſius vir eruditus omni diſciplina, circa annos domini. 494. Num quæ Gelaſius deiecerat, acceptauit Synodus?

AD HAEC ſanè mallem doctiorũ ſententiam audire, quàm palam efferre cõmendicata ex coniecturis. Conſului certè Chronicorum hyſtoriarumq́ libros, & antiquorũ ſimul ac modernorum doctorũ ſcripta, nec tamen omnia quæ voluiſſem, ad hoc propoſitum reperire potui. Fuerũt tamen adminiculo ad ea quæ ex ſanctorũ dictis eliciẽda mihi viſa ſunt. Quæ ſi ſtant, rectè quidem, ſinautẽ, nõ vel ſic diſplicet ſudaſſe fruſtrà. Ea ſunt huiuſmodi. Reſpõſio. ad dubiũ.

Primum ſancta mater Eccleſia, non omnia ab initio ſeruanda determinauit inuiolabili obſeruantia, vel circa fidem, vel circa ſacramenta, vel alias quasq́ cõſuetudines. Quamuis enim ſemel decreta circa materiam fidei, nunq̃ irrita fecerit: tamen ea quę nondũ erant decreta, quãdoq́ poſtea declarauit eſſe decre- Notabile primum.

tanda, rataq́ꝫ, ac credenda.

Primum patet ex eo quòd ſpiritus ſanctus perpetuus Eccleſiæ aſſeſſor gubernatorq́ꝫ nō poteſt fallere, aut permittere Eccleſiam falli: quod pro catholica veritate compertiſſimū eſt omni fideli, rectè de catholica ſancta matre Romana Eccleſia ſentiente.

Nō omnia ab initio Eccleſia determinauit.

Secundum autem ſic oſtenditur, quantū attinet ad materiam fidei. Certum eſt licuiſſe antiquis ante determinationem Nicenę Synodi, dubitare de hac vocula homouſion: vtrū'ne filius dicendus eſſet homouſion patri, quum in toto ſacro textu talis dictio non reperiatur. Poſtquam autem in conſilio decretū fuit id quod tenendū eſſet: & decātari quoq; id idem in ſymbolo, nephas fuit id amplius dubitare.

Circa fidem.

Sic de cæteris Eccleſiæ deciſionibus aduerſus hæreticos. Quando enī ſancta mater articulum quempiam tanquam hæreticū damnat: vtiq; contradictoriū eius, catholicū determinat, fidei indubiæ. Licet non ſtatim contra ſequatur: hic articulus catholicus eſt: contradictorius ergo eius hæreticus eſt. Nam & in opinabilibus non ab Eccleſia pro vna parte determinatis: vtraq; opinio ſibi adinuicem contradicens catholica eſt, id eſt, licitè opinabilis,

bilis abſq; peccato, vel hæreſis nota: vti quan doq; doctores inter ſe pugnantes tuentur placita ſua. At non ſic propria ſignificatione vocabulum hoc, catholicum, pro tunc ſumitur, ſed large.

De ſacramentis autem quis neſciat, quot ante declarationes diuerſis conſilijs celebratas, fuerunt dubia. De Baptiſmo quidē, vtrū ne celebratus ab hæreticis (etiam ritu catholico) legitimus eſſet. Vtrum pueris infantulis'ue, eſſet exhibendus. Vtrum alia forma ab ea quam in vſu habet Eccleſia. De Confirmatione, vtrum ſit ſacramentū, vtrum à ſolis Epiſcopis conferendū. De Pœnitētia, vtrū à iure diuino ſit, vtrunq; vera ſit pœnitentia, poſt quam lapſus ſequitur. Et ſimilia circa hoc penè innumera. De Communione: vtrū omnibus baptizatis ſit ſtatim cōmunicāda, quod fermè tempore Auguſtini, Innocentij, ac Zozimi, habuit in vſu omnis Eccleſia Africana. infantulis poſt baptiſmū miniſtrans communionem: etiam ſub vtraq; ſpecie: vti eſt videre in libris Auguſtini, maximè aduerſus Iulianum. & in Epiſtolis, ac libris ad Bonifacium. Item, vtrū ſub vtraq; ſpecie obligentur omnes fideles ſumere. De ordine: vtrum Epi- Circa ſacramenta.

ſcopatus ordo ſit diſtinctus à cęteris. De Matrimonio, vtrum ſacramentũ ſit. De extrema vnctione quoq́, vtrũ à Chriſto inſtituta ſit, an Apoſtolica ordinatione fundata. Ecce vides in his multa pro temporũ varietate quæ ante non fuerant declarata, diligentius re diſcuſſa: propoſita nunc eſſe tanquam firmiſſima fide tenenda.

Circa mores. De diuerſis autem Eccleſiæ conſuetudinibus, circa ieiunia, feſtorum obſeruantiam, decimarum penſum, ritũ quoq́ ac celebritatem ſacrorũ, nõ moror. Nam & hodie, vnaquæq́ prouincia abundat in ſuo ſenſu. Non igitur mirum ſi multa nouauit Eccleſia tẽporis diſcurſu, nacta occaſione, diſcuſſaq́ maiori prudentia re ipſa.

Notabile ſecundum. SECVNDO ſpiritus ſanctus gubernator Eccleſiæ, non omnibus Pontificũ actis aſſeſſor eſt. Nam & põtifices homines ſunt, labunturq́ quandoq́. At vbi de re Eccleſiæ eſt, nõ patitur errare, quem omnes Chriſtifideles oportet audire. Maximè quũ præſcripta à Deo ipſo forma proceditur ad definiendum ambiguum, quod pro more, pontificali ornatu ſacro de cathedra profertur, tanquam fide firma ſuſcipiendum. In eandem ſententiam Ca-

tharinus Polytus cōcors nobiſcum eſt, in ſuo de clauibus ſcripturæ libro. Catharinus Polytus.

His prelibatis iam proprius rem videam⁹, Editus fuit liber Canonum Apoſtolorū per Clementem, vti is ipſe vidit Petrū ordinantem, exorientiaq́ dubia circa regimen Eccleſiæ decidentem, ac vti reſciuit Apoſtolos gubernando Eccleſias ſuas, vſū tenere. Huic edito libro, immixta fuerunt adulterina additamenta, ab hæreticis illius temporis ſucceſſoribus. Hoc ſubolentes patres, ne obtentu libri apoſtolico nomine autoritati, ſimplices fallerentur, totum reiecerūt librū: ne dum morarentur in purgandis adiectitijs falſitatibus, interim perirent ſimplices. Sicq́ ſtatim à principio publicationis libri maculati, reclamatū eſt à Patribus. vti ex Iſidoro ſatis poteſt deprehendi. Poſt hæc, data commoditate diſcernendi, in apertūq́ notatis adulterinis admixtionibus, reiectis libris falſo aſſcriptis Clemēti (propter quos potiſſimè apponēdos, tegna illa falſandi canones Clementis, attentata fuerat) ſuſcepti ſunt ad Eccleſiæ regimen Canones ſexaginta à Zepherino, quorū pars bona à Graciano citatur in diuerſis locis ſui decreti, vt patet diſtinctionibus. 28. 31. 32. 33. 34. 35. 45. 47.

Dubij deciſio.

Reiecti clementis libri propter immixtos errores.

Iſidorus.

45.47.55.81.&.88. Item cauſis.12.q.1.&.16.q.7. Et de Conſecratione, diſtinctionibus.1.&.4.

Gelaſius. Succeſſit Gelaſius. & hic apertiſſime reuelans impoſturas, damnauit libros illos octo, nomine Clemētis, dicens. Item Itinerariū nomine Petri Apoſtoli, quod appellatur ſancti Clementis.libri.8.apocryphus. Poſtremò librum illū in quo vltimo capite inſertus erat canon de ſuſcipiendis libris Clemētis.8.damnat, dicēs. Liber Canonū Apoſtolorū apocryphus. Hæc Gelaſius.de quibus in cap.Sancta Romana Eccleſia. d.15. Ecce duos codices canonū Apoſtolorū. vnū purgatū ab impoſturis in capitulis.60. Alium cum impoſturis admixtis, qui & reijcitur.

Agathon. Succeſſit Agathon, ſub quo ſexta Synodus recepit librū canonū Apoſtolorū, in octuaginta quinq; capitulis, vti dictū eſt. Quæ autem erant hæc.85.capita, dicendū, q̃ ſine dubio ad regimen Eccleſiæ erant pertinētia, & nihil de libris canonicis, vel nō canonicis tractabant. Quod operępreciū fuerit apertius enucleare.

Arguitur falſus liber canonum apoſtolorum. 1. Primū, ſuprapoſitū caput.84.in ordine, ſicut dictum eſt, de Euāgelio Ioānis tractat, quod nō potuit Petrus apoſtolus cōprobaſſe, qui ante eius publicationē occiſus eſt. Item de Apocalypſi

Iypſi Ioannis ibi verbũ nullũ, quẽ librũ quan 2.
tumuis Clemẽs nõ approbaſſet, nõ potuit Sy
nodus ſexta ignorare à Carthaginenſi cõſilio
approbatũ, vti ſupradictũ eſt. Prçceſſit autem
Synodus tertia Carthaginẽſis plus ducẽtis an
nis Synodũ ſextam. Itẽ quomodo libros Cle 3.
menti aſſcriptos, à Gelaſio iam dãnatos, ap
probaſſet? Secũdo etiã oſtẽditur à ſexta Syno *Arguitur ſecundo.*
do nõ approbatos canones Apoſtolorũ, qui
de libris recipiẽdis tractarẽt. Nam ſexta Syno
dus primũ ſub Conſtantino cõgregata, qui cç
pit imperare anno dñi. 670. (multo ſecus q̃ glo
ſator Decreti exiſtimet ſup. cap. Habeo. d. 16.)
nõ erat approbatura libros Clemẽtis illos, ex
quibus vel maximè Monoſcelitç, cõtra quos
Synodus potiſſimè cõuenerat, errorem ſuum
de vnica in Chriſto voluntate aſſerenda, ſtabi
liebant. Perſpicuũ ẽm erit legẽti libros illos
& illũ damnatũ errorem & alios plures ex le
ctiõe illa ſcaturire. Præterea, cõgregata Sy *Argu. 3.*
nodus illa, nullos canones edidit. Mortuo au
tem præmaturè Conſtantino, iterũ cõuocata
Synodus ſub Iuſtiniano eius filio, canones ec
cleſiaſticos promulgauit, ad correctionẽ Ec
cleſiæ. Ad correctionẽ, inquit, quæ vox, mo
res reſpicit, nõ fidem. Hæc om̃ia cap. Habeo.
d. 16. in Decreto continentur.

Quoniam

Quoniam autē nō ijdem mores ſunt Græcis & Latinis: octuaginta quinq; canones ad regimen Eccleſiæ Græcanicæ vtiles inuenti in libro illo Canonū Apoſtolorū, ſecluſis hæreticorum additionibus, inuenti ſunt inutiles ad regimē Eccleſię Latinæ, pro moribus tempore mutatis: præter quinquaginta à Leone excerptis, vti ſupra dictum fuit. Qui autem eſſent illi, conſtat ex libro vbi colliguntur.

Sed quid reſpōdendum eis qui oſtendunt Canonem prædictū de libris ſumendis ac recipiendis, eſſe cap̄.84.& vltimū codicis Canonum Apoſtolorū? Certè mihi hoc ipſum q̄ cap.84.& vltimū, in eo libro eſt, oſtēdit, quòd codex is falſatorū canonum eſt. Nam octuaginta quinq; cap̄. aſſeruit Synodus ſexta, non octuaginta quatuor. Quòd ergo diminuta ſint capita, induſtriam falſatorū ſubolet, qui ne appoſitiones ſuæ excluderentur, partito capitulo quopiam in duo, vnde fierēt octuaginta ſex. & ſic appoſitio quaſi redundans deflueret, prudenter intra.84.capita continuerūt. vt ſemper maneret annumeratū Canonib⁹ Apoſtolorum, additamentum ſuum. Vnde miror quid venerit in mentem Typographis Lugdunenſibus, vt in fine Decreti addiderint Ca

nones

nones illos Apoſtolorum (falſatos inquam) cum.84.cap. de libris recipiendis, quod ſupra poſitum eſt. Vidi autem duo exemplaria in Germania impreſſa, multū ab exēplari Lugdunenſi diſſidentia. & in numero canonū.60. &.50. & in verbis & clauſulis. In neutro tamē reperi canonem de libris, qui in Lugdunenſi habetur.

De libris Hezræ 3. & 4. dubium.

SVPEREST nūc de illis libris tertio ac quarto Hezrę dicere, quare explodantur, quū videatur eorū lectio quodammodo neceſſaria. Nam quantū attinet ad tertiū librū, videtur caput primū apprimè cōducere ad genealogiam Chriſti in Iudæos conuincendam, vti Matthæus cap.1.tradit. Namq; ibi dicitur ꝙ Iechonias fuit filius Ioſię, vti habetur.3.Hezræ.1. Item.3.Hezræ.7.dicitur ſic. Et omnis qui liberatus eſt à prædictis malis, ipſe videbit mirabilia mea: reuelabitur eñ filius meus Ieſus, cum his qui cum eo ſunt.&c. Locū hūc citat Ambroſius ſuper cap.1.Lucę, in fine. Itē Cyprianus in Epiſtola ad Pompeianum, citat illud.3.Hezrę.3. Veritas valet & vincit in æternum. Si ergo iſti ſancti doctores teſtimoniū aſſumunt libri.3.Hezræ, quomodo nō erit canonicus? Quantum autem ad quartū librū

Hezræ attinet. habetur cap.3.de peccato Adę doctrina lucidiſſima,& multa per totũ librum habentur ſatis cõducentia fidei noſtræ: inter quę mirũ q̃ quadret cap.2.de Baptiſta ac Apoſtolis.12.tanquam fontibus ac arboribus totidem: propter quæ Adrianus Finus lib.6.cap. 17.ſui flagelli contra Iudæos,libros iſtos ſuſpicit,ac in Decreto putat approbari.

Reſpõſio. Quare apochryphus ſit liber.3. Veruntamen exiſtimo libros iſtos ideo ab Eccleſia non eſſe probatos: quia non ita conſtant, nec in confeſſo ſunt multa quæ in dictis duobus libris continentur,quo ſpiritu dicta ſint. Propter quæ & Hieronymus in præfatione ſuper Hezram, appellat libros iſtos tertiũ & quartum,ſomnia. Præterea manifeſtum eſt eum qui in certamine de fortitudine vicit:veritatem ſuper omnia aſſerens fortiorem, non fuiſſe Zorobabelem:quia cap.3.vocatur iuuenis: quod nomen Zorobabeli non potuit pro tunc conuenire. & cap.5. vocatur Ioachin, filius (tertius) Zorobabelis. Et tamen cap.3.vocatur is ipſe Zorobabel. vbi dicitur. Tertius, qui dixerat de mulieribus,&veritate, hoc eſt, Zorobabel,cæpit loqui,&c. Propter quod neceſſum eſt exiſtimare appoſitionẽ alicuius ſcioli eſſe verba hęc.Hoc eſt Zorobabel: vel certè librum

librum totũ eſſe reſperſum falſis aut ſuſpectis aſſertionibus, aſtruendum, conſequenterq́; reſpuendũ, vti mater Eccleſia facit. Verũtamen inſerũtur quędã vera ac ſancta, & myſterijs noſtræ fidei cõgruentia: proptereaq́; ſumũtur à plæriſq́; doctoribus. Refert autem dicere in apocryphis libris, nõ eſt autoritas canonica: quod verũ eſt. & dicere, in eis non eſt veritas canonica, quod falſum eſt. Multa enim vera ac ſancta in eis libris cõtinentur, vti ſunt ea, quæ proferuntur ab Ambroſio & Cypriano, & alijs. At quamuis plæraq́; interſerta cõmoda ſint, non ſtatim propterea ab Eccleſia pro canonicis libris erãt recipienda. Noluit enim Sancta mater noſtra anſam præbere Iudæis calumniandi aſſertiones catholicas. Nam neque Apoſtoli Pauli Epiſtolas, quæ ad Senecam dicũtur, inter Canonicas aſſeruit. Licet etiã à principio in aperto fuiſſet eſſe Pauli, qa à principio non fuerũt ſuſceptæ vti ab ſpiritu Dei dictatę. Fortaſſis olim noſtri ſancti patres ſpiritu ſancto afflati cognouerũt quæ Paulus vt homo ſcripſit, quæ etiã vt Apoſtolus, Doctor gentiũ, & prędicator diſſeruit. vnde & inter eius opa diſtinxere. Idipſum Catharinus Poly. in clauib⁹ ſuis opinatur, eandem rationẽ

Refert dicere apocryphus eſt aut nullum verũ continet.

Vltra perſonā Apoſtoli requiritur aſsiſtētia Spiritus ſancti.

aſſignās, quare nō ſint Epiſtolæ iſtæ ad Senecam ſuſceptę cū alijs inter canonicas, adiūctę quatuordecim receptis. Non em̄ ſufficit perſona Apoſtoli ad aliquod ſtatuendum: ſed requiritur ꝙ non ſola ſit, ſed ſpiritu ſancto Chriſtoq́ꝫ ſociata. Nam etſi Ioannes dicat. Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimoniū perhibet de ijs, & ſcripſit hæc. ſubdit, quaſi non priuata perſona, ſed publica. Et ſcimus quia verū eſt teſtimonium eius. loquens in totius Eccleſiæ perſona. Probauit autem hoc tota Eccleſia: vnde fidelis ſermo, & omni acceptatiōe dignus. Habes malus per omnia argumentū ad hoc ab eodem Catharino adductū, de Seruatore noſtro, dicente. Ego ſi teſtimoniū perhibeo de meipſo, teſtimonium meum non eſt verū. Et iterū, parum infra. Et ſi ego teſtimoniū perhibeo de meipſo, teſtimoniū meum verum eſt: quia ſolus nō ſum: ſed qui miſit me Pater mecum eſt. &c. Hæc inquit, ſic intelligi oportet, vt teſtimoniū Chriſti hominis, quantumuis certiſſimum in ſe: at hominibus, qui non ſoliti ſunt cuiuſquam de ſeipſo teſtimoniū accipere, non facit fidem. Rurſus, teſtimoniū eiuſdem Chriſti hominis cū Patris aſſiſtentia, pleniſſimam fidem faciebat. & verū erat homini

bus

bus teſtimonium, quantumlibet iniquis. Aſſi ſtentia autem Patris, in operibus quæ Pater dederat ei, vt faceret, maximè oſtendebatur.

Corroboratur autem hæc Catharini poſitio Gregorij dictis .29. Moraliũ lib. cap. 5. De Helia inquit, mirum eſt, quomodo is potuit cœlum claudere annis tribus & menſibus ſex, iterũmque in vberrimas pluuias aperire. quiq̃ ignẽ de cœlo deſcendere fecit, ac duos quinquagenarios exuſſit. à facie mulierculæ fugit: mortemq̃ timens, mori petiuit. Sed ſi altiori cogitatione penſatur: homo reperitur is, qui virtute Dei mirabilia fecerat. qui ſecundum virtutem Dei miracula ediderat ad ſalutẽ credentium: homo reperitur qui patitur humana ad doctrinã infirmantiũ. Sic & nos ad propoſitum, ſi in ſanctis inuenitur, in operationibus ſuis humanum, quid mirum ſi in verbis, aut quandoq; ſcriptis (maximè quæ nihil ad rem Eccleſiæ faciunt) inuenitur etiam quid humanum, vt loquantur vt homines. Nec propter hęc ſtatim ſequitur, non fuiſſe plenos repletosq̃ ſpiritu ſancto. Aderat enim in om̃ibus, & per omnia ſpiritus ille ſacer, quãdo res agebatur Eccleſiæ. At vt homines quandoq; timebant, dormiebant, ac cæteris humanitatis Gregorius.

officijs fungebantur.

Reſponſio ad dubia quæ poſſent oriri.

EX HIS igitur poterit exhiberi ratio cauſis dubitandi, quare ſancta mater Eccleſia libros, tertium nempe ac quartum Hezræ non ſuſceperit: quia non conſtabant ſpiritu diuino eſſe editos: imò ſemetipſum manifeſtũ oſtendit ſpiritus humanus, eos confingens: & propter aliqua vtilia inſerta, nõ vult recipere manifeſtiſſima ſomnia. Genealogia enim Seruatoris, ſatis, ſuperq; fidem nobis facit, quũ Iudæis illius temporis contradictoribus, Matthæo illam ſcribente, fidem fecit, nullámque tunc repulſam, aut contradictionem pertulit. Cætera iam abundè diſſoluta ſunt in contrarium argumenta.

Excuſat Hieronymũ Driedon & nõ bene.

De Hieronymi autẽ ſententia, qua libros aliquot nõ canonicos aſſerit, quos nunc pro canonicis Eccleſia cognoſcit. Exiſtimat Driedon dicendũ, quòd non aperit mentem ſuam vel Eccleſiæ aſſerat dogma: ſed quòd iuxta Iudæorum poſitionem id dicat. Veruntamen hoc nequit defendi. Nam verba Hieronymi

Arguitur Driedon.

hæc ſunt, in prologo Galeato. Igitur Sapiẽtia, quæ vulgò Salomonis. & Ieſu filij Syrach liber. & Iudith. & Thobias. & Paſtor, non ſunt in canone. &c. Ecce adiungit Paſtoris librum,

qui

qui Chriſtianorū eſt, nō Iudæorū. Annumerans igitur nouellum librū naſcentis Eccleſię (repudiatum) libris veteris Teſtamēti: non loquitur de mente Iudęorū, ſed propria. At qd inde? Num Hieronymus arrogat ſibi cenſuram harū rerum? Nuper notauit Catharinus Polytus Thomam de Vio Gaietanū Cardinalem, ſcribentem, Hieronymū eſſe normam ad res huiuſmodi regulandas. Certè differimus multū Hieronymo, viro rarę eruditionis cœlitus deſtinato, ad res ſcripturæ ſacræ intelligendas, & interpretandas. At hominē ſcimus qui nō omnia potuit, mēdicantem à Rabinis clanculario Iudaicā traditionē, laborātemq́ librorū penuria. qui ſcis, ſi ad manus eius nō peruenit de his rebus Eccleſiæ definitio. q ſi peruenit, fortaſſis præpeditus circa hæretico rum ac emulorū cōuincendas & reuellendas hęreſes, ac calūnias, nō vacauit id recognoſcere. Tandē quid: ſi hos Hieronymus nō canonicos liberalius dixit. Num propterea in ius reuocādus erit? homo ſyncerę catholicæq́ fidei acerrimus propugnator, colūnaq́ ſanctæ matris Eccleſię. Nondū Eccleſiaſtica deciſiōe in apertū propoſita. Simile de ſimilib⁹ ſanctorū dictis iudiciū eſt. *Et hæc de iſta. 2. Annotatione.*

Hieronymi excuſatio aptior.

ANNOTATIO III.

Quomodo Eccleſia ſuſceperit libros Veteris Teſtamenti, quos non ſuſceperat Synagoga?

Omne verum ab ſpiritu ſancto eſt.

PRIMVM illud ſciendum: omne verum ab ſpiritu ſancto originem ſumere, qui infundit vim intellectui, mouetq́ꝫ vltra inditam rationem naturę capaci, ad actus ſpeciales illuſtrãs particulariterq́ꝫ illuminans. Sed quũ hoc generaliter ita ſit: ſpecialiter tamen loquutus eſt per prophetas, vt ſermo per ora prophetarũ pronũciatus, dicatur principaliter ſpiritus ſancti oraculum: eo videlicet, quòd particulariter, ſingulariterq́ꝫ ad negotium mundanæ reparationis, his ſanctorum librorũ autoribus vſus eſt. Loquitur de Oraculo Polycraticus de nugis Curialium & veſtigijs philoſophorum. lib. 2. cap. 5.

Oraculũ quid.

Polycraticus.

Quantum igitur attinet ad firmitatem, nil refert, quis autor fuerit minus principalis alicuius ſcripturę, quum de principali conſtet in aperto, fuiſſe ſpiritum ſanctum. At propter reſpectus

ſpectus alios, iuuat noſce organa per quæ loquutus eſt ſpiritus ſanctus: autores videlicet, ac ſcriptores diuinarū reuelationum, vt ſic autore agnito, facilius perſpiciatur ſenſus in literis, qui quandoq; quærendus eſt ex phraſi. Secundumq; autoris maiorem, minorem'ue illuminationem, ſcriptura eius pluris minoris'ue eſt ad eruendos myſteriorum profundorum ſenſus: & ſecundum hoc differūt ſcripturæ, per prius & poſterius: ordine videlicet primo, vel ſecundo, vel tertio, vti iam ſupra aliquantulum tactum eſt.

Autores minus principales ſcripturæ.

Secundū quid differant ſcripturæ per prius & poſterius.

Hoc iam manifeſtè notum eſt in libris Noui Teſtamenti, quorum omnium primatū obtinent Euangelia ſancta. Præcellunt enim cæteras ſcripturas ſenſibus multiplicibus ac dignioribus: nempe fidei religionisq; fundamentum ſtabilientia. Licet enim quantū attinet ad quędam Eccleſiaſticarum traditionum decoramenta, ex Actis Apoſtolorū & Epiſtolis Pauli, ſumantur argumenta, pondus tamē totum breui methodo in Euāgelijs pręcipuè recognoſcitur. Ecce habetur Actuū. 2. quòd erant diſcipuli perſeuerātes in doctrina Apoſtolorum, & cōmunione & fractione panis & orationibus. Hinc ſumitur argumentū ad ſa-

In Euāgelijs fidei fundamentum eſt.

Demiſſæ ſacrificio. cramlyturgiam in Miſſis celebrari ceptis ab Eccleſia primitiua. Idem ex Paulo ſumitur. 1. ad Corinth. 11. Conuenietibus vobis in vnū. &c. Item. Cætera quum venero diſponam. At hoc iam in Euangelio cōtinetur abundè, quo modo mandauerit Dominus, dicens. Hoc facite in meam cōmemorationem, aliàs ad renouandam mei memoriā. Lucæ. 22. Quomodo item ſuſceperint, in vſuq; habuerint diſcipuli. Lucæ. 24. Cognoſcentes dominū in fractione panis. vti Auguſtinus intelligit, in De concordia Euangeliſtarum.

Debaptiſmi celebritate. Secundo argumentatur baptiſmi ſolemnitas ex chriſmatis vnctiōe, Actuū. 11. eo q; Antiochiæ primum cepti fuerint nominari Chriſtiani, quod nomen à chriſmate deriuatū Dionyſio compertū eſt, in de Eccleſiaſtica hierarchia, cap. 4. parte. 3. Auguſtino quoq; libro de Doctrina Chriſtiana. At hoc ipſum habetur ſatis copioſe in Euangelio Matthæi, cap. vltimo. Baptizantes omnes gētes, docentes eas ſeruare omnia quæcunq; pręcepi vobis. Inter quæ & illud eſt, quòd niſi quis renaſcatur ex aqua & ſpiritu ſancto, &c. Pertinet autē ad ſpiritus ſancti vim, vnctio illa chriſmatis, inſigniens baptizatum, donatū chariſmatibus ſpiritualibus:

ritualibus:vti & Rabanus lib.3. ſuper Epiſtolam ad Epheſios ait. Poſtquam aſcendit baptizatus de fonte, ſtatim ſignatur in cerebro ſacro chariſmate, vt Chriſti regni particeps fiat, & à Chriſto Chriſtianus poſſit vocari.&c. Habetur hoc etiam de con.d.4.cap.Poſtq̃.Ex eo autem quod Dominus ait.Docentes ſeruare &c.nati ſunt catheciſmi, inſertiq́ ſunt exorciſmi, temporis diſcurſu. Rabanus. Decõ. d. 4. Poſtquam.

Sic poſſemus per ſingula diſcurrere, commonſtrantes in ſanctis Euangelijs omnia inueniri, quotquot Eccleſia tradit, originariè quidem, & quaſi in ſeminarijs, vnde temporis diſcurſu eruta ſunt, in apertumq́ propoſita.

PRAECELLVNT itaq́ Euangelia ſancta generalitate, copia, dignitateq́ ſanctorum dogmatũ, tam circa fidem, quàm circa ſpem, moresq́ charitatem expectãtes, & cætera pertinentia dignaq́ homini Chriſtiano. Præcellunt inquã cęteras ſcripturas Noui Teſtamẽti:& ſecundũ hoc penitius inquirimus ſenſum in eis quàm appareat in cortice literę: plus q́ re veriſſima inuenimus, ſemper catholicis theſauris ditiores effecti. Quin & inter ipſos quatuor Euangeliſtas, ſic iuxta tempus ſcribendi eorum, ordinatos, vt Ioannes poſtremus Euangeliorũ excellentia.

ſit, volens mundo in perpetuam memoriam tradere, ea quæ ſubticuerant cæteri, intacta relinquentes, agnoſcimus ſubtiliora rimantem, apertéq; nobis tradentem, veréq; ſeſe nobis aquilam præſtantem Ioannē ipſum. Et quam maximè referat nos ea noſce, ſubtiliſſime oſtēdentem. Quod vt cætera fidei noſtræ pertinentia ſubticeamus, ad articulos venientes, quid potius articulo Trinitatis & vnitatis diuinæ? quidq; neceſſarius cognitiōe diſtinctionis ac emanationis diuinarū perſonarum? At habemus hoc Ioāne ſcribēte lucidius, quamuis cæteri non tacuerint Euangeliſtæ. Dixerat in prima Canonica Epiſtola. ca.5. ſic. Quoniam tres ſunt qui teſtimoniū dant in cœlo. Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus. Et hi tres vnum ſunt. In Euangelio autem ait. In principio erat verbū. habes Patrem & Filium. De Spiritu ſancto verò ait. cap. 14. Paraclytus autem ſpiritus ſanctus, quē mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. In cap. etiā. 15. vt innumera loca prætermittam, ſic habet. Quum autem venerit paraclytus, quem ego mittam vobis à patre, ſpiritū veritatis qui à patre procedit, ille teſtimoniū perhibebit de me. &c. Ecce habes & ſacram triadem: & inſuper diuinarum perſonarū proceſſionem. Filij

Articuli fidei probātur ex Euangelijs.

vtiq;

vtiq; à patre ſolo. Spiritus ſancti verò à patre & filio. Nam in cōſilio inchoato Ferrariæ ſub Eugenio PP. anno dñi. 1438. & concluſo Florentiæ anno ſequēti. 1439. ad effectū vnionis Eccleſiæ Græcanicæ cū Latina, ſuper ea particula Symboli, Filioq; procedit, quam nos habemus in noſtro Romano Symbolo à Damaſo PP. edito: & ipſi nō habent in ſuo Symbolo Conſtantinopolytano ſub eodē Damaſo PP. edito: ſed habēt. Et ex patre procedentem. Ibi inquā, re diſcuſſa cōpertū eſt ex Ioānis dictis, phraſiq; locutiōis, ac ſcripturę eius doctores tam Gręcos, q̄ Latinos, intellexiſſe proceſſionem ſpiritus ſancti, ab ambabus diuinis perſonis, Patre & Filio: ſicq; autoritatis illius iam citatæ, Spiritū veritatis, intellectū perceperūt, vt intelligatur, ſpiritum filij (quia & filius veritas eſt) ab eo ſcilicet procedentem. vti etiam Paulus innuit ad Galat. 4. Spiritum filij ſui. Item ad Roma. 8. Si quis ſpiritum Chriſti nō habet, hic non eſt eius. Eo quoq; modo conſilium Toletanū. 11. ſub Bamba rege intellexit ad Trinitatem pertinere illud Pſalmi. 146. Magnus Dominus noſter, & magna virtus eius: & ſapientiæ eius nō eſt numerus. Intelligentes Patrem, in verbo Dominus noſter. Filium in verbo Sapientiæ. Spiritum ſanctū in

Conſilium Ferrarienſe ſub Eugenio.

Conſiliū Toletanum. 11.

verbo Virtus eius. Sic notũ eſt quàm præſtet ſcriptura ſacra Euãgelij Ioannis, quę verbis penè ſingulis multa myſteria comprehendit: quemadmodũ cap. 8. ait. Ego & pater vnũ ſumus. vbi Auguſtinus. Quòd dicit vnum, liberat ſe ab Arrio: ꝙ dicit ſumus, liberat te â Sabellio. Nedum enim obſeruatur ſcripturæ contextus ad fidem rerum creditarum habendam ac ſtabiliendam, verum etiam vocabulorũ delectus, præpoſitionumq́ natura & vis: vt ex his deprehendatur reconditus penitius literalis ſenſus. Non eñ vacat ab animaduerſione, quod dixerit, apud, quũ dixit, verbum erat apud Deum. Nec parum refert dicere de vel ex, quod & ſancta mater Eccleſia iam inſinuauit in Symbolo, dicens. Ex patre natum. Lumen de lumine. &c.

August.

Differunt de & ex.

Diuerſi gradus prophetiæ,

NVNC ANNOTANDI *ſunt diuerſi gradus prophetiæ ſecundum quos etiam diuerſitas reperitur inter ipſos prophetas, ac eorum ſcripturas.*

Figuerola Valẽtinus

HEBRAEI doctores (vti refert Figuerola Valentinus Canonicus & doctor egregius (parte prima contra Iudæos) diſtingunt in quinque gradus prophetiam.

Primus gradus.

Primus gradus eſt, quando fit illuſtratio diuina per abſtractionẽ à ſenſibus exterioribus,

bus, ſicut fit in ſomno, extaſi, & raptu. Exemplum primi, Danie.7. Videbã in viſione mea nocte. & ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno. &c. Dixerat autem prius in principio capituli. Anno primo Balthaſſar regis Babylonis, Daniel ſomnium vidit. Similiter in nouo Teſtamento legitur Matth. 1. Ecce angelus domini apparuit in ſomnis Ioſeph &c. Exemplum de extaſi Gene. 2. Immiſitq; dominus Deus ſoporem in Adã. Super quo loco Auguſtinus Eugubinus ait quòd Aquila vertit Hebraicum verbũ in καρον, id eſt, profundum ſomnum, ac quaſi lethargicum. Septuaginta verò verterũt in εκστασιν, hoc eſt, mentis receſſum, & alienationem, quæ erat etiam antiqua lectio Latina, & ſic eam exponit diuus Auguſtinus. Idem autem verbũ ponitur in Hebraico textu Gene. 2. & in Iona ſtertente, de quo Adrianus Finus lib. 2. ſui Flagelli. capite. 17. Exemplum de Raptu. 2. Corinth. 12. Raptum huiuſmodi vſq; ad tertiũ cœlum.

Auguſtinus Eugubinus.

Adrianus Finus.

SECVNDVS gradus prophetię eſt, quando fit in vigilia per imaginariam viſionẽ, ſic quòd tanquam in quodam exemplo contemplatur Dei reuelationẽ. Exemplum huius eſt Ezechielis. 1. A. Aperti ſunt cœli, & vidi viſiones

Secundus gradus.

ſiones Dei.& infra.Vidi & ecce ventus turbi
nis veniebat ab aquilone. &c.

Tertius gradus. TERTIVS gradus prophetiæ eſt,quando in vigilia apparet angelus & docet, vt patet Danie.9. Ecce vir Gabriel.&c. Et omnes hi modi fiunt cum aliqua corporis immutatione ad terrorem & debilitatem:ſicut Danie. 10. Et non remanſit in me fortitudo.&c.

Quartus gradus. QVARTVS gradus prophetię eſt,quum ſola mentis illuſtratione intellectus illuminatur & eleuatur ad notitiam veritatis ſupernaturalis: vti Dauid habuit, de quo Pſal. 118.Super ſenes intellexi.

Quintus gradus. QVINTVS gradus prophetiæ eſt,quando additur ſupradictis modis dignitas ſpecialis,in tribus maximè. Primo quū figura humana,vel alia quapiam loquitur Deus pręſentialiter.vt Num.12.b.Si quis fuerit propheta domini inter vos,in viſione apparebo ei,vel per ſomniū loquar ad illum. At non talis ſeruus meus Moyſes,qui in omni domo mea fideliſſimus eſt: ore enim adloquor ei,palam & non per enigmata & figuras Deum videt. Secundo quū familiariter,ſicut amicus cum amico. De quo Exo.33. Loquebatur facie ad faciem, ex quo ſequitur quòd non terrebatur.

Tertio

Tertio quum loquitur Deus ei pro libito voluntatis: quando vult. de quo patet Num. 9. State hic vt conſulam quid præcipiat Dominus de vobis. Item Num̃. 19. in querela filiarum Celphaat dicitur: Retulit Moyſes cauſam coram domino. De Aaron autē dicitur Leuit. 16. Loquere ad Aaron fratrem tuũ, ne omni tempore ingrediatur ſanctuarium. Ex quo patet quòd nõ ſemper habuit Aaron prophetiam, ſed tempore determinato. Nec de omnibus quæ volebat habuit reſpõſum: ſed de ijs quæ Domini indulgentia donabat.

Namq; ſi nõ licebat ei ingredi Sanctuariũ ſecretũ, id eſt, Sancta ſanctorũ pro libito, certũ eſt nõ eum habuiſſe in poteſtate prophetiam. Moyſi em̃ cui licebat pro libito ingredi, & alloqui angelũ ſedentem in propitiatorio inter cherubin (erat enim propitiatoriũ ſedes eius, ad modum ſellæ poſitæ inter alas cherubin. Exo. 15.) ad reſpõdendũ interrogationibus & petitiõibus. licebat etiã eũ videre, ideſt, in humana quadam effigie ibi apparentē aſpicere, ſicut viderat eum iam in Syna. Et propterea quum præciperetur Aaron, & cæteris pontificibus ſummis, ne ſine nebula ingrederentur thimiamatis, quum illuc eſſent ingreſſuri, vt non

Quid ſit loqui facie ad faciem.

non viderent effigiẽ illam angeli,& morerentur. Moyſi non oportebat cum fumo ingredi, quia licebat ei aſpicere formam angelicam.

Gentiles à Iudęis mutuati ſunt tutelarem deum.

Nota autem circa hæc: quomodo ex huiuſmodi ſecreto Iudaico, gentes ſimile quid ſibi metipſis auſpicatæ, in penetralibus templorum ſuorum tutelares deos crediderunt. Citat & Verrus Flaccus autores quibus credat, in oppugnationibus vrbium ante omnia ſolitũ à Romanis ſacerdotibus euocari Deũ, in cuius tutela id oppidum eſſet: promittiq́ꝫ illi apud Romanos eundem aut ampliorem locum cultum'ue. Sic miſerè cæca gentilitas aberrabat.

Vnde dicatur prophetia.

VT AVTEM profundius hęc materia veſtigetur, notandum eſt documentũ ſignificationis huius nominis prophetia, quod à propheta dicitur. Propheta autem quaſi procul phans, & loquens de procul. de ijs, videlicet, quæ procul ſunt & remota ab humana cognitione. & hoc, ſiue propter conditionem rei cognitæ vel cognoſcendæ, ſiue propter cõditionem cognoſcentis, ſiue propter conditionem modi cognoſcendi. Exemplum primi eſt in notitia myſteriorum ſacrę Triadis, vbi eſt eminentia inſcrutabilis per humanam rationem.

De quo

De quo Eſaias.6.cap. Sanctus Sanctus Sanctus dominus Deus Cebaoth.&c. Et.1.Ioannis.5. Quoniã tres ſunt qui teſtimoniũ dant in cœlo. Pater, Verbũ, & Spiritus ſanctus, & ij tres vnum ſunt. Similes etiam ſunt cognitiones de reliquis diuinis myſterijs, vti ſunt Incarnatio domini, effectus etiam eius mundo redundans per ſacramẽta diuina.&c. Omnes hæ ſunt prophetales notitiæ iſto primo modo, quoniam ſunt de diſtantibus propter eminentiam. Sed quandoque diſtant res propter ſui profunditatem, qua ſecretæ ſunt, vti ſunt cordis cogitationes, quæ ſoli Deo manifeſtæ ſunt. De hoc habetur Actuũ.8. ꝙ cognouit Petrus Simonis magi cogitationẽ, intendentis vendere ac negociari gratiam ſpiritus ſancti. Sicq́ꝫ dixit ei. In felle amaritudinis video te eſſe, & colligatione iniquitatis, &c. Diſtant quoqꝫ tertio, res à cognoſcente ſecundũ locũ vel tempus: vt Helizeus diſtans à Giezi, cognouit quæ is cum Nahaman Syro, longè iam ab ipſo diſtante, egerat. 4. Regũ. 5. vt etiam Moſes cognouit quæ prӕterita fuerant multis iam retro ſeculis, quæ ipſum præceſſerant. Similiter omnes prophetӕ, quæ poſt ventura erant prophetarunt.

Excm

Exemplum ſecũdi modi diſtandi rerum à cognoſcente, videlicet ſecundum conditionẽ cognoſcentis, vti Ahias Silonites cæcus, habens vxorem Hieroboam pręſentem, cognouit eam eſſe, ſine hoc quòd aliquis de illa verbum ei faceret, imò intrante ipſa diſſimulato habitu limen domus eius, cognita fuit ab eo cæco: & cauſa eius aduentus ei reuelata, cum reſponſo ad quæſtionem proponẽdam de rei exitu. De quo. 3. Reg. 14.

Exemplum tertij modi diſtandi rerũ à cognoſcente, ſecundum modum cognoſcendi, videlicet, infuſum, vt Salomon. 3. Reg. 4. non per exercitiũ ſtudij, ſed per inſpirationem habuit notitiam animalium ac plantarum. Similiter ij qui per operas malorũ ſpirituũ ſcientiã aliquam acquirũt: vti de Merlino iam inuulgatũ eſt. & de alijs multis, quibus contigit adquiſiuiſſe ſciẽtias aliter q̃ per ſcholæ exercitiũ.

De Merlino.

Quicunq; igitur ea quæ procul ſunt ab humani intellectus conditione loquitur, is propheta rectè dici poteſt.

Aſtrologi non ſunt prophetæ.

EX HIS ſequitur, quòd quũ aliquis per Aſtrologiæ canones rectè calculatos prædicit quicquam de naturalibus effectibus, ſeu rerũ contingentijs ſecundũ orbium cœleſtiũ influxum,

xum,& ita euenit, is non debet dici propheta: quia huiuſmodi cognitio non eſt de excedentibus facultatem humani intellectus, quum conſtet multa prædici poſſe per aſtrologicam ſcientiam de futuris contingentibus naturalibus: quamuis etiam huic notitiæ aſtrologicæ admiſceatur aliquarũ rerum euentus propheticè prædictus ab alijs. Cuiuſmodi fuit Ioannis Lichtembergenſis aſtronomi pronoſticũ. Hic enim ex cõiunctione ♄ & ♃ Saturni & Iouis, die.25.Septembris, anno domini.1484.hora.6.minutis.4.poſt meridiem: adaptans quaſdam ſanctæ Brigitæ prophetias, quaſdamq́; Sybillæ Cretenſis, & Abbatis Ioachim, ac cuiuſdã heremitæ Reynardi Lolhardi, pronoſticauit multa euẽtura Imperio Romano, ab eo anno.1484.vſq; ad annũ.1567. Compoſuitq́; librum, quem ego vidi & legi impreſſum anno domini.1505. in quo multa dicit de Maximiliano Imperatore. Inter cætera prædicit ꝙ terra Brandẽburgẽſis erat Iudaizatura ab anno domini.1502. Item cap.35. dicit quòd exercitus Imperialis erat expugnaturus Romã, ac multa mala in ea patraturus, torquendo & occidendo clericos. Libet autẽ ponere quędã verba, vti originaliter ibi habẽtur. vt ſequit.

Nota pronoſticum.

Hęreſis Lutheri prędicta.

Franciſci regis Frãciç captiuitas prædicta.

PRAETEREA circa annũ domini. 1504. vel vltra, maior & ſublimior princeps Rex totius occidentis mirabiliter fugabitur & deducetur in prælio: ac totus ferè nobilis eius exercitus mirabiliter occidetur. Et potiſſimè erit turpiſſima ſtrages & lamentabilis proſtratio, & occiſio multorum magnorũ dominorum ac potentũ. Ita quòd non remanebit propter hoc negociũ: quinimò antequam in Gallijs ſit pax, talis vel peior priore euentus turpiſſimè & mirabiliter per plures vices eueniet. Quarum in vna idem princeps nobiliſſimus captiuabitur. Captiuabitur à ſuis inimicis euentu lamẽtabili, & affligetur dolore propter ſuos. Aquila volabit per mundũ, & ſubijciet ſibi multas nationes. Quod circa annũ domini. 1517. vel vltra, tribus coronis in ſignum victoriç & virtutis coronabitur. &c. Proſequitur autẽ de captione regis Franciæ, vbi mirum quomodo prædictum ſit omne quod poſt euenit Franciſco inclyto regi Franciç. Et hæc ſufficiant de pronoſticis.

Prophetç dçmonũ.

SEQVITVR ſecũdo, poſſe multos ſecundum dæmonum denunciationem prædicere plura, ad quæ prænoſcenda non valet huma na imbecillitas, & hos verè poſſe dici prophe

tas.

tas. Sic habetur etiam diſtinctio veri prophe
tæ à prophetis dęmonum. Deut. 18. Habetur
etiam frequens mentio prophetarũ Baal, ac
Lucorũ, in ſcriptura: ſignanter. 3. Reg. 18. De
ijs Auguſtinus contra Manichæos. & habe- Auguſtinus.
tur. 37. d. cap̃. Si quid. vbi dicitur. Si quid veri
de Deo Sybilla vel Orphæus, alij'ue gentiliũ
vates, aut prophetæ prædixiſſe perhibentur,
valet quidem ad reuincendam paganorũ va-
nitatem, non tamen ad iſtorũ autoritatem cõ-
plectendam: quantũ enim diſtat à Chriſti ad-
uentu, inter prædicationem angelorũ, & con-
feſſionem dæmonũ, tantum inter autoritatem
prophetarũ & curioſitatem ſacrilegorũ. Hæc
ibi. Sed quid de Balaham propheta dicendũ? Balaham.
quem conſtat fuiſſe reprobũ ariolum, prophe
tiam tamen eam Moſes inſeruit ſuo legis li-
bro? Reſpondet ad hæc Adrianus Finus lib. Adrianus.
8. flagelli. cap. 13. Quòd propter fideliũ pro-
fectum immittit dominus verbum ſuum in
ore prophetarum dæmonũ, nõ autem in cor
de. Notatur hoc in ipſis verbis hoc narranti
bus. Num. 25. Dicit enim ibi dominus. Si vo
care te venerint homines iſti: ſurge & vade
cum eis. Verbum quodcunq; dedero in ore
tuo, hoc loqueris. Ecce, in ore tuo ait, non in

 corde.

corde. Eapropter & prophetia eius libro ſancto inſeritur, quia à dño fuit, nõ à dęmonibus.

Quæ requiratur ad rationẽ prophetiæ. HIS prænotatis aduertendum eſt eſſe neceſſarium intellectum ad rationem prophetię. Is enim qui nunc propheta dicitur, olim videns dicebatur. 1. Reg. 9. Danielis etiã. 10. cap. Intelligentia opus eſt in viſione. Sic qui non intelligit, quantumuis diſtantia præſagiat, nõ eſt dicendus propheta.

Pharao. Somniauit Pharao ſeptenarios illos famoſos: at propter hoc nõ vocatur propheta. Sed Ioſeph dictus eſt ab Aegyptijs nobilis coniector, qui ſomnium interpretatus fuit, à nobis autem propheta vocatur. Gene. 41.

Balthaſſar Vidit etiã Balthaſſar articulos manus inſcribentis parietem, ſed nõ propter hoc dicendus fuit propheta, niſi Daniel, qui id aperuit. Danie. 5. Sic Caiaphas loquutus eſt quod futurum erat, videlicet mortem domini ſalubrem, ac perquam neceſſariam, ne tota gens periret. At quia recta intelligentia non percepit quæ dixit, ideo nõ eſt dicendus rectè propheta. Ioan. 11. Sic & Iepte, per ſpiritum in ſe irruentem operatus fuit ſalutẽ populi ſui, ſed nõ propter hoc fuit in tali ope propheta, quantumuis fuerit propheticũ opus illud. Iudi. 11.

Cayphas.

Iepte.

Opera

Operabatur enim tam in hoc, quàm in alijs, is qui aperuit os aſinæ Balaam. Num̃. 22.

IGITVR annunciatio de diſtantibus ſecundum intellectum, conſtituit rationem prophetiæ propriè & generaliter, vt comprehendat omnem prophetiam, quæ verè prophetia eſt, ſiue à Deo, ſiue à dæmone. Caſſiodori enim diffinitio, qua dicit: Prophetia eſt diuina inſpiratio, rerum euentus immobili veritate denuncians. Neq; Ionæ conuenit in prædicatione ſubuerſionis Niniue. Neq; Eſaiæ in prędicatione mortis Ezechię regis: quia neutrius ſubſequutus fuit effectus. Conſtat autem vtrunq; verè prophetam fuiſſe, in eis quæ dixerat, quia loquutus fuerat ea quæ ſibi Deus futura reuelauerat ſecundũ diſpoſitionem cauſarum ſecundarum ad id tendentium. *Quid ſit prophetia.* *Caſsiodorus.*

EX HIS colligitur, quòd quanto maior eſt notitia rerum prophetalium, tanto maior eſt prophetia: quanto clarior, tanto nobilior: quantoq; altiorum rerum, tanto dignior prophetia dicetur. Secundum quę ordinem inter ſe ſumere prophetias neceſſe eſt. *Prophetię gradus in excellẽtia.*

Poteſt enim excedere prophetia vna aliam in pluralitate rerum de quibus eſt, ſicuti Moſes excelluit in hoc cęteros quosq;: cognouit *Primus.*

enim omnia ab initio facta vſq; ad tẽpora ſua: multáque poſt eum ſucceſſura. Inſuper & de myſterijs diuinis habuit cognitionem ſuperexcellentem.

Secundus. Poteſt excedere item in diuturnitate, ſiue in diſtantia rerum euenturarum, quemadmodum & prophetia Balaham arioli. Num. 24. excelluit prophetias aliorũ prophetarum: quia prophetauit ortum Meſſiæ, Imperium Romanum, Vaſtationem Hebræorum, ac finem eiuſdem Romani Imperij: qui adhuc non venit, durante corona Imperiali etiã nunc in Carolo. 5. Rege noſtro.

Tertius. Poteſt inſuper excedere prophetia vna aliã ſecundum rerum dignitatem de quibus agit. Quoniam conſtat, notitiã quantumlibet minimã de rebus diuinis prẹſtare notitiẹ quantũlibet intenſe de rebus humanis. Omnes autẽ conſiderationes huiuſmodi, ſunt extrariẹ ipſi prophetiæ, prout notitia eſt, propriè loquendo. Intrinſicè verò excellit vna prophetia aliam in ſua graduali intentione, quia clarior eſt. Vbi ſciendum, quòd modus intelligendi prophetarum fuit diuerſus in diuerſis.

Diuerſis modis accidit ſpiritus prophetis, primus modus. QVANDOQVE enim prophetæ procurabant ſibi reuelationes à Deo fieri, & conſequeban

quebantur intentum. Quandoꝗ procurantes, non potiebantur optato. Quandoꝗ non procurantibus contingebant reuelationes, & fiebat manus domini ſuper eos. *Secundus* *Tertius.*

Exemplum primi. Daniel, vt aliàs ſæpe ad intelligendum Hieremiæ prophetiam, deprecatus fuit dominum in ieiunijs, ſacco & cinere. Danie. 9. A. & Danie. 10. A. Similiter & Ezechiel cap. 3. D. ait. Manſi ibi ſeptē diebus mœrens, & poſt eos factum eſt verbū domini ad me. &c. Item. 4. Reg. 3. Quum caneret Pſaltes facta eſt manus domini ſuper Heliſeū. &c. Simile quid de Saule intelligunt doctores ſuper. 1. Reg. 10. & 19. quando & Saul inter prophetas nudus ſaltauit, ac prophetauit. Simile etiā de Dauid, qui ad cytaræ in pariete pendentis motum per auram tenuem, eleuabatur quandoꝗ ac prophetabat. Simile quid de multis ſeruis Dei, in vtroꝗ ſexu. Fertur etiam noſtris temporibus, vt ad ſonū lyræ, vel alterius inſtrumenti muſici, in raptum quendam eleuari credantur, & in ipſo raptu multa contemplari ac prænoſce. *Exēplū 1. volēs prophetiā obtinet.* *Saul propheta.*

Exemplum ſecundi, quando procurando prophetiam, non dabatur eam adipiſci. Hiere. 45. Hæc dicit dominus Deus Iſraël ad te *Exēplū 2. volēs prophetiā nō obtinet.*

Baruch, dixiſti. Væ miſero mihi, quoniam addidit dominus dolorem dolori meo. Laboraui in gemitu meo, & requiem non inueni.&c.id eſt. Quæſiui eſſe propheta, & non venit in me ſpiritus prophetiæ. Sic enim intelligunt doctores. Non enim propter humanas inquiſitiones contingit prophetia. vti Petrus Apoſtolus ait cap. 1. Epiſt. 2. Non voluntate humana allata eſt aliquãdo prophetia: ſed ſpiritu ſancto inſpirati.&c. Licet quandoq; præcedentibus diſpoſitionibus præuijs, data cognoſcatur aliquibus.

De hoc Ioſephus 1. de Bello Iudai 1. & lib. 7. cap. 30. &c.

Mirum certè id quod Oniæ contigit Sacerdoti. Hic enim cum aliquibus de populo Iudæorum intrauit Aegyptum, dicens velle implere prophetiam illam Eſaiæ. 19. quæ dicit. In die illa erũt quinq; ciuitates in terra Aegypti loquentes lingua Chananæa, & iurantes per dominum exercituum. Ciuitas Solis vocabitur vna. In die illa erit altare domini in medio terræ Aegypti, & titulus domini intra terminum eius. & erit in ſignum & in teſtimonium domino exercituũ in terra Aegypti.&c. Exceptus autẽ fuit à Rege Aegypti honorificentiſſime, donatusq; ciuitate ad habitandum. Vbi erecto altari domino exercituũ, hoſtias & obla

Onias voluit complere prophetiam & non potuit.

& oblationes obtulit ſolemnes. vnde viſus fuiſſet in veritate adimpleuiſſe prophetiam, niſi Danielis. 11. cap. vituperaretur hoc factũ, dicente domino. Filij quoq; præuaricatorum populi tui extollentur vt impleant viſionem, & corruent. &c. De quo plura Lyranus ſuper Eſaiã. 19. Item hyſtoria Scholaſtica ſuper Daniel. 10. Fortè voluit Onias ad exemplum Cyri facere. Nam dicitur Cyrũ inductum ad relaxandam Iudæorum captiuitatem, Templumq; reædificandum, quod legit in Eſaia, cap. 45. ſe nominatũ, & prophetatũ id ipſum facturum. Fuit autem hoc ante annis. 240. de quo hyſtoria Scholaſtica, cap. 17. ſuper Danie. Ioſephus etiam cap. 1. lib. 11. Antiquitatũ. Firmauit autem animũ Cyri audita narratio de Balthaſſaris punitione, propterea quòd irridebat Iudæorum expectationem de reditu in Ierusalem anno. 70. qui iam inſtabat: & tamen non erat quomodo redirent eo inuito: propter quod & vaſis ſacris illuſit.

Lyranus. Hyſtoria Scholaſtica.

Exemplũ tertij, quando nõ procurantibus cõtingebat ſpiritus prophetię, vt in omnibus fermè prophetis, de quibus habetur. Facta eſt ibi in me manus dñi. vel. Viſio quã vidit. &c. Vbi notantur reuelationes factæ de occultis.

Exẽplũ. 3 non cogitãs de prophetia & habeas.

Multipliciter contingit prophetia. Viſione.

HVIVSMODI autem reuelationes contigerunt prophetis multipliciter, videlicet. Per viſiones aliquarum rerũ, quas quandoq; intellexerunt ſignare ea quæ in veritate deſignabãt, ex intellectu ſuo diſcurrẽtes. quãdoq; id nõ intelligẽtes docebãtur ab angelis quod deſignabãt. Simile huius eſt, quãdo ad operationes aliquas incitati, ſiue impulſi, ſiue quandoq; à domino moniti, ex eis & in eis cognouerũt prophetæ multa myſteria occulta. Exemplum in viſionibus frequentiſſimis in ſcriptura, ſiue in ſomno acciderint, vt Dañ.7. Videbam in viſione. &c. ſiue in vigilia, vt Actuũ 8. de Petro, vti iam ſupra dictũ eſt. Vidit Daniel arietẽ cornibus ventilantem. &c. Dañ.8. & protinus ſubiecit. Et ego intelligebã. Contra. Dañ.12. Vidit angelum eleuantem manũ in cœlũ, & iurantem. &c. Et ſubinfert. Et ego audiui & nõ intellexi. Item Dañ.7. Acceſſi ad vnum de aſtantibus, qui dixit mihi interpretationem. Item cap.8. & alibi ſępius in prophetis quibus viſiones contigere, vt Zacha.1.

Operatione.

Exemplũ de actibus & operationibus, Gene.27. in benedictione data Iahacob ab Iſhac patre, dicitur de Iſhac. Expauit Iſhac ſtupore vehementi, & ſequitur in textu. Benedixi

ei &

el,& erit benedictus. Idem quoq; accidit in benedictione Ephraim & Manaſſes data à Iahacob cancellatis manibus. Geñ. 48. Idem contigit Moyſi, in fractione primarum tabularũ, quarum loco ſuffectæ fuerunt ſecundæ. nam prænouit in hoc legem illam primitus datam Hebræo populo, in irritũ tandem deueniendam, promerentibus etiam id malis operibus Iudæorũ, quibus quidem ipſis operibus ſucceſſurã eſſe aliam legẽ perhennem, vſq; in finem duraturam. Hanc autem ſecundam legẽ aio ſucceſſiſſe operibus malis Iudæorũ, quoniam conſtat Chriſtum Meſſiah paſſum, procurantibus iniquis Iudæis: vnde mũdi redemptio, ſalusq; credentiũ habuerunt originem. De hoc Adrianus Finus libro. 4. contra Iudæos. capit. 30. Fractio tabularum prophetica.

Similia multa contigere prophetis multis. Et aduerte quòd quãdo huiuſmodi operationes prophetis indictæ ad eorũ inſtructionem & populi pręmonitionẽ pertineãt, nõ eſt neceſſe omnia actualiter facta fuiſſe, quæ facta dicũtur eſſe: ſed ſufficit ea pro factis habita fuiſſe, in quo cõpleta fuit ratio faciendi, poſtq̃ propheta functus eſſet officio ſuo in illo prophetandi. vti & Hieron. ait in cõmen. ſuper Oſee. Nota.

Et hic

Et hic quoq; aduertendum eſt, quòd quando prophetæ illuſtrabātur talibus viſionibus & docebantur quæ ignorabant ab aliquibus: propterea taliter illuſtrabantur, vt quod non exprimebatur per verba, id deprehenderent ipſi ex myſticis illis figuris rerum viſarū, vel ex ipſius docentis perſona: aut certè habitu eius. De quo latius Dionyſius libro de Cœleſti Hierarchia.

Prophetia per auditas voces.

SECVNDO cōtingit quandoq; reuelatio rerum ſine viſione aliquarum ſpecierū per ſolam vocem auditam, ſicut. 1. Regū. 3. Samuel audiuit vocem eum alloquentem, nullam tamen effigiem vidit. Et hic ſecundus modus præſtat primo: quia voces ſunt diſtinctiores ad informationē, quibuſlibet figuris. Hoc modo audiebat Moſes vocem domini, & erat loquutio ac collatio cōſtans interrogationibus ac reſponſionibus, ſic negociorū qualitatem apertius percipiebat, & non oportebat eum à figuris & circumſtantijs viſionum mendicare rerū ſignificationem. Nec oportebat eum laborare per diſcurſum intellectus ſui, vel ad declarationem docentis, circa rei viſæ ſignificationem. Si autē eſſet collatio inter prophetam ipſum & perſonam apparentem ſine hoc

quòd

quòd aliàs præceſſiſſet iam alicuius figuræ viſio: ſed pro eo tempore quo eſt collocutio apparet aliqua ſpecies futurarũ rerùm myſtica, & fit de ijs interrogatio & reſponſio: hæc nobilior exiſtimatur prophetia. Talis eſt Apocalypſis beati Ioannis.

TERTIO modo cõtingit prophetia, nec per viſionem quæ moueat ſenſum & impellat intellectũ, nec per voces interlocutorias fortius mouentes, magiſq́ veritatem exprimentes quàm figuræ: ſed per intrinſecam veritatẽ qua illuſtratus intellectus percipit diuinũ afflatum, & veritatem reuelatam intelligit. Et modus hic ſublimior eſt duobus præcedentibus: quia ſimilis eſt angelicæ linguæ, qua inter ſe angeli ac beati ſpiritus colloquuntur. Comprehendit etiã intellectus prophetæ expreſſiori modo reuelatã illam veritatem, quũ diuina illa illuſtratio ingerit ei, id quod fortaſſis non aduertiſſet per voces, ſi de his loquutio contigiſſet. Hoc modo Dauid vt in plurimum prophetauit in veteri Teſtamẽto, & Paulus in Nouo, cum Ioanne in Euangelio ſuo ſancto. *Prophetia illuſtratione intus.*

GENERALITER animaduertendũ eſt, quòd quando reuelatio contingebat prophetis, non *Reuelationes pphetarum nõ ſemper nec de omnibus ad oĩs facte prophetas.*

tis, non ſemper erat de omnibus pertinentibus ad negotium illud de quo erat reuelatio. Sed quandoque reuelabatur aliquid particulariter alicui prophetæ, & tamen aliqua ſpecialis cōſideratio ab eo celabatur. Patet hoc in Paulo ex nouo Teſtamento, Actuū. 20. Et nunc alligatus ſpiritu vado in Ieruſalem, quæ in ea ventura ſunt mihi ignorans: niſi quòd ſpiritus ſanctus per omnes ciuitates mihi teſtificatur, dicēs, quòd vincula & tribulationes Hieroſolymis me manent. Frequentiſſimè hoc idem in prophetis veteris Teſtamenti inuenitur. Multa enim quæ ſcire voluiſſent, non ſciuerunt. Ignorauit penitus Iahacob quid de Ioſeph actum eſſet, credens deuoratum à fera. Ignorauit Dauid de Templo an à ſe ædificari deberet, ſuper quo conſuluit Nathan, idipſum quoque non ſcientem. Ignorauit Ionas modum finis Synagogæ, in ſalute Niniue ei ſignificati. &c. De quibus Gregorius vt alibi ſæpius, in Dialogis ſatis.

Synagoga cæca. HIS PRAELIBATIS aduertendū eſt Synagogam nō habuiſſe tantam claritatis notitiam rerum ad humanam redemptionem futurarum, quantam habuit ſancta mater Ecclesia videns. ſia earundem, iam in Chriſto Ieſu præteritarū, iuxta

iuxta quod dictum fuit Apoſtolis à domino noſtro. Beati oculi qui vident, quæ vos videtis. Sic licet quibuſdā ſanctis expreſſa fuerint particulariter, de ſpeciali gratia, aliquot futura in actu redemptionis humanæ, non tamen omnes prophetę cognouerūt omnia generaliter quæ euētura erant. Generaliter em̄ omnia prophetis nota fuerūt, iuxta id Amos 3. Quia non faciet dominus Deus verbum niſi reuelauerit ſecretū ſuum ad ſeruos ſuos prophetas: non tamen omnia omnibus fuere nota: ſed ſingula ſingulis, vt ita dixerimus. Præterea, prophetæ ita huiuſmodi myſteria ſibi nota literis commiſerūt, vt poſſent legentes per ſcrutinium, verum literæ intellectū deprehendere. At ſapientes Iudæorū deficientes in ſcripturarum ſcrutinio ac debita penſatione, non tantum in ſcripturis cōprehendebant, quantum in eis occluſerant ſimul & incluſerant earum autores. Erant enim ſignatæ hæ ſcripturæ, latentes myſteriorū intellectus continentes. Ita ab ſpiritu ſancto, qui loquutus eſt per prophetas prudenter ac per induſtriam hoc ordinato, vt ſeruarentur tempori ſuo, in lucem reuelari, quo validius reuincerentur contradictores, Euangelicæ doctrinæ

Nō omnia omnibus prophetis reuelata.

Scripturę ſignatæ.

renitẽtes, myſterijs iam cõpletis. In hoc enim maxime Iudaica peruicacia comprimitur, ꝙ in prophetis ſuis iam olim prædicta cõmonſtrabantur myſteria omnia dominicę incarnationis ac paſſionis, inſtitutionis ꝗ legis noſtrę vſꝗ ad minutiſſima.

INDE conſequitur ſanctã matrẽ Eccleſiã plus ſuboluiſſe, plus deprehẽdiſſe plusꝗ intellexiſſe libros vernaculos ſynagogæ, ꝗ ipſa met Synagoga. Inde profectò eſt quòd ei nõ Iudæis prauis ſpirauit in libris illis à Synagoga non rę̨ceptis, ſpiritus fragrans. Nunquid non fortiſſimè olet odorem ſpiritus Baruch? qui vt alibi multa ſanctiſſime, tamẽ cap̃.2. ait. Si moram fecerit, expecta eum: quia veniens veniet & non tardabit. Et cap.3. Audi Iſraël mandata vitæ. Et in fine. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Nunquid non & Thobias? qui in fine vltimi capitis ait. Benedictus dominus qui exaltauit Ieruſalem, vt ſit regnum eius in ſecula ſeculorum ſuper eam. Amen. Et vt prętermittamus Iudith, Sapiẽtiæ & Eccleſiaſtici libros, quid oculato viro videri poteſt, de Libris Macchabæorũ, niſi quòd olent diuinam aſpirationem? Ponderet illud. 2. Macchab. 5. Non propter

Recognoſcũtur libri ſancti à Synagoga nõ cogniti.

Baruch.

Thobias.

Iudith.

Sapientię.

Eccleſiaſticus.

Macchabęorum.

propter locū gentem: ſed propter gentem locum Deus elegit. Vbi vaticinium quoddam videtur incluſum de deſolatiōę ad tempus ſuper Iſrael inflicta. Poſt quam ſperatur etiam illuſtratio, conuerſis reliquijs ad dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Deum verum.

Ea propter ſuſcepit ſancta mater Eccleſia libros iſtos duos, ad ſanctas doctrinas, delegitq́ partes aliquot ad officia Miſſarum, vti ad Miſſam pro mortuis, cap. illius. 2. Macch. 12. de Iuda mittēte Hieroſolymam duodecim millia dragmas, ſuſcepit narrationē hanc pro Epiſtola: & in alijs Miſſis ſimiliter fecit idem. Macchabæorū libri duo recepti.

Suſcipit inquam hos duos libros Eccleſia tanq̄ veraces, veras q́ continentes narrationes. Nihilominus etiā ad fidem in aliquibus confirmandam conducibiles, vt in hac pręta cta materia de purgatorio, patet de animabus expiandis: quod Lutherani non perceperūt.

Suſcipit etiam ſancta mater Eccleſia librum Eccleſiaſtici, tanquam canonicū, ſentiens ſpiritum in eo redolentem: Vide etenim vt amplificet Seruatorem noſtrum. cap. 43. C. Plantauit illum dn̄s Ieſus. &c. Fuit autē eius libri autor plus. 200. annis anterior Chriſti natiuitate. Legit etiam Eccleſia in officio Miſſæ bea- Eccleſiaſticus liber ſuſceptus.

G tæ Ma-

tæ Mariæ Epiſtolam, Ab initio & ante ſecula creata ſum.&c.ex cap.24. Item in officio Aſſumptionis eandem Epiſtolam. In officio Viſitationis. Ego quaſi Terebinthus. eodē cap. 24. Item in officio vnius martyris. Beatus diues qui inuentus eſt ſine macula. Eccleſiaſtici 31. Item cor ſuum tradidit ad vigilandū.&c. cap.39. Et. Beatus vir qui in ſapientia morabitur. Eccleſiaſt.14. Et ſimiliter in multis alijs officijs.

Sapientiæ liber ſuſceptus.

Suſcepit inſuper Sapientiæ librum, vt graphicè explicantem quę Salomon in libris ſuis dixerat, ſicut iam ſupra dictum fuit. Sic'que ſuſcipit lectiones multas ad Epiſtolas diuerſorum officiorum: vt in cōmemoratione plurimorū martyrū. Iuſtorū animæ in manu Dei ſunt.&c. Sapien.3. Item in cōmemoratione ſanctorum Philippi & Iacobi. Stabūt iuſti in magna conſtantia. Sapien.5. Et ſic in multis.

Thobię & Iudith libri ſuſcepti.

Suſcepit libros Thobię & Iudith eo modo quo ſuperiores. Et legit Epiſtolam Thobię in officio ſancti Raphaelis archangeli, quem per eum librum agnouit, vti Dionyſius magnus ait. Ad laudes quoq; Mariæ virginis, conuertit encomium Iudith, vt notata recognoſcantur in eo libro ac hyſtoria ſanctiſſimæ matris

tris Dei præconia, ita dictante ſancto ſpiritu.

QVOMODO autem Synagoga non receperit iſtos libros, mirum videtur.

Quare Synagoga nō receperit libros illos.

Poſſumus autem nos cauſam aliquam cōiectare, videlicet, quia eo tempore ſcripti fuerunt, quo nō fuit facultas de ijs examinare ac decernere, rebus turbatis, diſperſiſq; primoribus Iudæorū, quibus hoc incūbebat examen ſimul & decretū: principibus ſcilicet facientibus Sanhedrin. De quibus iudicibus, & de eorum poteſtate ac cura latè Galatinus agit lib. 4. cap. 5. Cæterū vbi datum fuit hoc poſſe, fortaſſis non affuit earum rerum ſufficientia, quæ pro tempore illo neceſſaria erat ad comprobationem huiuſmodi, videlicet ſublatis è medio librorū autoribus, & ijs qui poſſent fidem facere de vero ſpiritu prophetiæ eorum qui ſcripſerant.

De Sanhedrin.

Galatinus

Namq; hoc erat illis temporibus neceſſarium, quando per comprobationem prophetę & dignitatem eius perſonę in prophetia, comprobabatur prophetica ſcriptura, quæ de futuris erat. Quod non æquè nobis neceſſarium fuerit, qui iudicamus rebus iam adimpletis. Simile quid fuit reperire in Eccleſia, quando perſequutionibus inſtantibus, nō affuit opor-

Quid erat neceſſariū ad ſuſcipiendū librū prophetică apud Iudæos.

tunitas iudicandi de Apocalypſi Ioannis, de qua etiam in Laodicena Synodo non fuit decretum. De quo iam ſatis ſupra. Sic igitur manſerunt iſti libri apud Iudæos, qui Synagogæ autoritatem non habuerunt, vt inter Canonicos adnumerarentur, ad fidem pertinentes, propter incertitudinem, an ita verè futurum foret quod innuebant, an ſecus.

Iudæi recentiores quarere pudiant libros illos

At quia recentiores Iudæi, poſteriores videlicet Chriſto domino, animaduerterũt per hos libros maximè contundi eorum peruicaciam, reſpuerunt ingenuè, & è Synagogis exploſerunt, quũ tamen maximè debuiſſent eos reuereri, ac ſpiritui ſancto gratias agere, qui ſe reuelauit eis ſecundũ tempus, quomodo non fuerat agnitus ab eorum anteceſſoribus.

Libet autem hic rationes eorũ adducere quibus innixi tutantur ſe, quaſi rectè reſpuerint eos libros.

RATIONES *neotericorũ Iudæorum, propter quas non ſuſcipiunt intra Canonem libros reiectos.*

Suſpitiones libri Thobiæ.

SVSPECTVS habetur liber Thobiæ. Primo quia cap. 2. dicitur, quòd in Rages ciuitate Medorum erat Sarra filia Raguelis. Et poſtea infra cap. 9. dicitur, quòd quũ eſſet iam coniugatus Thobias cum Sarra in domo patris eius, miſit Raphaelem in Rages ciuitatẽ Medo

Medorum ad Gabelum pecuniæ debitorem, quæ non videntur poſſe ſtare, quum cõtraria videantur. Sed quoniam ſuſpitio hæc non eſt conuincens, reſpondetur verum quidem eſſe in Rages ciuitate Medorum habitaſſe Gabelum. Rahuelem verò patrem Sarræ nõ in eodem loco, ſed in anteriori, reſpectu Thobię itineris, quem locum vocat Ecbatanis Mediæ, tranſlatio nuper facta ex editione Septuaginta interpretum. cap. 3. Thobiæ. Sed quia vere pertinebat ad principatum illius Rages ciuitatis, quando tranſtulit Hieronymus, non cũrauit ſpecificè nominare locũ, maximè quia non multum diſtabat ciuitas hæc Rages, in qua degebat Gabelus, à loco in quo morabatur Rahuel, vt patet, qa breui ad Thobiæ celebrandas nuptias venit. Dilutio.

Eſt autem translatio hæc nuper ab editione Septuaginta facta, multum differens à noſtra Hieronymi translatione. Nec mirũ: nam ipſe Hieronymus in prologo ſuper eum librũ ait ſe ita tranſtuliſſe librũ hunc, vt accito Hebræo perito in Chaldaica lingua, quod ille ex Chaldaico reddebat Hebraicè, ipſe excipiens Hebraicè, reddebat Latinè notario ſtipulatuRo. Sic non mirum ſi tantũ differant hæ duæ

translationes: quia Hieronymus ſummatim tantum reddebat ſenſum. Hæc autem & contexturam & phraſim obſeruat, qua & cum Hieronymi editione concordat. Notanda eſt autem impudentia Iudæorũ iſtorum, qui omiſſa editione illa Græca vocata Septuaginta duorum, ex Hieronymi recẽtiori translatione aucupantur ſubſidium, quo reiecti olim editi ac veterrimi libri rationem aſſignent. Nam in editione illa Græca non habetur hæc anſa ad errorem ſuum retinendum.

Iudæorũ impudentia.

Suſpitio ſecunda. Secundo ſuſpectus eſt liber hic, quia quũ eius hyſtoria cõtigerit ſub Ezechia, cuius anno.6. Salman Aſſar captiuos tenuit decem tribus, vt patet Thob.1.& 4.Reg.18.& poſtea Hezras in canonem redigens reſtauratos libros, hunc non recepit. Sequitur quòd reiectus ab eo, nõ debet ab alijs admitti. Sed ad hoc reſpondetur, quòd Hezras nõ potuit omnes libros in prõptu habere, quos voluiſſet, propter difficultatem temporis iniqui, quod ſub regibus inſenſis populo Iudaico, præceſſerat. Et ſic potuit hic liber apud Chaldęos permanere eo ſolum tempore quo Hezras Canonem fecit ſanctorum librorũ: qui tamen liber temporis diſcurſu tandem ad Iudæam peruenit.

Dilutio.

nit. Sed de hoc aliquantulum latius infra.

De libro Iudith.

DE LIBRO Iudith adducunt fortius argumentum, quod inſolubile putant, dicentes. Ex hyſtorijs & annalibus Monarchiarũ conſtat, quòd Medi præualuerunt Chaldæis, reſtitueruntq́ monarchiam plus quàm trecentis annis in duo regna diuiſam. Fuit autẽ hęc reſtitutio antequam rediret captiuitas Iudaica in terram promiſſionis. Quomodo ergo tempore Iudith quæ fuit poſt reditum à captiuitate, regnabat in Media Arpacſat, qui ædificauerat Ecbatanim in robur fortitudinis ſuę. Quomodo etiam Nabugodonoſor obtinuit Arpacſat regem Medorum, ſi Nabugodonoſor primus & ſecũdus, qui & magnus dictus fuit, longè antequam redirent Iudæi, obierũt? His igitur quaſi indeclinabilibus telis, putant librum hunc confodiſſe. Suſpitiones libri Iudith.

SED NE videantur rationabiliter moti, ponenda eſt ex Methaſtene ſeries & ordo Regum Chaldæorũ, à primo vſq; ad Seleucum Nichanorem. Diluitur ſuſpitio.

Ex Methaſtene ſcriptore Perſeo:

Sequitur Elenchus Regum Chaldęorũ ab inchoata Monarchia vſq; ad eam diuiſam.

Nomina.	Anni. à Diluuio.
1 Ogiges, qui & Noah.	131
2 Saturnus qui & Nimrod	56
3 Belus Iupiter filius	62

Hi tres ducentis quadraginta nouem annis.

Nomina.	Anni.
4 Ninus	52
5 Semiramis eius vxor	42
6 Sameus	38

Anno huius ſeptimo moritur Nohe.

Nomina.	Anni.
7 Arius	30

Huius anno. 9. incenditur Sodoma.

Nomina.	Anni.
8 Aralius	40
9 Xerſes Baleus	30
10 Amatrites	38
11 Bel Ochus priſcus	35
12 Baleus iunior	52

Huius anno. 27. ingreditur Iacob Aegyptū, cum filijs, natus annos. 130.

Nomina.	Anni.
13 Altadas	32
14 Mamitus	30
15 Mancaleus	30
16 Sphereus	20
17 Mamelus	30
18 Sparetus	40
19 Aſcatades	40
20 Amitites	45
21 Bel Ochus iunior	25
22 Bellepares	30
23 Lamprides	32
24 Soſares	20
25 Lampares	30
26 Pannias, vel Panomas	45
27 Soſarmus	19
28 Mithreus	27
29 Tautanius vel Tautanos	32
30 Teuteus	40
31 Tyneus	30
32 Dercylus	40

Huius

Nomina.	Anni.
Huius anno. 29. Dauid cepit regnare.	
33 Eupales	39
34 Laoſthenes	45
35 Pyrithidias	30
36 Ofrateus vel Ophiateus	20
37 Ofraganeus	50
38 Aſcrapazes	42
39 Tenoſconcoleros	15

Hic eſt Sardanapalus à quo deſciuit Imperium, diuiſum inter Babylonios et Medos cum Perſis.

Regnatum eſt à Nino ad Sardanapalum annis. 1234.

A Nohe uerò ad Sardanapalum annis. 1483.

Sequitur coniuratio duorum principū contra Tenoſconcoleros Sardanapalum, videlicet Beli tertij, Principis militiæ generalis, & Arbacis Principis Medorum.

Sardanapalo interfecto diuiſerunt Monarchiam Bel Ochus & Arbaces, ea lege, vt Bel Babyloniam, Arbaces verò Mediam & Perſiam teneret. Fuitq; diuiſio iſthæc in diebus Oſiæ regis Iuda, prophetante Eſaia.

Babyloniæ.

Nomina.	Anni.
Bel Ochus tertius, qui & Phul.	48
4. Reg. 15. d. Hic venit contra Manahem.	
Phul Aſſar, qui & Teglat	25
4. Reg. 15. f. Hic tranſtulit Galilęam & tribū Nephtalim, regnante Phaceæ filio Romeliæ ſuper decem tribus, in diebus Achaz.	

Nomina.	Anni.
Salman Aſſar.	17

4.Reg.17.a.& 18.b. Hic cæpit Oſee, & tranſtulit decem tribus.

Sennacherib,qui & Sargon. 7

4.Reg.18.c. Eſa.20.quoq;. Hic aſcendit contra Iudam ſub Ezechia:& cæpit ciuitates munitas.

Aſſar Adon 10

4.Reg.19.g. Hezræ.4. Adduxit Colonias in terram Iſrael.

Merodach 52

4.Re.20.c.Hic miſit munera Ezechię,vt patet Eſa.39.

Ben Merodach 21

2.Paral.33.b. Ab huius ducibus capitur Manaſſes,& ducitur in Babyloniam.

Nabugodonoſor primus 35

4.Reg.24.a. Tempore Ioſiæ regis Iuda,cui pax.

Nabugodonoſor Magnus 45

4.Reg.24.c.& 2.Paral.36.b.

Amilius Euil Merodach 30

Eſaiæ.52.& Hiere.5.

Reg Aſſar, primus filius 32

Lab Aſſar Dac.ſecundus filius 6

Bath Aſſar. tertius filius 5.

Danie.5.a.

Regnatum eſt à Monarchia diuiſa uſq; ad hunc ultimum annis.324.

Mediæ, ac Perſiæ.

Arbaces 28. Mandanes 50.

Soſar

Soſarmon	30
Arti Carmin	50
Arbi Anes	22
Arceus	40
Abtines	22
Aſtibarus cũ filio / Apanda	20
Apanda ſolus	30

Hic à Græcis dictus eſt Aſtiages.

Regnatũ eſt à diuiſa Monarchia uſq; ad hunc ultimũ annis. 292.

Hoc deuicto poſt annos 12. reunita fuit Monarchia à Cyro & Dario, interfecto Balth Aſſare.

Hieronymus ſuper cap. 5. Danielis citat Beroſum ac Ioſephum, aliter ſentientes, uidelicet. Quòd Nabugodonoſor genuerit Euil Merodacen: & hic genuerit Negliſarem. & hic Lab Aſſar Dacem. & hic Balth Aſſarem.

Reſtituta Monarchia.

Nomina.	Anni.
Cyrus ac Darius ſimul	2.
Cyrus ſolus	22
Artaxerxes, qui & Aſſuerus priſcus filius Darij	20

Hic eſt Nabugodonoſor & Cambyſes, ſub quo hyſtoria Iudith, uti Philo ait in Breuiario temporum.

Cyrus Artabanus. / Darius Longimanus, filius Aſſueri priſci, de quo Dan. 9. a	7. menſibus certantes de regno.
Darius Longimanus	37
Darius Nothos, filius Longimani	19

Magnus

Magnus Artaxerxes, qui & Darius Meneon 55

Hic eſt Aſſuerus, ſub quo hyſtoria Heſter, uti Philo in Breuiario, & Euſebius in Cron.

Artaxerxes Ochus 26

Arces 4. Darius vltimus 6.

MAGNVS Alexander 12

Seleucus Nichanor 30.

Regnatum eſt per iſtos annis.233.menſibus.7.

Anno.1. Cyri regis Perſarū exijt edictum de reditu ad Ieruſalem. 2.Paral.36. Et.3.anno Cyri regreſſus eſt populus, ædificatumq́ꝫ eſt Templum vſqꝫ ad apodiationem hominū ad parietes. Et intermiſſum eſt opus propter vicinorum malitiam. Mortuo autem Cyro ſub Thomiri Maſſagetarum regina, eleuatum eſt cor Arpacſat Medi principis, vt ædificaret Ecbatanim ac rebellaret. At obtinuit eū Cambyſes filius Cambyſis, qui patre viuente regnauerat ſuper Niniue: eo autē mortuo, adeptus fuit imperiū totum. Sic ait hyſtoria Scholaſtica ſuper Iudith. Hic Cambyſes interdixit Templū ædificari, vti Philo ait, propterea quòd audiuit, à Iudęis interfectum Olofernem. Sed nominatur à Philone Aſſuerus priſcus Artaxerxes. Methaſtenes dicit cum filium

lium fuiſſe Darij. Anno.6.Darij Longimani completum fuit Templum. Hezræ.6.

Fuit autem hoc anno. 46.à ſui prima fundatione, qui fuit anno tertio Cyri primi. Sub Magno Artaxerxe,q & Aſſuerus, portæ ſunt poſitæ muris Ieruſalem: vt ex Nehe.5.6.&7. habetur.

Ex his luciddiſſime eſt videre quomodo narratio libri Iudith conſtet: quis etiam fuerit Arpacſat ille qui voluit inſurgere contra Cambyſem, dictum Nabugodonoſor, de quo meminit etiam Philo in Breuiario temporum. Philo.

Veruntamen ſcito magnam eſſe diſcordiam inter hunc Methaſtenis Elenchum (quantū ad Reges poſt reſtitutam Monarchiam) & Græcos ſcriptores, quos Ioſephus ſequitur, & hyſtoria etiam Scholaſtica. Quoniam poſt Cyrum primum, ponunt Cambyſem filium eius, ubi Mathaſtenes ponit Artaxerxem Aſſuerum, filiū Darij. Sed hoc nititur concordare Ioannes Carrion Alemanus in ſua Cronica generali, dicens, quòd erat moris Regum Perſarū, quum ad bella egredi eos contingeret, præficere regno filios ſuos, qui eum tuerētur interim ac gubernarent. Sic credendum eſt feciſſe Cyrum. Quumq; Cambyſes non plus quàm anno uno regnauerit, mortuo Cyro patre in expeditione Scithica, nō fit de hoc Cambyſe mētio, ſed de ſuccedēte Cambyſe ſecundo, dicto propriè Artaxerxe ac Aſſuero priſco. Ita etiā tradit Methaſtenes, quòd Cyrus profectus in expeditione Occurrit difficultas circa prædicta.

peditione

peditione contra Thamyrim uiduam Maſſagetarum reginam, regnum dedit Cambyſi filio.

Secunda difficultas. Secundo eſt etiam difficultas, quia poſt Cambyſem ponunt Darium, qui fecit expeditionem in Græciam, uocatum Hiſtaſpis filium, erectum in regem poſt mortem Cambyſis, quum reuerteretur ab Aegypto in Damaſco, & poſt mortem quoq; Magorũ qui inſurrexerant aduerſum Cambyſem, occupatum in expeditione Aegyptiaca. Hunc Darium dicunt mortuum fuiſſe in regno ſuo, parantem copias alias ad adimplendas primas quas in Græciam miſerat, quum reſciſſet fuſas fuiſſe ab Athenienſibus.

Succeßiſſe autem ei Xerxem, qui uariè tentauit & terruit Græciam totam. Poſt hunc autem regnaſſe Artaxerxem filium eius, uocatum, perſpicuum eſt, Longimanum.

Reſpõſio. Sed dicendum quòd uerè Darius expeditionem fecit in Græciam, ſed hunc uocat Methaſtenes Aſſuerũ Priſcum, filium autem eius Darium Longimanum, uocant Græci Xerxem: Hic eſt qui profectus in Græciam tradidit regnũ filio ſuo, re & nomine Longimanũ, qui & Artaxerxes dictus fuit: erat autem & pater Longimanus quoq;. Regnarunt autem pater & filius ambo ſimul: ſed prius mortuo Xerxe patre, non fit mentio à Methaſtene de ipſo, eo quòd in expeditionibus ſemper fuerit, curante interim regni negocia filio ſuo.

Itaq; multinomij fuerunt Reges, & uno tenente regnũ, quandoq; uel de filio ſubticetur, qui conregnabat, ut patet de Cambyſe ſub Cyro primo: quandoq; ſubticetur de patre, ut

tre, ut patet de Xerxe Longimano, ſub Longimano & Artaxerxe Dario. De quibus Hieronymus ſuper Danielis Cap. 11. ait. Quatuor reges poſt Cyrum dicit in Perſide reſurrecturos, Cambyſem filium Cyri, & Smerdem magũ, qui Pantapten filiam Cambyſis duxit uxorem. Qui quum à ſeptem Magis fuiſſet occiſus, & in locũ eius Darius ſuſcepiſſet imperium, eadem Pantaptes nupſit Dario, & ex eo Xerxen genuit filium· qui potentiſſimus Rex, & ditiſſimus, aduerſum Græciam innumerabilem duxit exercitum, & ea geſſit quæ Græcorum narrant hyſtoriæ. &c. Hæc Hieronymus.

Videtur per hæc ſatiſfeciſſe me ampliſſimæ Iudæorum obiectioni, quæ eſt per hyſtorias Regum Perſarum.

Veruntamen frater Ioannes Annius in cõmentarijs ſuis ſuper Breuariũ Philonis, cap. 2. dat rationem quare in libro Iudith nominetur Nabugodonoſor, Videlicet quia tenente Artaxat Aſſyrios, Medos, ac Perſas, Aſſuerus ſolam Babyloniam tenebat, cum prouincijs ante ab eo poſſeſſis: & quum nomen Regiæ dignitatis in Babylonia eſſet Nabugodonoſor: ideo tali nomine nominatur, & nõ proprio nomine Aſſueri. Cæterum Philo vocat Darium illum, qui cum Cyro reuniuit Monarchiam, filium Hiſtaſpis. Ioannes Annius.

De libris Macch. reiectis. Primaratio. DE LIBRIS Macchabæorum adducũt controuerſiam, qua ſibi non conſtare videntur, videlicet, Quia dicitur de Antiocho.1. Macch.6. quòd in Perſia, ciuitate Elimaida, propterea quòd attentauit ſpoliare Templũ, fugatus, incidit in languorem, quo lecto ſuo decubans obijt. In.2.verò lib. Macch.cap.1. habetur, quòd capite truncatus fuerit in templo Naneæ Perſiæ. Rurſus cap.9.eiuſdem ſecundi libri habetur, quòd in ciuitate Perſipoly tentauit ſpoliare templum, & fugatus fuit à populo ad arma conuerſo. Ecce inquiunt, euidentem contrarietatem.

Secũda ratio reiectionis. Secundo etiam dicunt, intollerabilem eſſe mendam in cap.1.lib.2.vbi ponitur Epiſtola Iudæ Macchabęi, ſub calẽdario anni.188.quũ tamen obierit Iudas in prælio contra Bacchidem principem Demetrij filij Seleuci, vt eſt 1.Macch.9. Quod prælium fuit anno.152.& ſic obijt Iudas annis.36.antequam ſcriberetur Epiſtola illa. Quomodo igitur libri iſti continent veritatem?

Tertia ratio reiectionis. Tertio, rident illud.2.Macch.2.de Arcafœderis, Altari incenſi, & de ipſo Oraculo, & in ſumma de Tabernaculo, Dei iuſſu aſportatis

in mon

in montem vbi Moſes vidit terram promiſſionis (videlicet Nebo in verticem Phaſga, vt Deut. vltimo patet) & ibi abſconditis vſque in ſempiternum. Dicunt enim quòd ante Ciuitatis expugnationem non potuit hoc fuiſſe, propterea quòd Hieremias ſemper vinctus fuerit in carcere, vſque ad diem expugnationis Ieruſalem, quando capta fuit ciuitas, ex eo die quo prædixit Sedechiæ regi deſtructionē Ieruſalem, vt patet Hiere. 37. & 38. Ergo pro tunc non potuit hoc facere, quum eſſet infenſiſſimus toti populo, & ſacerdotibus ventura mala prænuncians. Quòd autem poſt captiuitatem ciuitatis hoc non potuerit facere, inde patet, quòd barbari victoria inſolentes facti, vilibus quibuſque inhiātes, omniaque rapientes, non perſuadebant vt omnium theſaurorum precioſiora non raperent ac prædarentur, ad aſportandum in Chaldæam patriam ſuam, in tropheum. Multo minus id cōceſſuri erant inimico captiuo, vt ad libitum è manibus eorū educeret alibi exportaturus. De quo habetur. 4. Reg. 25. & Hiere. vltimo.

Quarto etiam dicunt quòd narratio illa de igne inuento in aquam tranſmutato craſſam, non conſtat. 2. Macch. 1. Nam dicitur ibi Quarta ratio eiectionis.

quòd translatio Iudæorum facta fuit in Perſidem: conſtat autē quòd nō fuerit niſi in Babyloniam. Item dicitur, ꝙ rex ędificauit templū vt hoc probant. Notū eſt autem, ꝙ pro tunc non erat Templū extra Ieruſalem, ſub poteſtate Babyloniorum. Quinto dicunt, ꝙ ex ipſa contextura & ſcriptura ediſcitur librū.2. Macchabæorū prophanū eſſe: vt qui Græcè ſcriptus, leporem Græcanicū, prophanis ſcriptoribus cōmunem oſtentet. Sexto dicunt de.1.libro, ꝙ quamuis Hebraicus reperiatur, vti Hieronymus ait in prologo Galeato, tamē is ipſe inſigni menda, quam cap.9.habet: vbi dicit ꝙ Alchimus pręcepit deſtrui muros interioris domus Templi: quos tamen vſq; ad Herodem duraſſe compertiſſimum eſt.

Quinta ratio eiectionis.

Sexta ratio eiectionis.

Hæc ſunt validiora argumenta quibus ſtabilire nituntur iſti ſuum errorem, libros Macchabæorum repudiantes.

Quoniam autem re diligētius diſcuſſa, friuoliſſima cognoſcūtur, ſingulariter ad ſingula reſpondendū eſt. Ad primū dicendum, ꝙ errant in æquiuoco, accipientes pro vno & eodem Antiocho duos. Nam is Antiochus q dicitur.1.Macch.6.fugatus ab Elymaida in lecto deceſſiſſe, eſt Antiochus qui cognominatus eſt Magnus. Hic cū volens patris ſui Se-

Diluitur prima ratio.

Antiochi duo.

leuci

leuci Gallinici, & auiæ Laodices mortem vl-
ciſci, quos Ptolemęus Euergetes interfecerat,
venit cōtra Ptolemęū Epiphanem Euergetis
nepotem. Sed cōſiderans nō poſſe præualere,
doloſe dedit ei filiā ſuam Cleopatram in vxo-
rem, quo prætextu quū honorificè ſuſcipere-
tur à ciuitatibus pacificis, nil mali ſuſpicanti-
bus, occupabat inſurgens earū dominiū, con-
ſtituensq́ in ſingulis cuſtodias opprimebat
eas. At detecta huiuſmodi nequitia, principes
Ptolemęi ſubitò ad arma cōuerſi, obſtiterunt
eius ceptis, quo facto nō potuerūt Antiochi
conſilia in effectū peruenire. Conuerſus autē
ad inſularū expugnationē, quū illæ Romanis
eſſent confœderatę, miſſus è Roma Scipio fe-
cit vt à cepto deſiſteret. Abijt autē in Perſiā,
ciuitatem Elymaidam, vt dicitur. 1. Macch. 6.
& inde propulſatus incidit in languorē, quo
mortuus eſt. Sed Antiochus ille q. 2. Macc. 1.
truncatus capite dicitur interijſſe in templo
Naneæ, eſt Antiochus Epiphanes, filius An-
tiochi Magni, ſuccedens fratri ſuo Seleuco
Philopatori, qui cōmuni eorum patri Antio-
cho Magno ſucceſſerat.

Vide autem ad hæc ſequentē figuram, quæ poterit præcedenti figuræ annecti, unde rerū geſtarū nō parua notitia ad intellectū ſcripturæ poterit haberi. Ea eſt huiuſmodi.

Nomina.	*Anni.*	Regnauit annis.12.	*Nomina.*	*Anni.*
Syria.		*Succeſſit autem ei in*	*AEgypto.*	
Seleucus Nichanor.	32. *aliàs.* 42.	Pugnauit feliciter cõtra iſtos duos patrem & filium.	*Ptolemæus Lagi filius*	40.
Antiochus Soter.	19. *aliàs.*10.			
Antiochus Theos. Hic habẽs prius in vxorem Laodicẽ, ex qua ſuſceperat filiũ Gallinicũ: ꝓpter Bernicen vxorẽ 2.interfectus eſt à.1.ipſe & 2. vxor cũ filio ex ea.	15.	Pugnauit feliciter contra hunc ſed data in vxorem filia Bernice fœderantur.	*Ptolemæus Philadelphus*	38.
Seleucus Gallinicus.	20.	Pugnauit feliciter cõtra Gallinicum, & occidit eum cũ matre Laodice, propter occiſam ſororem ſuam Bernicen.	*Ptolemæus Euergetes*	26
Seleucus Ceraunos. filius Gallinici.	3	Pugnauit infeliciter contra Philopatorem, ob mortem patris & auiæ, & non præualuit.	*Ptolemæus Philopator*	17
Antioch⁹ magnus. frater Ceraunı.	36	Pugnauit & hic contra Epiphanem, ſed videns non poſſe præualere, tradidit ei doloſe filiam Cleopatram in vxorem. Obijt languore pugnans cõtra Elynnos, vti ait Hieron. ſuper Danie.11.	*Ptolemæus Epiphanes*	24
Seleucus Philopator filius præcedẽtis.	12	Hic volens pugnare, obijt ante expeditionem.		
Antioch⁹ Epiphanes frater præcedẽtis.	11	Hic parat ſecundam expeditionem in Aegyptum, ſed fugatur. 2. Macch. 4. Obijt in templo Naneæ.	*Ptolemæus Philometor, filius Cleopatræ & præcedentis*	36.

Per hæc patet reſpõſio ad primũ Iudæorũ argumentũ.

Ad ſecundum argumentũ, quo de Calendario Epiſtolæ ſub nomine Iudæ Macchabæi agitur, reſpondendum eſt, quòd in principio ſecundi libri Macchabæorũ ponitur quædam Epiſtola habens aliam inſertam Epiſtolam intra ſe: nam ponitur Epiſtola principalis, quam ſub pontificatu Symonis, qui primus accepit poteſtatem & libertatem à Dimetrio filio Dimetrij, ſcripſerunt Iudæi Hieroſolymitæ Iudæis Aegyptijs: & hæc Epiſtola calendarũ numero notatur, anno Græcorũ. 169. qui fuit primus annus cõputi Hebræorũ à libertate ſua. Diluitur ſecunda ratio.

In hac Epiſtola inſeritur alterius Epiſtolæ exemplar: eius nempe quam olim Iudæorum Senatus, vnà cum Iuda Macchabæo miſerũt Ariſtobolo magiſtro Ptolemęi Philometoris tempore Antiochi Magni, quo Iudas magnificatus & exaltatus eſt: tẽpore etiam filij eius Antiochi Epiphanis, qui in tẽplo Naneæ interijt. Liberati igitur Iudæi victorijs cœlitus datis, prævalentesq́ malignis, ſcripſerũt Iudæis per Aegyptum Iudas & Senatus Hieruſalem, vt pro liberatione iſta agerent feſtos dies, non minus quàm egerant patres eorum propter Phurim & liberationem factam ſub Heſter. Et ita ſumens in Epiſtola computũ

ab hac ſub Heſter liberatiõe, ponit Iudas more Hebraico calendarum numerum, ſcribens anno. 188. Non enim hic ponitur alicuius regis annus regni, vt Græcis erat mos: ſed abſolutè dicitur, anno. 188. Populus qui eſt in Hieruſalem. &c. Concluditur in fine Epiſtolæ. Per omnia benedictus Deus, qui tradidit impios. & hic eſt finis Epiſtolæ inſertæ.

Computatio autẽ ſic habet. Ab Alexandro vſq; ad victoriam Iudæ Macchabæi, qua Iudæi liberati fuerunt ab impijs, fluxerunt anni 148. vt patet. 1. Macch. 4. Ante Alexandrũ autem ex quo Iudæi liberati fuerant ſub Heſter
6 fluxerũt anni. 46. circiter, videlicet, vt in prio-
4 ri Elencho patet, Darij vltimi, anni. 6. Arſa-
26 mis anni. 4. Artaxerxis Ochi anni. 26. qui fa-
36 ciunt annos. 36. De regno autem Aſſueri ſu-
6 muntur anni. 6. ante cuius obitum ad minus
fuit liberatio illa Phurim. Regnauit autẽ an-
55 nis. 55. Poſt factam liberationem fortaſſis an-
no ſecũdo, facta fuit celebritas in Hieruſalem, Et ſic manet numerus annorum. 188.

Poſt inſertionem Epiſtolæ Iudæ, proſequitur Epiſtola Iudæorũ ſub Symone, ad intentionem ſuam: nempe commonere Aegyptios vt Deo gratias agant pro beneficijs, ſicut fe-

cerat Iudas. Sed vltra hoc indicit etiam feſti uitates ſolemnes, Purificationis Templi, quę illis diebus contigit fieri, quibus olim conti- gerat ignem diuinitus dati ad aſperſionē aquę illius craſſæ in puteo inuentæ, quo abſcōſi fue rant carbones igniti altaris holocauſtorum, vt feſtiuitate vna multas celebrarent Dei mi ſericordias.

Computant autem more Græcorum, po- nuntq́ Regem ſub quo deguerint, & à quo li bertatem acceperint, vt vel hac occaſiōe ſem per ſint memores diuinæ miſericordiæ.

CIRCA id autem quod ſupra dictum eſt de more cōputandi Hebraico, aduertenda eſt quædam additio Burgenſis ſuper Exo. 12. di- centis. Quòd olim apud Iudæos fuit duplex modus computandi menſes. Primus ad com munem vſum, iuxta quem inciperent cōpu- tare menſes ab ęquinoctio vernali, poſt quod lunatio prima faciebat primum menſem, & ſe cunda ſecundum, &c. Sic menſis incipiebat à Lunæ cōiunctione, quæ vocatur Græcè Neo menia, vſq; ad aliam coniunctionem. Neq; ha bebant nomina menſibus, vt ſic vel ſic nomi narentur: ſed ab æquinoctio vernali diceban- tur primus vel ſecundus, tertius vel quartus

Duplex menſiū cō- putatio apud Iu- dæos.

vſque ad vltimum.

Secundus modus computandi annum incipiebat à feſto Tabernaculorũ,ad computandos annos facientes Iubileum & ad hoc præciſe deſeruiens,videlicet,quia in anno illo nõ debebãt ſeminare, nec metere: oportebat hęc fieri eo anno quo à colligendis meſſibus,ſeminandisq́ agris homines vacarent, quod niſi annus inciperet cõputari ab Octobri,non poſſet fieri, expleto Tabernaculorum feſto. Neutro tamen iſtorum modorum computabant menſes per nomina,ſed ſemper habebãt ordinem ſuum à primo,vt ſemper recepti beneficij,ſcilicet liberationis Aegyptiacæ ſeruitutis renouaretur memoria,in quo vera libertas per Meſſiah dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum deſignabatur.

Poſtea tamen Iudæi inter Chaldæos captiui didicerunt menſiũ nomina,& ceperũt cum Chaldęis nominare proprijs nominibus menſes. Sic eſt videre in Thorah, ſiue Pentateucho,Ioſue,Iudicũ,& Ruth,vbi nunq̃ reperiẽtur nomina propria menſiũ: veruntamen in libris ſcriptis poſt contentiones habitas inter domum Dauid & Syros inueniuntur nomina propria menſium, quandoq́ Chaldaica, quandoq́

doq; Syriaca, quandoq; Græca. Sic dixerūt antiqui Iudæi aſcendiſſe cum ipſis menſiū nomina ex Chaldæa, vt eius liberationis ſemper eſſet memoria, in ſpem libertatis à Meſſiah obtinendæ.

Nominantur menſes Chaldaicè.

1 Niſan. Heſter.3.e
2 Zio, zui, vel Iſar. 3.Reg.6.in fine.
3 Siban, ciuan. heſt.8.
4 Thāmur. Syrū eſt.
5 Ab, id eſt, Pater.
6 Elul. Nehemiæ.6.
7 Bethamin, Thirſi, vel Thiſici, propriè Tyrſi. Syrum eſt. 3.Reg.8.a
8 Marcheſuan, ſiue Bul. 3.Reg.6.
9 Caſleu, ſiue kecleu. Zach.7.a
10 Tebeth vel Teuet Heſter.2.c
11 Senat.
12 Adar. Heſter.3. Hezræ.3.c.

Xanticus autem, qui & Niſan, Macedonicum nomē eſt, de quo.2.Macch.11. Hic dicitur eſſe Martius à Burgenſe. Additione.1.ſuper Exo. 12. ſed propriè complectitur partem Martij, partem Aprilis. Similiter Dioſcori Iunius noſter eſt.

Dicit autem Ioſephus.1.de Antiq.cap.5. quòd menſis ſecundus uocatur à Macedonibus Dio: ſed ab Hebræis Marachat uel Anmatſuaue. Et hæc ſufficiant ad reſponſionem ſecundæ obiectioni Iudæorum, pro Macchabæorū libris.

AD TERTIVM argumentum de Arca, Diluitur 3. ratio.

Altari incenſi, Oratorio & Tabernaculo, dicendum, quòd poſt expugnatam Hieruſalem obtinuit Hieremias à principibus Chaldæorum, vt Regi poſſet mandatum Domini deferre: quo facto, reuelans quòd Dominus iubebat ita illud fieri: facilè obtinuit à Rege cõpletam eius executionem. Nec mirum, nam à diebus multis ante ſciebat iam Chaldæorũ Rex, quòd prædixerat Hieremias, ciuitatem nempe à Chaldæis capiendam eſſe, & omnia eius bona ad manus eorum peruentura, Domino ita cõcedente: propter quod multa perpeſſus incõmoda, carceribus fuerat detritus. Et eam ob rem, in ciuitatis expugnatiõe mandauerat Rex publica voce præconis, Tribunis, Principibus & militibus Hieremiam in carceribus trudendum, vbicunq; inueniretur. De quo habetur Hiere. cap. 39.

Diluitur 4. ratio. AD QVARTVM argumentũ dicendũ, quòd nihil refert dicere in Babyloniam abductos eſſe Iudæos captiuos, an in Perſiam, quũ conſtet ad vtranq; partem fuiſſe factam tranſlationem. Fortè autem ideo potius meminit Perſidis, quia in ciuitate quapiam Perſiæ exiſtente Rege, contigit fieri narrationem & experimentum illud de igne. Fuit autem experimen

rimentum non in Perſia factum, ſed in Hieru ſalem ſecundo, mittente Rege aliquos de domeſticis ſuis, vt cõprobarent rei veritatem.

AD QVINTVM argumentum, vbi de ſcriptura Græca argumentantur, dicendum: quòd quum ſcriberent ad Iudæos Aegyptios qui paulò ante legem Græcè ſuſceperant, per translationem factam à Septuaginta interpretibus ſub Ptolemæo Philadelpho, debebant eis etiam Græcè ſcribere, vt legi quam nuper acceperant adderẽt hanc ſcriptam Epiſtolam, ſimul & librum. Diluitur 5. ratio.

AD SEXTVM argumentum dicendum, quòd verè præcepit impius Alchimus deſtrui opus illud, ſed non præualuit complere. Incepit enim & deſtitit, Deo contra eum pugnante: quia ibidem narratur, qualiter à Deo percuſſus obierit maxima cũ tortura, nec potuit cæptum cõplere. de quo. 1. Macch. 9. Hic autem liber primus Macchabæorũ Hebraicus eſt: quia editus ad poſteritatem Iudæorũ Hieroſolymitarum. Diluitur 6. ratio.

Ecce habes retruſas Iudæorum argutias quàm maximè contra eos ipſos, Deo optimo dante, quibus confiſi iſti nequam recutiti inſultant Eccleſiæ acceptanti libros quos ipſi dedignan

dedignantur ac reſpuunt.

Reſolutio de libris à Synagoga reiectis, ab Eccleſia ſuſceptis.

IN SVMMA ergo ſuſcepit ſancta mater Eccleſia libros ad Vetus Teſtamentum pertinentes, quos non ſuſceperat Synagoga. & meritò, functa vtraq; ſuo officio. Nolim tamen vt propter hoc ipſum æquet quis libros iſtos omnes in ambiguum ductos à Iudæis, cum libris ſine controuerſia ſuſceptis (ſecundum editionem quam nos habemus dico) quoniã reuera neq; cum eis conferendi ſunt. propterea, quia licet veridici ſint, veraq; narrent, tamen non ita multiplices recipiunt ſenſus, recognitos ſic ab autore principali intẽtos, etiã in translatione: quia eodem ſpiritu quo conditæ ſunt ſcripturæ, ſunt intellectæ. Quomodo enim fieri poteſt vt librum Thobiæ, quem à Hieronymo habuit emendatum ac elaboratũ ſic vt interpres Chaldaicè peritus, legens Chaldaicam ſcripturam, tradensq; Hebraicè Hieronymo. Hieronymus verò audiens Hebraicè, traderet Latinè excipienti notario. ſenſum potius attendens, quàm aliud. Quomodo autem poteſt fieri vt ſancta mater Eccleſia ita ſuſcipiat librum hunc Thobiæ, vt ex iuncturis (vt ita dicam) verborum eius libri, ſenſus explicandos præcipiat inueſtigare?

Hoc

Hoc certè ęgrè mihi poterit quiſpiam perſuadere. Simile eſt de libro Iudith iudicium, quia & ipſum quoq; librum ita Hieronymus tranſtulit, vt ſenſum magis ſpectaret, q̃ contexturam. Ex qua vulgare eſt in literis diuinis multa deprehendi myſteria. Quod ſi originalibus iſtis libris vteremur, nō eſſet huiuſmodi differentia excipienda, quam in tranſlatis aſtruimus.

Canonici ſunt itaq; libri iſti Thobię, Iudith, Macchabęorū: & ita canonici, ꝙ ſpiritu ſancto dictante editi ſunt. Vnde nedum ſenſus ibi ab ſpiritu ſancto intentus eſt inueſtigandus: ſed etiam indaganda ſunt myſteria per geſtas res, ibi notata. At nō ſic canonici, vt primę claſſis libri canonici ſunt: in quibus nedum literalis ſenſus vnus, ſed plures etiam perquirūtur ſalubriter, ac feliciter reperiūtur, in ipſa cōtextu ræ phraſi, & verborū proprietate, modo ſcripturæ, & ſimilibus, quo modo nō eſt laborandum in dictis libris Iudith, & Thobię, & Macchabæorū. Iod vnū, aut apex vnus nō præteribit à lege, ait Seruator, donec omnia fiant. Ergo & iod, quod in ſcriptura inſeratur Hebraica, vbi officiū ſuū poteſt per aliam ſupplerі literam, nō vacat à myſterio. At hoc in lege

pronun

pronunciatur à domino, non vniuerſaliter ſic eſſe in omni ſcriptura. Ex his poſſet faciliter deprehendi ad quid ordo poſitus ſit in ſacra ſcriptura, vt quædã ſint primę claſſis, quędam ſecundæ ac tertiæ, quũ æquè ſint autoritatis om̃ia quę probantur ab Eccleſia, autore ſpiritu ſancto edita: ſed de ijs fortaſſis latius agetur infra. Ex eo igitur tempore quo decreuit Eccleſia libros iſtos Canonicos eſſe, reperiuntur ſuper eos cõmentaria Latinorũ, quũ apud Græcos etiam à primitiuis Eccleſię diebus, doctores præcipui declarationes ac dilucidationes in eos ediderint. Rabanus primꝰ inter nos (quod meminerim) cõmentaria edidit ſuper libros Macchabæorum, poſt quem Gorran, Dionyſius Carthuſianus, & alij ſimile fecerunt.

De Theodotionis fulcimẽtis

SED QVID de illis infarſimẽtis, quę ex Theodotione addita ſunt Hebraicę contexturæ, cum aſteriſcis: vti ſunt, Hymnus triũ puerorum in camino, quem Hebręi nõ habent in codicibus ſuis. Item repetitio hyſtorię Heſter à cap. 10. vſq; in finem, quæ omnia appoſitiones ſunt reſperſę in diuerſis locis libri Heſter in editione vulgata ſicut Hieronymus quoq; ait, & eſt ibi videre. Item à. 13. cap. Danielis,

vſq;

vſq; ad finem: quæ omnia de Theodotionis editione ſunt.

Reſpondeo. Scio ſanctam matrem Eccleſiam ſuſcepiſſe ad preces horarias in Laudib⁹ hymnū illū. Scioq́; ad Epiſtolam quandam in quadrageſima ſuſcepiſſe hyſtoriā de Suſanna, de qua Dañ. 13. Item hyſtoriam de Bele dracone ad Lectionē in Miſſa cuiuſdam alterius feriæ. Scio deniq; ſuſcepta hæc ad ſacra. Quo modo autem ſuſceperit, aut qua ratione nondum ad me peruenit. Nihilo minus tamen au toritatis habent propterea, vti patet. 11. diſtinctione. cap. Eccleſiaſticarum. & eſt canon Auguſtini in lib. ex dictis Baſilij. Quia quomodocunq; hoc fuerit, agnoſco ſanctam matrem Eccleſiā, ſpiritu ſancto gubernatā, firmam q́; infallibilis veritatis in fide columnam. Reſpōſio. 11. diſt. eccleſiaſticarum. Auguſt.

Scripſerūt autem de hoc ipſo, contra Porphyrium id calumniantem, Methodius, Euſebius & Appollinarius, vt refert Hieronymus in præfatione ſuper Danielem.

Poſſumus & nos qui doctorū iſtorū ſcripta nō vidimus, aliqd per cōiecturas rimari, propter quid Theodotio hæc infarſimenta addiderit. Nam de hymno q́ Hebraice nō fuerit repertus, ſed Græce: & quòd in Suſannæ hyſtoria

ſtoria alluſiones illę σχῖνος, quod eſt lentiſcus: & σχίζω, quod eſt ſcindo. & πρῖνος, quod eſt genus ilicis, & πρίω, quod eſt ſeco, Græcè ſint & non Chaldaicè, quomodo ſcriptus eſt Danielis liber Chaldaicè ſcilicet. Poſſumus dicere multa quidem à Daniele excepta, quæ in eius libro nō fuerūt appoſita, quando Chaldaicè fuit ſcriptus: excepta dico à fidedignis, omni exceptione maioribus: quoniam fortaſſis quū Daniel cæpit clarus haberi in facto Suſannæ, admirantibus de hoc ſapientibus illius tēporis, mandarūt ea literis ſcriptores in memoriā perhennem. Succedentibus autē poſt hoc contentionibus in Græciam Regū Chaldæorum ac Perſarū, Græce conſcriptę fuerūt iſtæ narrationes: vel certe ab initio Gręce conſcripſerūt autores, ob ſapientiam & literarū eruditionem Gręcis attributam. Quumq́ admirationi haberetur Daniel, familiarius eo vſi, ac ceperūt ſecretū illud in camino ignis miraculum, ſimul & hymnū quem literis mandarūt. Quod eñ nō omnia quæ Daniel prædixit habeantur in libro quem tenemus, inde patet, ꝙ hyſtoria Scholaſtica cap. 15. ſuper Danie. vbi agit de Abacuch, refert prophetiam quandam Danielis, ab Epiphanio traditam, in libro ab

Epiphanius.

eo nun

eo nuncupato, Secretum Prophetarum.

Facit ad hoc quod Iudæi dicũt librũ Danielis fuiſſe conſcriptũ à viris cõgregationis magnę: nempe a iudicibus ordinarijs ſeptuaginta, vti refert Figuerola Valentinus cap. 1. partis. 1. Ergo potuit Daniel multa prophetaſſe & dixiſſe, quæ nõ fuerũt ſcripta in originali libro Chaldaico. Signanter q̃a nõ fuerũt ſuſcepta, quaſi pertinẽtia ad ſperandũ Meſſiah vel ad religionẽ, ſicut infra hoc amplius ediſſeret. Figuerola

Simile dicendũ eſt de hyſtoria Heſter & repetitionibus à Theodotiõe appoſitis, & alijs. Quòd ita apud Græcos autenticè reperiens, addidit ſcripturis, locis cõgruis. Neq; in hoc temerarius ſacrilegus iudicandus eſt, quum conſtet Hezram multa inſeruiſſe ſcripturis, vt infra ſuo loco dicetur. Quamuis enim Theodotion hic hæreticus fuerit & nequam, tamẽ illi qui hęc quondam ſcripſerũt, ſancti fuerũt & ſpiritu ſancto pro parte afflati: pręter Theodotionẽ ab Eccleſia etiã tunc cogniti. Quod inconcuſſe probatur ex eo quod Epiphanio teſte adductũ eſt, quem Scholaſtica tradit habuiſſe diuinitus reuelationem de prophetijs multorum prophetarum.

Et hæc de iſta tertia Annotatione.

I ANNO

ANNOTATIO IIII.

Quomodo ſancta mater Eccleſia mutauerit ordinem librorum ques à Synagoga ſuſcepit.

DIGNVM quoq; videtur tracta-tu quomodo ſancta mater Eccle-ſia ſuſcipiens libros veteris Teſta menti à Synagoga, non eodem lo cat eos ordine, quo illa: Namq; librum Pſal-morum inter prophetales libros annumerat, cùm Synagoga inter agiographa aſcribat in ordinem tertium, vti iam ſupra dictum eſt in Annotatione. 1. Nam poſt legem in populo Hebraico iam religioſe ſeruatam, ſuſcepit Sy nagoga libros aliquot prophetales: quia ſcie-bat eos à Prophetis fuiſſe conſcriptos, & per modum propheticum: incipientes ſic narratio nem ſuam verbis oſtenſiuis talis prophetiæ, vt ſtatim cōprehendi poſſet, narrationem ta-lem ad myſteria pertinere. Quemadmodum incipit Eſaias, dicens. Viſio Eſaię. &c. Et. Ver ba Hieremiæ prophetæ. &c. Et factum eſt, & aperti ſunt cœli, & vidi viſiones Dei. Ezech. 1. a. Et. Verbū dñi quod factum eſt ad Oſee.

Oſeæ

Oſeæ.1. Item. Et factũ eſt poſt mortẽ Moyſi, vt loqueretur dominus ad Ioſue. Ioſue.1. Et etiam. Et poſt mortem Ioſue, conſuluerũt filij Iſrael Dominum. Dixitq; Dominus. &c. Iudicum.1. Et. Fuit vir vnus de Ramathaim ſophim, de monte Ephraim.&c. 1.Reg.1. vel Samuel. In quibus nominibus percipiũt Hebræi myſterium occluſum. Et inſuper. Et rex Dauid ſenuerat.&c.3.Reg.1. vel Melachim.1. In quibus principijs ipſi Hebræi intelligunt ſibi contextũ ad modum prophetiæ, propter quod, nomine prophetalium, nominant eos libros.

Igitur poſt legem ſuſceptam, librosq; Ioſue ac Iudicum ſuſcipiens librum Samuel, ſuſcepit Pſalmos. Quum enim Dauid, volens ampliorem reddere cultũ Domini, in manu Samueli facta, conſtituit ordines diuerſorum miniſtrorum Dei, & ad decorum, ornatumq; ampliandum Pſalmos edidit ad cantandũ in miniſterijs diuerſis, pro qualitate feſtorum: ſuſcepit Synagoga religioſiſſimi Regis ſui ſtatuta ſanctiſſima: ſeruauitq; præfixum ordinem. Ac hymnos illos in laudes diuinas conditos ceu res in primis ſacras, conſcripſit in ſanctis libris ad ſeruandum in ſempiternum. Accre-

uitq́ꝫ hoc modo numerus librorũ ſanctorum. At non æquè exiſtimauit cenſendos: neq́ꝫ eodem gradu, pſalmos iſtos ſicut & legẽ. Nam & legem ipſam, quamuis religioſiſſimè ſuſpiceret, ac ſuſciperet, quædã tamẽ eius particulari religione adorabat plus quàm alia. Suſceptis enim tabulis primum in Syna, vt patet Exo.31. in fine. Suſcepit poſt in Oreb fœdus ac legem, vt patet Deut.5.a. Quæ ſunt diuerſa loca, licet parum diſtantia. Demũ recepit fœdus iterum in Campeſtribus Moab. Deut. 29.a. & Num.33.f. Et hæc verba repetita in Campeſtribus Moab, quia iam ad terrã promiſſionis peruenerant, religioſiſſimè reuerentur, quaſi pleniſſima myſterijs, plus quàm alię legis legendæ. Vbi fuſius continentur domini obſeruantiæ ab eis ſeruandæ. Quamuis ita omnem legem reuereantur, quòd verba ponderent, ordinemq́ꝫ verborũ: quod præcedat, quodq́ꝫ ſequatur. Literas etiam quibus ſcribatur, ac quibus punctis literæ terminentur. Si etiam abbreuiatè ſcribatur, aut completè omnibus literis, quæ omnia myſterijs affluũt. Sicut iam dictũ eſt de Domini dicto Matth.5. Iod vnum, aut apex vnus nõ præteribit à lege, donec om̃ia fiant. Sic etiã intellexit ſancta mater

mater Eccleſia, de libro illo Deuteronomio, quod quum dicatur lex ſecunda, quicquid in illo ſeruandum cõtinetur: etiam ad legem noſtram pertinet, ſeruandum'que eſt. Sic habet Decretalis Innocẽtij tertij. Per venerabilem. Qui filij ſunt legitimi. Sic dicitur Nehemiæ 8. Et legerunt in libro legis, apertè, diſtinctè, & appoſitè ad intelligendum, & intellexerunt quum legeretur. Vbi doctores Hebræorũ aliqui, intellexerunt, Textum Legis ita lectum ab Hezra, & ab aſtantibus miniſtris, vt aduerterentur verba, & ſignificationes contexturę, ac etiam verſuum, & punctationes pauſarum. Agit de hoc latiſſime Figuerola Valentinus. parte. 1. cap. 1. & vt ex innumeris vnum referam. In cap. 23. Gene. vbi agit textus de Spelunca empta ab Effron, aliter ſcribitur hoc nomen Effron ante pactam pecuniam, & aliter poſt pactam, videlicet, primo literis completis. ſecundo, litera mutata, abbreuiate, vt ſonet Ephran: quod non vacat à myſterio. Propterea Synagoga vocat ſapientes ſuos, numerantes, quia numerãt, ac numerare ſoliti ſunt vti debent, etiam literas ſacri textus.

Qui filij ſunt legitimi. cap. Per vene.

De his Hieron. in traditionibus hebraicis in Geneſim.

Suſceptos igitur Hymnos iſtos, ſeu Pſalmos, ad rem diuinam ornandam, amplifican

damq́ꝫ, non æquauit legi. Nec eos propheta les nominauit, vti iam dictum eſt: quia nõ incipiunt per modum prophetiæ, licet Dauid agnoſcatur propheta. Quod vt alibi pluries, maxime tamen patet ex titulo Pſalmi. 18. aliàs 17. vbi dicitur, Victori ſeruo Domini, Dauid, qui loquutus eſt Domino verba carminis huius, in die qua eripuit eum Dominus. &c. Vbi habet Targum. Ad laudandum ſuper miraculis factis ſeruo Domini Dauid, qui laudauit cum prophetia coram Domino, verba cantici huius. &c. Sed habetur lucidius de hoc ipſo. 2. Reg. 23. a.

Dauid propheta.

Simile quid euenit libris Selomonis, quos Synagoga ſuſcepit, & Pſalmis adiunxit, nõ tamen eos nominauit prophetales. Certũ autẽ fuit ei à Propheta eos editos fuiſſe. Nam ſuper titulum libri Cantici Canticorũ dicit Targum, cantica & laudes, quas ait Selomon propheta Rex Iſraël, cum ſpiritu prophetiæ coram Domino. &c. Item ſuper titulum Eccleſiaſtes, ait Targũ. Verba prophetiæ quæ prophetauit Coeleth ipſe Selomon filius Dauid. Item Prouerb. 30. habet Targum. Verba prophetiæ Agur filij Yaqqui, qui recepit prophetiam, & ait. &c. Ecce quomodo recognoſcit à

Salomon propheta.

Prophe

Propheta editos libros, & cũ ſpiritu prophetiæ: non tamen propterea eos inter propheticos annumerat: ſicut nec Danielem, nec Iiob: quia non incipiũt hi libri ad modum prophetiæ. Nulli autem dubium quin Synagoga recognouerit Danielem fuiſſe prophetam, & Iiob etiam: quum vbi textus habet Iiob. 27. Docebo vos per manum Dei, quæ omnipotens habeat, dicat Targum. Docebo vos in prophetia Dei, qui cum Sadday non mentiar. Quare Synagoga nõ dicit prophetales libros Dauid, Salo. Daniel. & Iob.

Nominauit ergo libros iſtos Agiographos ſeu Theologos, de Deo videlicet loquentes, & nomine ſuo Hebraico dixit qetthubin, id eſt, ſcripturæ, per excellentiam. At non intrinſecus aduertit veram excellentiam huius libri Pſalmorum, etiam ſuper libros ipſos prophetales. Ideoq; dedit ei tertium locum.

SANCTA verò mater Eccleſia, admonita domini Ieſu verbis. Luc. 24. quibus dixit. Oportet impleri de me om̃ia quæ ſcripta ſunt in Lege, Prophetis, & Pſalmis. Animaduertit res geſtas in toto proceſſu redemptionis humanæ, in Pſalmis contentas, & pro Iudaico more decantari ſolitas in ipſiſmet Pſalmis, ad ſacra illa ſolemniũ ſacrificiorum Iudaicorum, figurantia venturi Meſſiah opera. Perſpexit Pſalmi dauid ſuis vnuſq; ſacris, & diebus cõbinati.

 inquam

inquam clariſſime Dauidem præſcium fuiſſe omnium harum rerũ: & ſic cantica ſua ſacris combinaſſe, vt quaſi eſſent declarationes illarum figurarum, volentibus id perſcrutari & intelligere. Et ideo vocabulũ etiam hoc ſub quo comprehendebatur in Synagoga qetthubin, id eſt, ſcripturæ, maxima animaduerſione conſiderauit, vt recognouerit verè ſcripturam hanc fuiſſe ſcripturarum omnium ſummam, compendiumq́ꝫ, tam legaliũ quàm prophetalium ac Agiographorum. Vnde & Dominus nominauit eam legem, dicens. Ioan. 15. Vt impleretur ſermo, qui in lege eorum ſcriptus eſt: quia odio habuerũt me gratis, quod habetur Pſal. 34. & 48. De quo latè agit Adrianus Finus. lib. 6. cap. 43. ſui Flagelli contra Iudæos.

Quare Pſalmi in medio totius Bibliæ poſiti

PROPTEREA igitur medio in loco totius Bibliæ Pſalmos locauit ſancta mater Eccleſia, vt per locum quem eis aſſignat, poſſit lector deprehendere, quia omnium ſacræ ſcripturæ librorum intellectus ſit.

Hoc etiam in titulo Hebraico huius codicis proprio, quo Synagoga ipſum vocabat, deprehendit eadẽ Eccleſia, videlicet, Ti illim quod aceruum ſignificat. Tel enim ſingulare ſignifi

ſignificat aceruum, & habet plurale theillim & theilloth, dicitur autem per ſyncopam tiillim & tillim: vti Galatinus refert etiam lib. 1. capit. 1.

POSSVMVS & nos hinc deprehendere tria, quæ maximè videtur nos monere ſanċta mater Eccleſia, vt ea aduertamus ex hac loci aſſignatione ſimul cum titulo.

PRIMVM conſideremus librum hunc, omnes librorũ præcedentium eum, ac ſubſequentium complecti ſummas, quia aceruorũ eſt in medio conſiſtens omniũ. Sicq; prophetalium librorũ, legalium, & agiographorum continere explicationes. Hoc etiam aduertit Eccleſia ex Apocalypſi Ioannis Apoſtoli. cap. 3. b. vbi dicitur habere Chriſtum clauem Dauid, & aperire quod nemo claudat, rurſum, claudere quod nemo aperiat. Ex quo intelligitur, ſcripturarum ſcientiam Dauidi eſſe applicatam: quaſi ſolus omniũ ſcientiam ſanċtorum habens, & in Pſalmis ſuis concludens.

SECVNDVM omnia prudenter de Chriſto myſteria exarata, quæ Iudæi Salomoni applicant, vel alijs, quia in medio ponitur, & ad medium illud refertur de populo Hebraico, ſeu melius mauis Iſraëlitico. de quo Deut. 18.

Prophetam de medio tui,& de fratribus tuis ſuſcitabit tibi dominus Deus tuus, ſicut me ipſum audies,&c. id eſt, de tribu Iuda, eius videlicet filij Iſrael qui medius potuit dici inter fratres ſuos,& melior omibus dictus eſt. Qualis fuit Iudas, quartus inter ſeptem filios matris ſuę Leę, ſex mares & vnam fœminam, ſcilicet, Ruben, Symeon, Leui, Iudam, Yſachar, Zabulon,& Dinam, quum nullus aliorum filiorum Iſraël medius inter maternos fratres ſuos dici potuerit. Siquidem nullus medius poteſt dici in duobus. Omnes autem reliquæ tres Iahacob vxores duos tantũ pepererunt. De Iuda quoq; dicitur Gẽn. vltimo. Iuda, te laudabunt fratres tui, &c. Sic igitur hoc videtur reſpicere, medij loci aſſignatio libro Pſalmorum.

TERTIVM deprehendere poſſumus, ꝙ in virtute myſteriorum horum, ſuo tempore euenturorum, data fuerit miſericordia gratiarum multarum, multis eorum temporum hominibus à domino Deo ſuperbenedicto, videlicet: quia liber hic laudatorius eſt, pro collatis beneficijs inter ſacrificandum cantatus: quod videtur innuere Eccleſiaſticus cap. 47. vbi poſt narrationem ampliati cultus diuini

à Da

à Dauide, ſubinfert. Chriſtus purgauit peccata ipſius, & exaltauit in æternũ cornu eius.

HAEC INQVAM nobis in aperto ſunt, Iudæis ignota: & ſic irriſa eſt Synagoga præ lippitudine ſua, cæcitate ac ſordibus. Nos autem lumine ſpiritus ſancti illuminati, igneq; purgati ac illuſtrati magnificè. Vnde & omni tempore die ac hora ad ſacroſancta ſacra noſtra Pſalmos concinimus & cantamus: & pro diuerſis myſterijs, diuerſos tonos eis aptamus, vti Gregorius ſanctè diſtinxit.

Agit Hieronymus in Epiſtola quæ incipit, Nudiuſtertius, de myſterijs Alphabeti in aliquibus Pſalmis, videlicet. 110. 111. 118. 144. & alijs. Quomodo ſecundum ſignificationes Hebraicorum elementorũ, ſiue literarũ, ſignetur myſteriũ in ſcripturis illis incluſum: nanq; ſic adunit literarũ ſignificationes, vt faciat in ſeptem connexionibus, has rationũ contexturas. Doctrina Domus Plenitudo Tabularũ. prima connexio. Iſta Et Hæc Vita. ſecunda connexio. Bonum Principium. tertia connexio. Manus Diſciplinæ, ſiue Cordis. quarta connexio. Ex Ipſis Sempiternum Adiutoriũ. quinta connexio. Fons, ſiue Oculus Oris Iuſtitiæ. ſexta cõnexio. Vocatio Capitis Dentiũ

Signa.

Signa.ſeptima & vltima connexio. Hæc pro literarum expoſitione Hieronymus: ſed quia aliter alijs literæ iſtæ Hebrææ ſignificant, aliter quoque venirent interpretandę, videlicet vt ſequitur.

Aleph. א Doctrina vel manus.
Beth. ב Domus.
Guimal. ג Retributio vel plenitudo.
Daleth. ד Paupertas vel tabula.
He. ה Eſſe vel ex vel ecce.
Vau. ו Principium vel claritas.
Zain. ז Nutritio vel arma.
Cheth. ח Vita vel cõtritio vel deſcenſio.
Teth. ט Lutum vel ſcopa.
Iod. י Laus, manus vel confeſſio.
Caph Chaph. ך כ Humilitas, palma, manus, vel nubes.
Lamed. ל Doctrina vel diſciplina.
Mem. Mem. ם מ Aliquid, vel ex his.
Nun. Nun. ן נ Filiatio, vel æternum, vel progenies.
çamach. ס Coniunctio, vel appoſitio, vel ſuſtentatio.
Hain. ע Oculus vel fons.
Pe. Phe. ף פ Os oris, vel hic loci.
çadic. ץ צ Iuſtitia, vel iuſtus.

Quoph.

Quoph. ק Circundatio vel ſortificatio.
Res. ר Paupertas vel principium.
Sin. ש Mutatio, vel ſecundatio.
Thau. ת Signum vel ſtupor Syriacè.

Ecce iuxta Alfonſum Zamorenſem literarum Hebraicarũ ſignificationem. Licet Reuchlin aliqualiter aliter intelligat. At quocunq; intelligat modo, mirũ quomodo conueniant Pſalmorum iſtorũ qui per alphabetũ compoſiti ſunt contexturæ, myſterijs reuelatis per fidem ſanctam Chriſti Ieſu domini noſtri.

ET HAEC ſufficiant quantum attinet ad locum aſſignatum libro Pſalmorum. Cæterũ de reliquis libris veteris Teſtamenti, non ſeruauit Eccleſia ordinẽ Synagogæ: ſed ſecundũ quod tractant, locauit eos. Primo Legales. Deinde Hyſtoriales. Poſt hæc Sapientiales. Et demum Prophetales. Locauit autem poſt Hyſtoriales Pſalterium, ante Sapientiales.

Libros verò Macchabęorum, quia recens natos, in vltimo loco repoſuit, habita temporis ratione, quum aliàs Hyſtorialibus eſſent coniungendi.

Nec quiſquam exiſtimet ordinem hunc librorum ſanctorum ita fortuitò factum ſine ratione & pro libito. Nam & maxima conſulta-

tione

tione factũ eſt, vt ita ſituentur. Quam ratio-
nem non cogitantes quidam tractatores, or-
dinem in Nouo Teſtamento mutarũt: vt quũ
aliàs Actus Apoſtolorum poſtponantur Pau
linis Epiſtolis, in recentioribus Biblijs nuper
impreſſis, quæ nuncupantur correctæ, præpo
nuntur. Et ſic immediatè poſt Euangelia po-
nuntur Actus Apoſtolorum, quum tamen in
rei veritate debeant præponi Pauli Epiſtolæ.

PRAETER ea autẽ quæ dicta ſunt fuiſſe
deprehenſa in lectione Pſalterij ad myſteria
Chriſti Ieſu pertinẽtia, iuxta domini monitio-
nem, oportet impleri omnia quæ ſcripta ſunt
de me, in Lege, Prophetis & Pſalmis. Luc. 24.
vbi Pſalmorũ ſolum fit mentio de omnibus
libris cõbinationis Agiographorũ, ad quam
Iudæi aſſignarunt librũ illum: aduertit etiam
aliud conſideratione magna dignum, videli-
cet, accentum peculiarem huic Pſalmorũ li-
bro tributum & aſſignatum à Synagoga, ad
cantandũ in Templis. Nanq; vſus hic quem
habet Eccleſia notarum cantus, dictarum, vt,
re mi fa ſol la: & tonorum diuerſorum ad can
tandum ſacras in Templo lectiones, ſecũdũ
quem alio tono cantatur Epiſtola, alio Euan-
geliũ, alioq; Prophetarũ lectiones in choro,

inde

inde manauit, quòd Hebræi habuerunt olim caracteres diuerſos, quandoq; intermixtos literis, quandoq; ſupra dictionem poſitos, quandoq; infra dictionem ipſam. Et dicuntur Hebraicè Theamin, id eſt, Sapores: q̃a quaſi condimentum quoddam, dant ſaporem propriæ ſignificationis illi ſcripturæ in qua ponuntur. Et ſeruatur etiam hic mos in Synagogis vſq; ad hodiernum diem, vbi Iudæi habitant. Vnde & ab Hezra iam olim Pſalmis quibuſdam appoſita fuerat hęc dictio Sela ſiue Cella, quę dictio iuxta Rabi. Auenazra, ſuper Pſalmo.3. nihil ſignificat: ſed eſt apud Hebræos ſicut apud nos eſt h aſpirationis nota. Et ponitur ſemper in Pſalmis ad ſupplementum cantus. Refert autem multa circa hæc Adrianus Finus.lib.4.cap.7. libri ſui contra Iudæos. Adrianus Finus.

Eſt autem multiplex varietas cantandi libros ſacros, ſecundum diuerſitatem materiæ librorum Bibliæ. Nam Pentateuchus, & libri Hyſtoriales cantantur modo plano ac leni. Libri prophetales modo ſeuero ac ſatyrico: plus autem omnibus Hieremiæ Lamentationes, ac Iiob: Pſalterium verò, modo contemplatiuo & graui. Prouerbia, modo plano ac conſiliatiuo. Cantica, modo alacri ac iocundo. Eccleſia-

cleſiaſtes verò modo ſeuero. Quæ omnia vt bene cõciperentur, opus eſſet experientia viuæ vocis. Ego autem quũ hæc legiſſem primum in opere Grammaticæ Hebraicæ Alfonſi Zamorenſis, cap.4. lib.1. & in Grammatica Reuchlin, experimento comprobaui ita eſſe apud Hebræos in vſu, in Synagogis Ferrariæ, Mantuę, Venetijs ac Romæ, quum illic eſſem, & ſtudioſe iſta perquirerem.

Igitur libro Pſalmorũ ſoli contigit cantus contemplatiuus, & grauis. Vides'ne iam cæcam Synagogam, nobis ſeruientẽ? Vides'ne dantem nobis aſcenſum vt in altiſſimas eleuemur contemplationes? Neq; enim quicquam altius eſt inter omnes cogitatus de creaturis, ipſa Chriſti Ieſu paſſione veri Dei, filijq; patris: veri hominis filijque virginis matris. Quid hoc diuinius inter humana? Ecce vt nobis in Dei laudes erumpendum eſt, ac animo toto iubilandum, pro beneficijs ſuſceptis de manu domini: quum olim Iudæi ſolum ex futurorum conſideratione ſaltauerint in tripudio. Benedictus Deus, qui fecit miſericordiã magnam nobis immeritis: quiq; illuminauit Gregoriũ ſuum, vt diuerſos tonos inuentans & approprians pſalmis iſtis ſanctiſſimis, iuxta

prophe

prophetata in ipſis, adaptauit cantus ad contemplandum myſteria, vt ſic tandem fructum dulciſſimum contemplationis guſtantes, in Deum ſpiritu & intimo corde leuemur.

Hæc ſic in Eccleſia Latina dictata à beato Gregorio ratio cantus, intra. 20. naturales pun ctos continetur: licet accidentales ſint plures. tamen nemo cõmuniter vocem habet ad. 12. punctos. Apud Græcos tamen vſus eſt inter cantores ad. 15. punctos velle vocem ſuam extollere, vel deprimere vnumquenq;: ſed ab ſurdè & indecorè nimis. Cantant itaq; Græci ita altè vt. 15. punctis aſcendat cantus, & ita preſſe vt totidem. 15. punctis deſcẽdat, & quaſi non percipiatur, vti Cretæ, ac Conſtantinopoli in Pera eſt hodie in vſu. Aptant autem huic numero. 15. punctorũ pſalmos illos intitulatos. 15. graduũ, vt velint punctis cantus tribuere, quod alij gradibus Templi dant in Pſalmis iſtis.

De ordine Prophetarum inuerſo.

AMPLIVS autem circa propoſitam materiam de ordine mutato librorũ, mirabitur forſan prudens lector de Prophetarũ duodecim ordine, quomodo inter ſe ſic locentur, & quomodo poſtponantur quatuor illis prophe

Dubitandi ratio. tis vocatis maioribus, quum ex titulis eorũ nominantibus Reges ſub quibus propheta-runt, aut ex antecedentibus prophetis quos ſequũtur cõſtet ſic ordinatè eos propheta ſſe, videlicet. Primum Abdiam. deinde Ionam. Poſt Amos. conſequenter Eſaiam, Oſeam, Iohelem, Micheam, Nahum, Sophoniam, Hieremiam, Ezechielem, Danielem, Abacuch, Zachariam: & poſtremũ omniũ Malachiam. Quomodo igitur pręponit Danielem omnibus duodecim minoribus? Item quomodo Oſeam & Iohelem præponit Abdiæ?

Reſpõſio. Reſpondeo. Hieronymus in Commentarijs ſuper cap. 1. Iohelis oſtendit diuerſum ordinem duodecim prophetarum apud Septuaginta, ab eo qui habetur ſecundum Hebraicam veritatem. Nam apud Septuaginta poſt Oſeam, qui vtrobique primus eſt, ſequitur. 2 Amos. 3 Micheas. 4 Ioel. 5 Abdias. 6 Ionas. 7 Naum. 8 Abacuch. 9 Sophonias. 10 Ageus. 11 Zacharias. 12 Malachias. Apud Hebraicam vero veritatem ita ordinatos dicit, vti nos habemus. videlicet. Oſee, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Naum, Abacuch, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias. Rationem autem qua Septuaginta ſic

locarunt

locarunt prophetas non aſſignat expreſſe:ſed conuerſus ad etymologiam nominum,quaſi vult inſinuare non ſine cauſa ſic ordinaſſe,vt videlicet ſeruirent myſterio in eoipſo ordine incluſo, iuxta tractatus eorundem prophetarum, & in ipſorum quoq; nominibus deprehenſum ſenſum. De quibus vide eundem Hieronymum.

NVNC aduertendus eſt verus ordo prophetandi ipſorũ prophetarũ ſecundum tempus. Primus enim omnium Abdias prophetauit,licet ponatur poſt quatuor maiores prophetas,quartus in ordine minorũ, vel quintus apud Septuaginta. Hoc ita deducitur, qa prophetauit tempore Helię, in diebus Achab & impiæ Iezabelis. 3.Reg.18. Ordo prophetarum ſecundum tempus. Primus Abdias.

Poſt Abdiam prophetauit Ionas,in diebus Amaſię filij Ioas regis Iuda.& Hieroboam filij Ioas regis Iſraël.4.Reg.14.g. Hic eſt enim iuxta Hebręos,filius Sareptanę viduę, quem ſuſcitauit Helias. Ionas.

Amos,in diebus Oſię regis oſtenditur prophetaſſe,ex titulo ſuo. Eſaias autem & Oſee ſub eiſdem quatuor regibus ſuccedẽtibus in Ieruſalem,videlicet,Oſia, Ioathan, Achaz,& Ezechia prophetarunt, vt ex titulis corun- Amos,Eſaias,& Oſee.

dem prophetarum eſt videre.

Ioel. Ioel ſequitur ipſum Oſee, & ſic ſecundum Hebræorum traditionem ſignificatur eodem tempore prophetaſſe. Dicunt enim quando non ponitur in titulo prophetæ ſub quo rege facta fuerit talis prophetia, intelligitur ꝙ ſub eodem rege, quo præcedentis prophetæ facta fuerat prophetia.

Micheas. Micheas poſterior eis, noſcitur prophetaſſe in diebus Ioathan, Achaz, & Ezechiæ regum Iuda. Incepit autem ſub Ioathan prophetare, nondum translatis decem tribubus per Aſſyrios, & continuauit prophetare etiam ſub Achaz & Ezechia regibus Iuda.

Naum. Naum, iam decem tribubus in captiuitatē ductis per Aſſyrios, ad conſolationem eorundem tribuū incepit prophetare aduerſus Niniuem metropolym Aſſyriorum, temporibus Ezechiæ.

Sophonias & Hieremias. Poſtea Sophonias & Hieremias cœperunt prophetare ante Ioachim tranſmigrationem, in diebus Ioſiæ regis Iuda, vti in præfationibus librorum ſuorum ipſi teſtantur. Nam inſtabat finis regni duarū tribuum Iuda & Beniamin, in diebus Ioſiæ regis. ex.4.Reg. Nam interfecto iſto, filij eius ac nepotes Ioacham,

Ioakim,

Ioakim, Sedechias & Ioachin, non tam reg-naſſe credendi ſunt, quàm habitos fuiſſe ludibrio regibus Aegyptijs & Chaldæis, expoſitos captiuitatibus varijs ac cruciatibus mortis. ex. 4. Reg. 23. 24. 25. Probatur autē vel in hoc maxime populi illius malitia, quando ſub iuſto rege Ioſia, diuina zelante, quo meliorem non cognouerat Iudæa: tamen ad idololatriam quam ſemel imbiberat ferebatur in præceps: vnde iuſtè ira Domini incanduit ſuper populum infidelem. Incepitꝗ; Sophonias prophetare euerſionem Ieruſalem, & Nabugodonoſor victoriam, quam etiā Hieremias paſſim interſerit.

Ezechiel paulò poſt vaticinatur, videlicet, iam tranſmigrato Ioachin, ante deſolationē tamen ac euerſionem Ieruſalem. Ergo Hieremias in terra Iuda, Ezechiel in Babylone prophetarunt, imminente euerſione Ieruſalem. Hieremias adhuc puer prophetare cepit, anno. 13. Ioſiæ. Et prophetauit ſub eo annis. 19. Poſtea ſub filio eius Ioachin annis. 11. vſque ad quintū menſem quo capta fuit Ieruſalem à Babylonijs. Poſt quæ ſub Ioacham & Ioachin ternis menſibus, quibus exactis alter in Aegyptum, alter cum matre ductus fuit Ba- Ezechiel.

quatuor ſcelera, Damaſci, Gazæ, Tyri, Idumeæ, Amon & Moab. & ſeptimo ac octauo gradu Iſraëlis & Iudæ commonſtrat.

Quare Abacuc præponatur Sophonię

Præponitur etiam Abacuc Sophoniæ, videlicet vt combinetur Naum, vt Iohel combinatur Oſee. Siquidem Naum contra Niniuem & Aſſyrios prophetat, qui vaſtauerũt decem tribus. Abacuc verò cõtra Babylonem ac Nabugodonoſor, qui captiuarunt tribus duas Iudam & Beniamin. Poſt hos autẽ ponitur Sophonias, qui non ad particulares inimicos Iudæorum vaticinatur: ſed generaliter gentibus cunctis ad iudicium eas cõuocans: vt ordo ſit. Primũ poni Oſeam, qui contra decem tribus. Poſt Iohelem, qui cõtra duas tribus. Dein Amos, qui contra vicinas gentes & ipſas quoq; Iudæorum familias generaliter vaticinatur. Deinde ponantur Abdias, Ionas, & Micheas, iuxta tempus ſuarũ prophetiarum. Mox præpoſtero ordine Naum contra populatores decem tribuum. Abacuc cõtra duarũ tribuũ vaſtatores prophetantes ponantur. Et ad ordinẽ tẽporis redeũdo, Sophoniam poſt Abacuc locemus, priorem alijs tribus vltimis, Aggeo, Zacharia, Malakia.

Et hæc de iſta annotatione quarta ſufficiant.

ANNO

ANNOTATIO V.

De libris deſideratis apud Synagogam & Eccleſiam.

NEDVM Sanctorum multorũ deſiderantur elucubrationes, annotationes, & opera cõmentaria in ſacram ſcripturam, tam Hebræorum quàm Chriſtianorũ: verum etiam in ipſa ſacra ſcriptura citantur multi libri, qui apud nos nuſquam ſunt. Et hoc tam in Veteri Teſtamento, quàm in Nouo. Quæ vt perſpicuè pateant, aduertenda ſunt loca ſequentia ſcripturæ ſacræ.

PRIMO Num. 21. citatur liber Bellorum Domini. his verbis. Vnde dicitur in libro Bellorum domini. Sicut fecit in mari rubro, ſic faciet in torrente Arnon. Super quo loco Lyranus ait, apud Hebræos haberi in narratione bellorũ domini, vbi apud nos legitur. In libro bellorum domini. Nanq; dictio Hebraica, ſignificat librũ & narrationem. Sicq; ab Hebræis ita legitur vt intelligant. Dicitur in narratione bellorũ domini, communi, vul-

Deſiderati libri hyſtoriales.

Lyranus.

gariq́ꝫ voce, ſicut fecit in Aegypto, ſic faciet in torrentibus Arnon. &c. vt velint innuere propter ſtupenda quæ Iudæis accidebant, rumores diuulgatos hanc circumferre, vel circumlaturos vocem, vt quæ portenta Aegypto contigiſſent, etiam habitantibus circa Arnon euentura. Sicq́ꝫ propter huiuſmodi verba non eſt intelligendum quòd à Moſe liber aliquis alius citetur.

Auguſt. Auguſtinus verò contra opinatur, videlicet, verè ibi librum citari à Moſe, ab aliquo alio conſcriptum, qui licet in teſtimonium aſſumatur, quantum ad hoc à diuina ſcriptura, non propterea connumerandus venit intra Canonicas ſcripturas. Sic etiam refert Ordinaria Gloſa, prima parte Bibliæ, ſuper locum citatum.

Rabanus. Rabanus item eius eſt opinionis, vt hoc loco citetur liber aliquis ab aliquo fortè Iudæo tantæ multitudinis perito conſcriptus, vel certè ab aliquo eorum Septuaginta, quibus datus fuerat ſpiritus Moyſi. Nume. 11. f. Sic etiam refert Ordinaria. 2. Reg. 1.

SECVNDO, citatur liber Iuſtorum. Ioſue. 10. Et. 2. Regum. 1. vbi Rabanus ait hunc librum deſiderari. Hieronymus verò ſuper

Rabanus. Hierony.

ſuper.44. cap. Eſaiæ dicit, librum hunc eſſe librum Geneſis. Sed quid quod. 2. Regũ.1. dicitur de Dauid. Præcepit vt docerent filios Iuda arcum, ſicut ſcriptum eſt in libro Iuſtorum. vbi inquam ſcriptum eſt, aut reperitur in libro Geneſis de huiuſmodi mandato, ſiue traditione?

TERTIO, deſideratur liber Verborum dierum Selomonis. de quo.3.Reg.11.g.Nec poteſt hic liber intelligi, liber Paralipomenon: quia liber Regum fuit editus prius, quàm liber Paralipomenon: & ſic non poteſt prior remittere ad poſteriorem, ea quæ ad iam deſcripta remittit. Lyranus hic fuſius proſequitur hanc materiam, expungens poſitionem iſtorum. vbi ſupra. Lyranus.

QVARTO, Liber Verborum Dierum Regum Iuda. De quo habetur.3.Reg.14.g. & alibi.

QVINTO, Liber Verborũ dierum Regum Iſraël. De quo habetur.3.Regum.15.g & alibi ſæpe. Super quo verbo dicit interlinearis. Hunc librum non habemus, Beda verò dicit, quòd fuit editus à Ieſu Anani. Sic refert Ordinaria. 1. Hezræ.7. Beda.

SEXTO

SEXTO deſideratur liber Regum Iſraël & Iuda. de quo habetur. 1. Para.9. vbi etiam Lyranus multa ad hoc propoſitum dicit.

PROPHETARVM etiam multorũ deſiderantur libri. Super quo aduertendũ quòd Alfonſus Zamorenſis in artę ſua Grammatica Hebraica, numerat vndecim prophetas in Veteri Teſtamento, qui non ſcripſerunt ſuas prophetias, Et ſunt ij.

Samuel. 1. Regum. 1. 2. &. 3.
Nathan. 2. Regum. 12.
Gad. 2. Regum. 24.
Semeias. 3. Regum. 12.
Achias. 3. Regum. 14.
Iehu filius Anani. 3. Regum. 16.
Elias. 3. Regum. 17.
Micheas filius Iembla. 3. Regum. 22.
Eliſeus. 4. Regum. 2.
Debora. Iudicum. 4.
Olda. 4. Regum. 22.

Hæc ille in fine Catalogi terminorũ Hebraicorum, & Pontificum.

Sed ſi iſti præſignati prophetæ non ſcripſerunt prophetias ſuas, quomodo in libris ſacræ ſcripturæ citantur eorundem opera? & in diuerſis locis etiam? Nam de Samuelis, Na

than,

than & Gad voluminibus, cõſtat quòd citan tur.1.Para.vltimo.c. Item & iterum liber Na than cum libro Achiæ Silonitis citantur.2.Pa ra.9.g. Liber etiam Iehu filij Anani citatur.2. Para.20.g. Citantur quoq; libri Nathan, A. chiæ, & Addo viſio contra Hieroboam, in.2. Para.9.g. Citatur etiã liber prophetiæ Ozai. 2.Para.33.d.

IGITVR deſiderantur libri horũ ſequen tium prophetarum. Deſiderati libri pphetarũ.

Ionadab filij Rechab. de quo.4.reg.18. Hic eſt autem qui præcepit filijs ſuis ne biberent vinum: ne domos ædificarent: ne plantarent vineam.&c. de quo habes Hiere.35.

Gad.1.Para.vltimo.g.

Nathan.1.Para.vlt.g.2.para.9.g.&.29.f.

Achiæ Silonitis.2.para.9.g.

Iehu filij Anani.2.Para.20.g.

Ozai.2.Para.33.d.

Eſaiæ etiam pars quædam, in qua de regno Oziæ regis.2.para.26.d.

CAETERVM agnoſcimus prophetias quas non habemus in proprijs libris, multorum prophetarum. videlicet.

Azariæ filij Obed. de quo.2.Para.15.a.

Anani.de quo.2.Para.16.c.

Michea

Micheæ filij Iembla.3.reg.22. Et.2.para.18.c
Iaziel filij Zachariæ. 2.Para.20.c
Eliezer filij Dodan.2.Para.20.g
Obed. de quo.2.Para.28.b.
Semeiæ. de quo.3.reg.12.f.
Ionæ pars quædam,de Hieroboam filio Ioas 4.regum. 14.g.
Vriæ etiam,qui reductus ex Aegypto, interfectus fuit in Ieruſalem. de quo Hiere.26.g
Hieremiæ pars quædam, de quo. 2.Machabæorum.2.cap.
Liber dierum Sacerdotij Ioannis Hyrcani. de quo. 1. Macch. vltimo.

Et hæc de Teſtamento Veteri ſufficiant, quæ poßint per Textum Scripturæ comprobari.

Lyranus. Præter hæc autem dicit Lyranus ſuper.27. capit. Matth. in loco. Tunc adimpletum eſt, quod dictum eſt per Hieremiam prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos. &c. quòd Hieronymus ait, ſe vidiſſe hanc autoritatem in forma, in quodam Hebraico volumine, qui ſub nomine Hieremiæ prophetæ apud Hebræos habebatur.

Addit Lyranus ibi. Multi enim libri Prophetarum non habentur.

NVNC

NVNC DE LIBRIS DESIDEratis Noui Teſtamenti.

CIRCA Nouum Teſtamentum, primo citatur Epiſtola ad Laodicenſes, à Paulo cap. 4. Epiſtolæ ad Coloſſenſes, vt ſupra notatum eſt ex quorundam opinione. De Epiſtola ad Laodicenſes.

Hanc Epiſtolam Cteophilactus, in eis commentarijs ſuper Epiſtolas Pauli, quę falſo ſub nomine Athanaſij circumferũtur, ſuper hunc locum, dicit eſſe Epiſtolam. 1. ad Timotheum. Cteophilactus.

Sed Iacobus Faber in Commentarijs ſuis ſuper eaſdem Pauli Epiſtolas, affert Epiſtolam quandam nõ omnino abhorrentem Pauli phraſim, quam dicit ſe in locis quatuor reperiſſe, uidelicet Patauí in cenobio ſancti Ioannis de Viridario, Coloniæ apud fratres Communis uitæ, Et Pariſiis in Bibliotecis Eduana, ac Sorbonica. Et in omnibus ijs quatuor locis cõueniunt exemplaria. Sed quantumuis conſtaret hoc loco Paulũ aliam quampiam Epiſtolam ſuam citare, quod uti ſupra annotatum fuit. 1. Annotatione, ambiguum eſt: tamen quia ſancta mater Eccleſia Epiſtolã aliam præter. 14. Pauli genuinas, nõ agnoſcit, nihil eſt quo remoremur, ut ad alia tranſeamus. Laudamus igitur uigilantiam eorum qui Epiſtolam illam nomine Pauli ſeruandam curarunt. ſolertiam quoq; Fabri laudamus: ſed eam Epiſtolam fuiſſe Pauli non concedimus. Ia. Faber.

PRAETEREA ſecundo eſt aduertendũ,

quòd

Multi Euangeliorum ſcriptores. quòd ex principio Euangelij Lucæ conſtat multos conatos fuiſſe ſcribere Euãgelia, quorum ſcripta non extant. Et quamuis non conſtet ſcriptores eos ab ſpiritu ſancto afflatos ad opus tale cónſcribendum, ſecũdum quod deprehenditur ab exordio Lucæ: nonnihil tamen conducerent horum libri, ſi extarent: ad conſiderandum ſaltim proprius illorũ temporum qualitates. Sicq́ȝ deſiderantur. Veruntamen eſt aduertendum etiam, quòd hæretici nacti anſam iſtam, conati ſunt ſtabilire erroris ſui peruerſa dogmata, ſcribentes libros erroribus ſuis reſperſos, ac intitulantes eos falſo, nominibus ſanctorum multorum. Sed fruſtrà iacitur rete ante oculos pennatorũ. Non potuit latere viros ſpiritu ſancto plenos dolus hic & fraus impoſtorum. Suboluerũt ſtatim patres noſtri fœtorem prauæ doctrinæ. & ideo reiecerunt abominatiq́ȝ ſunt. & nota falſitatis inuſſerunt codices impietate plenos.

Gelaſius PP. Sic Gelaſius fecit eorũ elenchum, de quo habetur. 15.d. Sancta Romana Eccleſia. vbi damnantur codices ſequentes.

Euangelia ſub nomine

Andræ Apoſtoli.

Thomæ Apoſtoli.

Barpto

Barptolomæi Apoſtoli.
Thaddei Apoſtoli.
Barnabæ Apoſtoli.

Et ea inſuper Euangelia quæ falſauit Lucianus impius,& quæ Hyrcius etiam falſauit.

Hic Lucianus notatur à Hieronymo in pręfatione ad quatuor Euāgelia, quæ incipit. Nouum opus. Cæterū alius fuit Lucianus martyr, qui tranſtulit editionē Septuaginta in Latinum. De quo idem Hieronymus.

Item notantur Actus ſub nomine

Petri apoſtoli. Philippi apoſtoli.
Andreæ apoſtoli. Thomæ apoſtoli.

Et multi libri ſimiles, qui in illo cap̃. nominantur.

SCIENDVM igitur de ijs qui deſiderantur libris quid Doctores ſenſerint. Et primò quantum attinet ad libros veteris Teſtamenti. Origenes in fine Homiliæ illius ſuper Cantica, quæ incipit. Epithalamium libellus.&c. ſic ait. Origenes.

Operoſum eſt autē,& procul ab opere propoſito: ſi velimus nunc inquirere quàm multorum librorū commemoratio fiat in ſcripturis diuinis: quorū lectio nulla nobis omnino eſt tradita. Sed neq; apud Iudæos haberi qui-

dem vſum huiuſmodi reperimus lectionum: quæ ſiue pro eo quòd aliqua ſupra humanam intelligentiam cõtinebant, placuit ſpiritui ſancto auferri de medio: ſiue quòd eſſent de ſcripturis his, quæ vocantur Apocryphæ, pro eo quòd multa in eis corrupta, & contra fidem veram inueniuntur à maioribus tradita, non placuit eis dari locum, nec admitti ad autoritatem. Supra nos eſt pronunciare de talibus. Illud tamen palam eſt, multa vel ab Apoſtolis, vel ab Euangeliſtis exempla eſſe prolata, & Nouo Teſtamento inſerta: quæ in his ſcripturis, quas Canonicas habemus, nunq̃ legimus, in apochryphis tamen inueniuntur. Et euidenter ex ipſis oſtendũtur aſſumpta. Hæc Origenes.

Toſtado. Abulenſis autem Epiſcopus, dictus Alfonſus Toſtado, ſuper. 1. Para. vltimo. quæſtionibus. 30. 31. 32. poſt multa vltra citraq́ dicta, tandem reſoluit opinionem ſuam, dicens hos libros non fuiſſe de Canone: quia non faciebant ad fidem ac legem.

Sed quid, quòd ex eo quòd ad eos remittunt libri facientes legem ac fidem, & Canonici ſunt, videntur approbari, veraces q́ eſſe oſtendi? Conſequenter etiam quum de contingen

tingentibus loquantur eorū negotijs Regū de quibus ſcribuntur, videntur eſſe legis cōprobationes, ſecūdum quòd dictum eſt de libris hyſtorialibus.

PROPTEREA ergo dicendū eſt, ideo libros iſtos nō eſſe Canonicos: quia licet pro parte comprobationes legis ſint: tamen non eo ſcripti ſunt, vt legis comprobationes facerent. Neq; reperitur in eis is duplex ſpiritus, qui in Canonicis libris quærendus eſt: quamuis reuera multa prophetica continerent, futurorū videlicet prædictiones. Nam quemadmodum in prophetis ſcribentibus (qui verè prophetæ ſunt officio ac dignitate) nedum humanam intelligentiam excedentium notitia expetitur: ſed etiam in eiſdem rebus, ſignificationum ac myſteriorum intellectus, quod eſt habere ſpiritum duplicem, ab Eliſeo petitum ipſi Eliæ. Sic in Scripturis Canonicis huiuſmodi ſpiritu duplici confectis, nedum ſimplex rerum narratio quæritur, ſed etiam myſteriorum per talem narrationem inſinuatio, in ipſa phraſi narrationis q; ſerie intexta. Poteſt autem adduci in exemplū illud Gen. 21. b Surrexit itaq; Abraham mane, & tollens panem & vtrem aquæ impoſuit ſcapulæ eius,

Reſolutio

Quid ſit ſpiritus duplex ab Eliſeo petitus.

Agar videlicet, tradiditq́ puerum & dimiſit eam. Hæc enim ſcriptura in ſuo contextu ſic narrat amandatam Agar è domo Abrahę, vt in futuro quæ euētura eſſent matri filioq́ notarit. In eo enim quòd Abraham ditiſſimum dicit abigere è domo filium ſuum dilectum & charum, ac primogenitum ſimpliciter, licet non ex legitima conſorte ac principali vxore ſuſceptum, impoſitis pane & aquę vtre, ſcapulis matris: impoſitoq́ puero, verius adoleſcente. 18. fermè & amplius etiam annorū, matris ceruicibus, vt ex Hebraico eſt deprehendere cōtextu, vt Hieronymus ad Damaſum, de tribus quæſtionibus, quæſtione. 2. ſine muneribus, viaticorum ſolatio, ac iumentorū & familiæ donarijs, quæ neceſſario videntur debuiſſe ita fuiſſe: inſinuat hoc myſterioſe narratum (quū ea quæ deſiderarentur, vt diximus, fuiſſe intelligantur, & nō defuiſſe) quòd eius populi, quem Hyſmael prænotabat, cura Synagogæ per Agar notatæ commiſſa intelligatur, in obſeruantia legis oneroſæ & ad humeros impendentis: quæ tamen panis fuit illius populi, ſuſtentatioq́ familiaris & ordinaria. Leuamen autem ac refrigerium in aqua prophetarum è cœlo inſtillata, ſeu profundo intellectu

Hierony.

tellectu defoſſa, in expectando Meſſiah opera. Ecce inquam hic duplicem ſpiritum, qui in omnibus Canonicis ſcripturis expetitur, ac inuenitur locis multis, frequenterq́;.

SED QVID de Paulinis Epiſtolis, quibus ſolus literalis ſenſus tributus eſt, fermè per omnes partes ſuas. ſupra Annotatione. 1. Nunquid & in eis duplex ſpiritus inuenitur? Duplexq́; literalis ſenſus? Quid ni? Nam & literalis ſenſus multiplex eſt in pleriſq; locis: non vnus tantum, ſed plures. vt infra videbimus. Propterq́; huiuſmodi multiplicitatis differentiam, ſumpſerũt libri Canonici diſtinctionem gradus, vt quidam ordinis primi cõputentur, quidam ſecundi, quidam tertij. &c.

In Epiſtolis Pauli inuenitur quoq; ſenſus multiplex.

DICENDVM igitur reuera fuiſſe plures ſcriptores qui multa ad ſacram ſcripturam conducentia confecere volumina, quæ ſi extarent, mirum quàm rem literariam iuuarent.

Plurimorum ſcriptorũ opera deſiderantur.

Præter enim ſuperius nominatos, fuit & Malchus quidam propheta, hyſtoriæ Iudaicę ſcriptor, de quo Petrus Comeſtor autor hyſtoriæ Schòlaſticæ meminit, ſuper. 25. cap. Geneſis, cap. 62. Et multi alij fuere ſcriptores Iudæorum temporibus priſcis, de quibus Ioſephus multa.

Malchus hiſtoricus propheta.

Hiſtoria Scholaſt.

Horum autem ſcriptorum, partim periere libri in aduerſis fortunis Iudæorum, cum cæteris bonis eius gentis combuſti, in bellis diuerſis: partim manſerunt, ſicut ij qui citantur in ſacris codicibus: qui ſi tempore Hezræ nō extitiſſent, ab eo vtiq; non fuiſſent citati, quū dicitur legem reparaſſe cum libris ſacris. Nō tamen habita fuit de illis cura talis qualis de ſacris voluminibus. Eapropter in ſuccedentibus poſt bellis interciderunt, ſaltim nunc deſiderantur.

Ieſus Ben Syrac. Ieſus etiam ben Syrac, in Prologo ſui libri qui apud nos Eccleſiaſticus dicitur, ita ſcripſit. Multorum nobis & magnorū per Legem & Prophetas, aliosq; qui eos ſequuti ſunt, ſapientia demonſtrata eſt. &c. infra. Sed ipſa lex & prophetæ, cæteraq; aliorum librorum non paruam habent differentiam, quando inter ſe dicuntur. Nam in. 38. anno, temporibus Ptolemęi Euergetis regis, poſtquam in Aegyptū perueni, & quum multū temporis ibi fuiſſem, inueni ibi libros relictos, non paruæ neq; contemnendæ doctrinæ. &c. Subdit paulò poſt. Auus meus Iehoſuas, poſtquam ſe amplius dedit ad diligentiam lectionis Legis & Prophetarum, aliorumq; librorū, qui nobis à parenti

rentibus noſtris traditi ſunt, voluit & ipſe aliquid horum quæ ad doctrinam & ſapientiam pertinent ſcribere. &c.

Refert Galatinus lib. 1. cap. 3. plures doctores Hebræorum præceſſiſſe Chriſtum dominum, qui ſacram ſcripturam elucidarunt, quorum vnus Ariſtobolus fecit commentaria ſuper Moſen, ante Chriſtū natū annis. 160. De quo. 2. Macch. 1. dicitur quòd erat magiſter Ptolomæi regis, & de gente chriſtorum ſacerdotum. vbi Gloſa Ordinaria meminit cōmentariorum ſuper Moſen editorum ab eo. Idem etiam tradit hyſtoria Scholaſtica de diuerſis cap. 10. Frater Galatinus. Scriptores Hebræi ante Chriſtum natū. Ariſtobolus.

Poſt hunc Rabbi Ioddan, & Rabbi Ibba multa ſcripſere, quæ deſiderantur quoq;. Rabbi Ioddan. Ra. Ibba.

Poſt hos Rabbi Symeon filius Iohai, fecit commentaria in Geneſim. R. Symeō

Poſt hunc Rabbenus Haccados, fecit Gale Razeia, id eſt, Secretorum reuelatorem. R Haccados.

Poſt hunc Rabbi Nehumias ben Haccanæ ſcripſit multa, inter quæ etiam dixit ſe nō plus quàm. 50. annis à Meſſiah diſtare. R. Nehumias.

Poſtea ante Chriſtum annis fermè. 42.

Ionathas ben Huzielis, diſcipulus Hillelis, & cōdiſcipulus Symeonis Magni, qui vlnis Ionathas ben Huzielis.

nis excepit Dominum Ieſum, vertit totũ vetus Teſtamentum Chaldaicè, quam editionẽ Iudæi nuncupant, Targum Ionathæ.

Ankelos. Poſt Chriſtum verò Ankelos, filius ſororis Titi Imperatoris, fecit Targũ aliud, id eſt Chaldaicam tranſlationẽ, quaſi paraphraſim.

Temporibus autem Chriſti domini, in rerum omnium maxima, qualis fuit Seruatoris noſtri aduentus, præſentia, & opera, ſtupente orbe toto ad huiuſmodi rerum famam, multi conati ſunt literis rem ad poſteros mandare. Et quidem multi de ijs qui viderunt dominũ, quamuis de numero non eſſent electorum ab eo. Multi etiam qui non viderunt dominum: ſed relatione aſſequuti ſunt, ſcripſerunt acta Seruatoris. Sicq; pro captu vnoquoq; ſcribente, diuerſa literis mandata fuerunt. Inter hos Nicodemus ſcripſit Euangelium. Hierony. Nicodemus vnus eſt, qui Euangelium ſcripſit, ſicut Hierony. refert lib. de Viris Illuſtri. loquutus de Iacobo fratre Dñi, dicens. Euangelium quoq; quod appellatur ſecundũ Hebræos, & à me nuper in Græcum Latinumq́; ſermonem translatũ eſt: quo & Origenes ſæpe vtitur, poſt reſurrectionẽ Saluatoris refert. &c. Hoc etiam Euangeliũ citat ſæpe Ropertus Tuittienſis, quod & deſideratur quoq;.

GAMLIEL

Gamliel ſcripſit.

GAMLIEL certe ſcriptis ſuis multa mira quæ contigerãt, poſteris tranſmiſit. Interq́ꝫ cæteros quos Frater Galatinus refert libro ſuo primo. cap. 4. fuit Rabbi Haccanas ben Nehumiæ. Hic enim quũ omnia penè Chriſti redemptoris geſta & miracula, provt oculis viderat ſcripſiſſet, inter alia, ſic ait. Ego Haccanas ſum vnus ex eis qui credunt in eum, & ablui me aquis ſanctis, in eiusq́ꝫ vijs rectis incedo. &c. Quid tu hic dices Iudeæ, quicunq́ꝫ ſis?

Rab. Haccanas.

Aliquot Christianorũ opera deſiderata.

AD NOSTROS autem deueniendo doctores, quis poſſit deplorare ſatis tot ſanctorum patrum perijſſe labores, tot ſacrarũ ſcripturarum elucidationes, quot nequeat tenax memoria chronographus enumerare, aut memorari.

De his vide Hiero. in Epiſtola ad Magnũ Oratorem Romanum.

Imprimis deſiderãtur Ammonij Canones, numero decem in Euangelia: quos nuper conatus eſt reſtituere Alfonſus de Madrigal Epiſcopus Abulenſis, dictus Toſtado.

Item eiuſdem Ammonij de conſonantia Ieſu, ac Moyſi, liber.

Deſiderantur Hyppoliti commentaria ſuper totam Bibliam. Ad cuius emulationem fertur incitatũ Origenem ab Ambroſio ſuo

ad tot libros ſcribendũ, quot difficile ſit cuipiam legere poſſe. Quorũ licet multos Hieronymus legiſſe ſe referat, tamen pro maiori parte deſiderantur.

Victorini. Deſiderantur item Victorini Pictauienſis Epiſcopi lucubrationes ſuper totam fermè ſanctam ſcripturam.

Athan. Euſebij. Baſilij. Iſidori. &c. Deſiderãtur Athanaſij, Euſebij, Baſilij, aliorumq́ plurimorum doctorum opera multa. Et vt ad noſtros Hyſpanos conuertar, Iſidori Senioris, ac Iunioris, Ildefonſi, Audentij, Eutropius. Fulgentij, ac noſtri Valentini Epiſcopi Eutropij: vtq́ ſemel multa comprehendam, qui copioſius huiuſmodi temporis iniurias ſcire voluerit, legat Elenchum ſcriptorũ Eccleſiaſticorum à Ioanne Tritthemio nuper editũ, vbi hæc ipſa fuſius continentur.

Hierony. De operibus verò Hieronymi deſideratis legat indicem per D. Eraſmũ operibus eius adiunctum.

Non tamen ita male ſentio de fortuna, vt exiſtimem omnia hęc interijſſe ac perijſſe, aut certè deſperem in lucem poſſe reuerti: quinimo, ſicut accidit operib⁹ Rabani, Aymonis, Henrici, Alcuini, Bedæ ac Anſelmi, quæ è quodam quaſi poſtliminio reuocata, iterũ in lucem

lucem prodiere: ita ſpero indies in lucem proditura, vbicunq; lateant horum ſanctorũ opera multa, ſtudioſorum cura, beneficioq; literarum bonarum: quod vtinam præſto ſit.

Nota de prophetijs vulgaribus.

EX SVPRADICTIS de prophetijs duplicis ſpiritus & ſimplicis ſpiritus habet prudens lector, quænam ſit adhibenda fides iſtis vulgaribus prophetijs, quæ circunferuntur

Iſidori prophetię Brigitæ. Petri heremitæ.

nomine Iſidori, Brigitæ, & inter noſtros Valentinos, Petri Heremitæ vulgo dicti, el Scudero. Nanq; vt demus vere prophetias eſſe, quum nõ ſint illo ſpiritu duplici confectæ, ſed ſimplici, videlicet vt ſunt futurorũ euentuũ prænotiones, prçuiſionesq; eorũ quæ ſequenda ſunt, ſeu accidenda viuentibus iuxta temporum diſpoſitiones, conſiderandũ eſt quandoq; eſſe cõminatorias, ad corrigendum cor-

Prophetiæ cõminatoriæ.

ruptelas vitiorũ introductorum per diuerſarum nationum cõmixtionem, niſi velint incidere in minarum effectus. Quandoq; etiam

Prophetiæ prænũtiæ certi euentus.

reuera eſſe prænuncias futurorũ malorum in quæ homines incorrecti deuenient. Quoniã certum eſt nõ eſſe firmioris determinationis has ſimplicis ſpiritus prophetias, prophetijs duplicis ſpiritus. Sed quòd reperiantur quandoq; comminatoriæ duplicis ſpiritus, patet

in ea

in ea de Iona, & Eſaia, & alijs.

Suſpiciendæ ſunt igitur iſtæ prophetiæ ſic vt non contemnantur. At nō ita certè habendæ ſunt, vt ineuitabiliter euenturum id quod dicunt, credatur. Non enim eſt dubium, quin Dominus Ieſus multos ad Eccleſiæ ſuæ gubernationem etiam nunc vngat ſpiritu prophetas, quamuis idiotas ac ſimplices.

Nota de ruſtico valentino apud pagū de Silueılla, vulgo Chiluella

Vidi ego Valentiæ quendam ruſticum dictum Petrum Sanctum, qui uenit ad Eccleſiam matricem Valentiæ, die Ramorum, & obtulit in offertorio Sacerdoti duas candelas, alteram albam, alteram rubeam. Verſus autē poſt hoc Gubernatori ciuitatis & Regni, qui aderat officio Miſſæ, dedit ei gladium nudum, dicens alta uoce à multis clarè audita. Fac ô Iudex iuſtitiam. Obmurmurauit autem aliud neſcio quid. Dein uerſus ad eum qui apud nos Iuſtitia criminum dicitur, dedit ei tunicam ſuam, dicens alta uoce. Accipe & ô tu capam meam. Pronunciauitq; grande ſcandalum ſuper ciuitatem ac regnum uenturū: & his actis abijt, & nunquam poſt hoc comparuit. Euenit autem punctaliter ita ac ille dixerat: ſex annis ante prænuncians. Quorū omnium ego teſtis præſens. Quis autem neſciat effuſum ſanguinem uſq; ad pectus, & os, in miſerandis cladibus coniurationis plebeiæ, annis domini. 1521. 1522. 1523. &c.

Sic itidem referuntur multa de multis qui prædixerūt ea quæ poſtea ſubſequuta fuerunt, inter quæ lubet hæc referre. Ante annos multos citra hominum memoriam, erat

commune

commune dictum Sagunti, quæ nunc Murus ueter dicitur, Quòd ex quodam arcis canali ad excolandas pluuias tecti ſuperioris cuiuſdam turris poſito, emanaturus erat ſanguis humanus quãdoq; ex trucidatis illic hominibus in eius turris tecto. Et tandem in coniuratione plebeia ita euenit anno domini. 1520. & nunc uſq; conſpiciuntur ſanguine illiti parietes exteriores illius turris. Res mira uiſu.

Prophetia apud Saguntũ, quæ nunc Murus veter.

ANNOTATIO VI.

De autoribus librorum ſanctorũ, & qua lingua quiſq; ſcripſerit.

QVANTVMVIS notum ſit vnumquenq; ſcriptorem ſacrorũ voluminũ ab ſpiritu ſancto inſpiratum: ac conſequẽter ipſum fuiſſe organũ ſpiritus ſancti, qui primus principaliſq; autor eſt ſacræ ſcripturæ. At refert multum, vti iam ſupra tactũ eſt, noſce quis ſcriptor & inſtrumẽtalis autor fuerit ſpiritui ſancto ad ſcribendum, ſeu componendum libros, videlicet, in promptu eſt legenti Amos, ac Eſaiæ prophetias, experimentum ſumere huius quam dicimus vtilitatis.

Nempe

Nempe perſpicua notitia veri ſenſus illius ſcripturæ ſecundum ſuam vniuſcuiuſq; phraſim. De quo Hieronymus in cōmentarijs ſuper hos prophetas. Spiritus enim ſanctus eleuans prophetarū intellectus ad myſteria contemplanda, & intelligendum quæ reuelat, vtitur eis quaſi quibuſdam amanuenſibus, vt ſecundum eorum conſuetam loquendi ſcribendiq; formam, ea dicant quæ dn̄s mandat.

Hierony.

Qui fuerint ſcriptores iuxta Iudęos.

A QVIBVS ergo ſcriptoribus opinentur Iudæi volumina diuina veteris inſtrumenti fuiſſe conſcripta, ſic habet Rabbi Moſes Kymhi.

R. Moyſ. Kymhi.

Moyſes ſcripſit Legis quinarios, hoc eſt, Pentateuchū, præter octo verſus, ab. Et mortuus eſt Moyſes, vſq; ad finem Legis. & Iiob.

Ioſue ſcripſit octo verſus de Lege, & librum ſuum.

Samuel ſcripſit librum ſuum, id eſt, Primū & ſecundū Regū. Et librū Iudicū & Ruth.

Eſaias ſcripſit librum ſuum, & librum Prouerbiorum, & librum Eccleſiaſtes, & librum Cantici Canticorum.

Hieremias ſcripſit librum ſuum, & librum Regum, hoc eſt, Tertium & quartum. & librum Trenorum.

Viri

Viri Synagogæ maioris ſcripſerūt librum Ezequiel, & librum Duodecim prophetarum minorum. Librum Danielis & Heſter.

Dauid & decem prophetæ ſcripſerūt librū hymnorum, hoc eſt, Pſalmorum.

Hezras ſcripſit librum ſuum. Et genealogias verborum dierum Paralipomenon. vſq; ad. Et fuerunt ſibi fratres filij Ioſaphat. quod habetur. 2. Para. 21. Reliqua verò quæ habentur ab illis verbis. 21. capitis, vſq; ad finem ſecundi libri Paralipomenon, per. 17. cap. nō dicit quo autore fuerint conſcripta. Dicit autē Toſtado ſuper. 1. Para. cap. 3. q. 1. Quòd linea Iudæ per Caleph & Ieramеel, continuatur vſq; ad Recchabitas, qui fuerunt contemporanei Hezræ. Toſtado.

PRAETER hæc autē quæ hic Rabbi ſupra annotauit, eſt conſiderare, quòd ſicut legitur. 2. Macch. 2. in libro quodam Hieremiæ prophetæ, qui deſideratur, erat ſcriptū, quòd dederât transmigratis Legem, ne obliuiſcerentur præcepta Domini. Hæc ibi. Ad cuius ſimilitudinem dicitur feciſſe Hezram, mittendo diſperſis Iudæis ſchedulas multas Legis, ſiue rotulos. Dicit enim Figuerola Valentinus. 1. lib. contra Iudæos. cap. 1. Quòd Bur Figuerola

gis

gis in Hiſpania erat rotulus legis, manu Hezræ ſcriptus.

Armachanus. Dicit etiã Armacchanus lib. de quæſtionibus Armenorũ. 2. cap. 11. Quòd Bononiæ in domo fratrum Prædicatorum eſt carta legis Moyſi, ſcripta manu propria Hezræ. Idem ait

Adrianus Adrianus Finus.

Figuerola REFERT etiam Figuerola vbi ſupra. Quòd in Suſa & Elam, in terra Babel, à tempore captiuitatis Babyloniæ, manſerunt Iudæi, qui noluerunt deſcendere cum Hezra ad prouinciam Iudææ, quando ex Regis cõceſſione id poterant. Quoniam ex quorundam ſapientiſſimorum traditione, inter eos cõmorantium, certiſſimũ habuerũt, quòd domus illa quæ ſecundo ædificabatur tunc, erat denuò deſtruenda, populusq́ iterato captiuandus. Ideoq́ libertatibus contenti, quibus fuerant donati, noluerunt illinc egredi. Itidem

Iudæi Hyſpani noluerũt aſcẽdere ad ſecũdam domum. ait in Hyſpania contigiſſe. Nam Iudęi, qui ex Chaldaica illa diſperſione in eam commigrarant, licet à principio pauci, ſucceſſu tamen temporis multiplicati, auctiq́ (pro eius gentis peculiari induſtria) bonis plurimis, honeſtatiq́ officijs, noluerũt regredi Hieruſalem, quum intellexerunt reędificari domum illam

ſecun

ſecundam à Zorobabel:ſed dixerunt. Nequaquam aſcendemus, Domus enim iſta ſecūda deſtruenda eſt: & populus iterū captiuandus. Sicq; permanſerūt in Hyſpania diuiſi per cōgregationes inter Principes, Colonias ac Vrbes Hyſpanas. Dicit etiam idem Figuerola, quòd tempore ſuo extabat Toleti Synagoga quædam Iudæorum, quæ ante ſecundam domum à Zorobabele ædificatam, fuerat olim conſtructa. Et ego viſi eam iam diuæ Mariæ ſacratam, opera olim beati noſtri Valentini Vincentij Ferrer: vulgo autem dicitur, Sancta Maria la Blanca.

POST hæc verò, ſicut habetur in Sedero lam, id eſt, in Hyſtoria mundi apud Hebrços, deſtructo Templo ſecundo, per Veſpaſianū Cæſarem, ac Titum eius filium, ducto populo captiuo Romam, quæ fuit nona captiuitas in ordine: remanſit Bethar ciuitas ſuperſtes deſtructo Templo ſecundo, quinquaginta & octo annis. Et aſcendit Adrianus Imperator & expugnata Bethar ac deſtructa, duxit populum Iſraël captiuum in Hyſpaniam. Hæc fuit decima in ordine captiuitas. Sic etiam refert Frācifcus Stancarus Mantuanus. Vnde permixti aduenæ Iudæi captiui antiquis illis Iu-

Sederolam.

De Iudæis ductis in Hiſpaniā per Adrianū.

Frācifcus Mantuanus.

dæis Hyſpaniæ colonis,qui olim tempore va ſtitatis Chaldæorum ſponte migrarant à Hie ruſalem, multiplicati fuerunt ſuper numerū.

IGITVR ſic habet Iudæorum opinio de autoribus librorum canone ſuo cōtentorum.

Philonis opinio. Philo autem Iudæus in ſuo Breuiario tēpo rum, aliter ſentit de Pſalmorū libro.videlicet, quòd non omnes Pſalmi à Dauide & decem Sapientibus Prophetis editi fuerunt. Nanq; Mizmor, quem ipſe vocat Pſalmum.87.qui incipit. Domine Deus ſalutis meæ. Dicit edi tum fuiſſe propter carceres Ioakin,poſt deſo- lationē factam à Nabugodonoſor. Mizmor autem.88.qui incipit, Miſericordias Domini in æternum cantabo.Factus fuit propter libe rationem ipſius Ioakin,factam ab Euil Mero dach:quando populus cognominauit eū He- ri:eo quòd lucerna Dauid quæ timebatur ex- tincta,illuxiſſet. Dicit etiam Philo ibi.Quòd hyſtoriam Iudith compoſuit Ioakin ſacerdos Magnus, filius Magni Sacerdotis Ieſu,qui & Ioſedech. Et is ipſe conſtituit quotannis li- berationis illius anniuerſariā memoriā agen- dam. Et idem Ioakin ſcripſit hyſtoriam He- ſter. Et memoriam inſuper Phurim inſtituit, poſtquam pater ſuus ab humanis exceſſerat.

De re

De reliquis vero libris, vti ſunt Thobiæ, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, ac Macchabęorum, non curant. Hæc igitur Iudæi.

Quid Doctores Chriſtiani de hoc ſenſerint.

NOSTRI tamen Doctores in aliquibus aliter ſentiunt. Primum inter alios Magnus Baſilius conſentit Hebræis de Pentateuchi autore, quòd fuerit Moſes. Conſentit Iſidorus. 6. Etymol. cap. 1. Fuſius autem proſequitur Auguſtinus Eugubinus in principio Annotationum ſuarũ ſuper Geneſim.

Christianorũ poſitio.
Baſilius.
Iſidorus.
Auguſt. Eugu.

Scripſit autem Moſes literis Hebraicis priſcis, ſermone Hebraico. Literæ autẽ Hebraicæ priſcæ, erant eędem cum literis Samaritanorum tẽpore Hezræ, & vſq; ad tẽpora etiam Hieronymi, vti ipſe Hieronymus meminit in prologo Galeato ſuper libros Regum.

Librum Iiob, ſcripſit Moſes literis ijſdem quibus poſtea ſcripſit Pentateuchum: ſed nõ eodem ſermone. Nanq; mixto eloquio contextus eſt liber: quandoq; Hebraico, quandoq; Syriaco, quandoq; Arabico ſermone contexitur, vt etiam Hieronymus in pręfatiõe ſuper eum librum, quę incipit. Cogor per ſingulos, ait. Quamuis hæc confinia ſint inter ſe, parumq; diſcrepantia.

Pentateuchi autor.

Liber vero Pentateuchi ſermone puro Hebraico continetur. Fortaſſisq́ hoc propterea factum eſt, quòd librum Iiob exiſtens in Aegypto ſcripſit, ad ſufferentiam gentis ſuę corroborandam, ne deficeret in afflictiōe dura ſub Pharaone, ad exemplum Iiob, ſemper conſtans. & ideo vſus eſt vernacula lingua, quę pro tunc populo illi erat in vſu. At quū ſacram ſcripturam cōdidit, iam populo ſegregato, polytiamq́ per ſe diſtinctā faciente, proprio ſermone, auitaq́ lingua condidit, ſcribens quę ſeruanda erant in venturis poſt generationibus.

Vbi ſcriptus Pentateuchus.

Scripſit autem Pentateuchū in tribus potiſſimū locis, videlicet, in Oreb, vt Deut. 5. a. In Syna. Exo. 31. In Campeſtribus Moab. Deut. 29. Huius poſitionis Origenes eſt anteſignanus, ſuper Iiob. Dicit enim, Iiob ſcripſiſſe primum librum ſuum: ſed Moſem poſtea illuſtraſſe eundem, addendo multa de quibus Iiob non meminerat, vti caput primū eſt, & multa alia.

Origenes.

Grego.

Cæterum Gregorius exponens moraliter Iiob, aliter ſentit. At dicens nil referre quis eius autor ſit libri, nullas adducit vel rationes, vel priſcorum autoritates ad id firmandum:

dum: ſatis habens ſcire ab ſpiritu ſancto emanaſſe ſcripturã huius libri, qui autor eſt principalis. Quis autem fuerit hic Iiob, aut cuius generis, diuerſa ſunt opinantium dicta. Origenes ait quòd Idumęus genere, quintus fuerit ab Abraham. Auguſtinus ait, quòd tertia generatione poſterior Iſraël, ex Idumęa traxit originem. Hieronymus, nõ ex Edom, ſeu Eſau: ſed ex fratre Abrahæ deſcendiſſe. Philo Iudęus conformis Hieronymo, ait hũc duxiſſe Dinam filiam Iacob. Quis fuerit Iiob.

Proſequitur Iſidorus vbi ſupra de cæteris libris, videlicet. Ioſue librum ſuum condidit. vti Hebræi aiunt. Samuel fecit librum Iudicum. Errat autem quidam Frater Brito, cõmentatus præfationem ſuper hũc librũ, quando dicit Hezram feciſſe hunc librum Iudicũ. Iſidorus. Quis ſcripſerit Ioſue. Iudicum. Samuelem

Samuel etiam fecit librum primum Regũ, vſq; ad.25.cap. excluſiuè, vbi dicitur. Mortuus eſt autem Samuel.&c. Et ex eo loco vſq; ad finem ſecundi libri Regũ ſcripſit Dauid. Sed quoniam in his duobus libris Regũ agitur de Saul & Dauid regno, quos vnxit Samuel, ideo dicit Iſidorus cap.2.lib.6. Etymol. quòd aſſcribuntur Samueli. Dicunt autem quidam, quòd Gad & Nathan ſcripſerunt à Iſidorus.

25.cap. 1.Regū, vſq; ad finem.2. ex eo quod habetur in fine. 1.Paralip. Geſta Dauid regis priora & nouiſſima ſcripta ſunt in libro Samuelis videntis. & in libro Nathā prophetæ. & in volumine Gad. &c.

Quis ſcripſerit Malachim. Malachim, id eſt, tertium ac quartū libros Regum. Hieremias primus in vnum volumen coegit. nam antea ſparſus erat per ſingulorum Regum hyſtorias liber. Et hoc videtur ex eo quod vltimi libri Regum, & libri Hieremiæ ſimilis eſt finis.

Quis Paralipomenon. De Paralipomenon libris duobus non dicit Iſidorus quis autor eorum fuerit. Toſtado tamen in cōmentarijs quæ in libros iſtos fecit, Dubio.5.Prologi, nititur reuellere opinionem eorū qui dicunt quòd Hieremias fuerit: & ſtatuere eorū qui dicūt quòd fuit Hezras duorum librorum in integrum. Contra Rabbi Kimhi ſupra citati ſententiam, qui dicit, quòd ſolum ſcripſit Hezras vſq; ad caput 21.libri.2.Paralipomenon.

Librum Hezras quis. Hezras, idem librum ſuum edidit, cui copulatur liber Nechemiæ, qui dicitur Hezræ ſecundus: quum tamen vnico volumine cōplectantur ambos Hebræi. Tertiū autem ac quartum, neq; Iudæi habent, neq; Doctores

noſtri

noſtri recipiunt, vt patuit ſupra Annota.2.

Hic Hezras idem eſt qui & Malachias vltimus duodecim Prophetarū, vt Hieronymus ait in duobus Prologis ſuper. 12. Prophetas. Idem ait Adrianus Finus lib. 1. cap. 26.

ADVERTENDVM autē quòd omnes prædicti libri, prȩter Paralipomenon & Hezrȩ, fuerunt olim ſcripti literis Hebraicis priſcis. Et cum eis inſuper libri prophetiarum Hieremiæ, Eſaiȩ, Baruch, Danielis, & Ezechielis, ac Duodecim Prophetarum: licet Daniel ſermone fuerit Chaldaico conſcriptus. Thobias vero & Iudith ſermone Chaldaico, literisq́ꝫ Chaldaicis fuerūt conſcripti. vti patet in Prologis eorum ab Hieronymo editis.

At in ornando ſecundo cultum Domini, ædificato Templo ſecundo mutauit Hezras literas Hebraicas priſcas, adinuentans nouas caracterum formas. & his nouis literis conſcripſit omnes ſuprapoſitos libros, tranſferēs à priſcis caracteribus ad ſuos nouiter inuentos Hebraico ſermone, vt ſeruarentur in poſterum in Hieruſalem. Librum autem ſuum, videlicet Hezræ primū. & Nechemiam, ſiue ſecundū Hezræ, ſcripſit quidem caracteribus illis nouis: at ſermone Chaldaico, videlicet ad

Hezras autor nouorum caracterū ſiue literarum.

tranſmittendum in Chaldæam Iudęis illic degentibus, vt ſcirent quæ cōtigerant inter ædificandum denuò Templū Sanctum. Thobiam vero intactum dimiſit, ſuis Chaldaicis literis ac ſermone. Poſt hoc ſurrexerūt hyſtorię Iudith & Heſter, quas Ioakin Sacerdos Magnus, ſucceſſor & filius Magni Sacerdotis Ioſedech, cōtemporanei ac collegæ ipſius Hezrę, ſcripſit. vti Philo ait in Breuiario temporum. Et Iudith quidem Chaldaico ſermone, literis ꝗ Chaldaicis ſcripſit, videlicet quaſi rem in terra promiſſionis factam, inuulgaturus Iudæis commorantibus in Chaldæa.

Philo.

Quare Iudith liber Chaldaicè Heſter autē Hebraicè ſcripti.

Heſter autem Hebraicè, quaſi in poſterum ſeruaturus memoriam anniuerſariam, in Iudæa eius rei, quæ in Chaldæa contigerat.

Igitur librū Thobiæ, Thobias ipſe conſcripſit Chaldaicis literis, & ſermone Chaldaico.

Eſaias librum ſuum fecit.

Hieremias ſuum quoꝗ cum Trenis, excipiente quandoꝗ notario ſuo Baruch.

Iſidorus.

Ezechielem ac Danielem, ait Iſidorus vbi ſupra, à Sapientibus viris conſcriptos. Ab ijs videlicet qui Zanedrin vocabantur, hoc eſt, Conſilium maximum.

Quomodo Hebręi

Quòd ſi ita eſt, habetur coniectura grandis, quomodo

Theodo

Theodotion potuerit apponere translationi Hebraicæ Danielis Græcas illas lectiones de hymno trium puerorū: dcq; hyſtoria Suſannæ, ac Belis, uidelicet, quoniam non ſcripſit is ipſe ſolus librum ſuum Daniel: ſed communitas illa Sapientum, qui forſan prudenter conticuerunt de hymno illo: ne anſam calumniandi darent iniquis tam ſtupendum miraculum, applicando illud Magiæ, ex ocio in flammis habito etiam ad cantandum, in tam tremendo & obruente periculo. Similiter de Suſanna tacuere fortaßis, ne traducerentur Iudaici Iudices, ac diffamarentur apud gentem rebus Iudaicis infenſam. At ij qui melius ſentiebant, rem literis ad poſteros mandarūt, Græcis quidem uel Chaldaicis. Et quum poſt incenſis Athenis, Xerxes Bibliothecam in eis à Piſiſtrato inſtructam, ſecū euexit ad Perſas, Græca facta ſunt iſta. Quum autem poſtea eandem Bibliotheca è Perſis reducta fuit Athenas à Seleuco Nichanore, ut ait Iſidorus lib.6.Etymol.cap.3. manſerunt hæc ad Theodotionis tempora, & ad manum eius peruenerūt: unde locis ſuis fuere inſerta. Et hæc ſatis. De quibus iam ſupra Annotatione tertia.

hymnum triū puerorum. & Suſannæ hyſtoriā non ſcripſerūt.

Athenarū bibliotheca ad Perſas translata.

Rurſus relata Athenas.

Iſidorus.

Duodecim Prophetas Iſidorus ait ſuas ſcripſiſſe prophetias. Philonem librū Sapientiæ. Ieſum ben Syrach librum Eccleſiaſtici: qui tamen liber propter eloquij ſimilitudinem Selomonis dicitur. Licet Selomonis regis tantū tres libros habeamus, videlicet, Prouerbiorum, Eccleſiaſtes, Cantici Canticorum. Itaq;

De libris 12. Prophetarum Sapiētiæ. Eccleſiaſtici.

habes ex Iſidoro quòd propter ſimilitudinem liber Eccleſiaſtici dicitur eſſe Selomonis: propterea quòd fuſius proſequitur ea quæ Selomon præſtrinxerat: quum tamen reuera neutrius autor fuerit Selomon.

Quis autor lib. Macchab. De libris Macchabęorũ duobus, dicendũ quòd primi libri autor ignoratur quis fuerit: tamen cõmuniter tenetur quòd aliquis Scriba de illis maioribus facientibus Zanedrin, confecerit illum, in memoriam Aſmonaim, id eſt, Macchabæorum. Secundum vero librum, Simon Macchabæus Sacerdos Magnus edidit, ſeu potius compilauit, cuius tempore ceperunt Iudæi proprio computo computare, vt patet. 1. Macch. 13. cap. Fuit autem hæc in librum breuem compilatio, facta ex libris quinq; quos Iaſon quidam de illis rebus fecerat, quæ contigerant. Abbreuiauit autem hos quinq; libros Simon, & ad breuitatẽ epiſtolæ decurtauit, ad mittendum fratribus Iudæis qui per Aegyptum degebant, vt ſolẽnia pro beneficijs à Deo receptis, illic contenta, celebrarent. Et ideo Græcè ſcriptus eſt liber, quia ij qui in Aegypto degebant, Græcas habebant ſcripturas. Dicit autem Ioannes Annius quòd libri Macchabæorũ, qui abſq; tem
poribus

poribus ſcripti erant, geſta, ſub quibus Regibus acta erãt narrãtes, apud veteres habebãtur. Ioſephus autem adijciens tempora, apochryphos reddidit, ponens Antiochum Illuſtrem regnaſſe anno. 137. regni Græcorũ. vt 1. lib. Macch. cap. 1. ſcribitur. qui tamen regnauit anno. 153. vt patet in Annalibus Græcorum per ſingulos Reges Aſiæ & Syriæ poſt Alexandrum.

CAETERVM de Pſalmorum autore inter Doctores Catholicos eſt cõtrouerſia. Hieronymus in Epiſtola ad Sophronium, quæ habetur Tomo. 3. operũ Hiero. ſic ait. Pſalmos omnes eorum teſtamur autorum, qui ponuntur in titulis, Dauid ſcilicet, Aſaph & Idithũ, Filiorum Chore, Eman Ezraitæ, Moyſi & Salomonis. & reliquorum, quos Hezras primo volumine comprehendit. Hæc ille. Auguſtinus vero contra ſentit, omnes fuiſſe Dauidis. De quo Iacobus noſter Chriſtinopolytanus Epiſcopus Valentinus, fuſius agit in cõmentarijs quæ ſcripſit ſuper Pſalmos. Quis autor Pſalmorum. Hierony. Auguſt. Epiſcopus Valẽtinus

Quòd ſi noſtrũ eſſet tantos doctores conſiliare, certè poſſemus Auguſtini dictum ita intelligere, vt dixerit Pſalmos omnes à Dauide compoſitos: quia ab eius Pſalmis deriuata

uata eſt etiam ad reliquos componendos forma: vnde ſancti diuinam inſpirationem adepti illos alios Pſalmos compoſuerunt, dictante ſpiritu ſancto. Neq; hic nouus applicatur dicendi modus Auguſtino, quum iam ſupra dictũ ſit, quòd is ipſe lib. 2. de Doctrina Chriſtiana, tractans de libris Canonicis, dicat ſe dixiſſe librum Sapientię Selomonis eſſe: quia declaratorius eſſet eorum quæ Selomon prius ſcripta reliquerat.

SCRIPSERVNT autem locis & temporibus diuerſis ſancti Prophetæ.

Vbi ſcripſit Samuel & quãdo.

Samuel in Ramatha, vbi commorabatur, vt patet. 1. Reg. 16. Librum quidem Iudicũ poſt electionem regis Saul, poſtq; inſcriptionem Legis regni, & Regij iuris. 1. Reg. 8. & 11. in fine. Librum vero primum Regum, ex eo tempore quo reprobato Saule Dauidem vnxit. 1. reg. 16. Dauid vero compleuit ſcripturam Samuelis vſq; ad finem ſecundi libri Regum, incipiens ſcribere ex quo data fuit ei requies in regno toto. Et ſecundum accidentia ſic poſtea ſcribẽs. Pſalmos vero ſuos quamuis aliquos profugus ſub perſequutione Saulis ediderit, in mõtibus latitans: tamen regno potitus, ſtatuensq; ampliare diuinum

Quando Dauid.

cultum

cultum in decoro cantorum ac cantatricum, redegit in formam, indixitq́ decantandos inter ſacrificandum: vnde illuſtrior emicuit diuina religio. De quo habes.2.Reg.7.& clarius 1.Para.16.

SELOMON in principio ſui regni fecit Parabolas, quas exceperūt nobiles ſibi aſtantes. Poſtea edidit Cantica Canticorū. In fine vero vitæ ſuæ, quaſi in pœnitentiam erratorum fecit librum Eccleſiaſtes, vti Iudæi quidam tradunt. *Quando Selomon.*

Multa autem diſputauit Selomō, qui à Cedro Libani vſq́ ad Yſopum tractauit plantarum naturam: & cum eis de ſibi cōbinatis lapidibus: ac animantibus. At nō habentur alia præter hæc tria. Quoniam & hæc ſpiritu duplici agnoſcuntur edita: quod ad ſanctum Canonem facit. Reliqua impertinentia ſunt.

Poſt hæc multis elapſis annis ſcripſit Hieremias, libros Regum Tertium ac Quartū, ſub Manaſſe rege. Librum verò ſuæ prophetiæ ſcripſit ſub Ioſia & filio eius Ioakin, vſq́ ad conſummationem regni Iuda, & tranſmigrationem. Librū autē Trenorū ſcripſit poſt tranſmigrationem Ieruſalem, anteq̄ populus abduceret eum in Aegyptū, vbi mortuus eſt. *Quando ſcripſit hieremias*

Eſaias

Eſaias. Eſaias iam ante Hieremiã ſcripſerat ſuam prophetiam, inſtante captiuitate decem Tribuum: temporibus videlicet Oziæ, Ioathan, Achaz, & Ezechiæ: vt patet Eſaiæ. 1.

Duodecim prophetæ. Iis ijſdem fermè temporibus ſcripſerunt Duodecim Prophetæ: & omnes quidē in terra Iuda, vt patet in ipſis met prophetijs horum Prophetarum. vti etiam omnes ſupradicti fecerant.

Ezechiel. Daniel. Ezechiel verò ac Daniel prophetarūt poſt tranſmigrationem, in terra Chaldæorū: & illic etiam collectæ fuerunt prophetiæ duodecim prophetarum, quæ diſperſæ apud diuerſos reperiebantur. Collectæ itaq; & in vnum proprium codicem fuerunt redactæ à viris Synagogæ Magnæ facientibus Zanedrim.

De cæteris ſcriptoribus patet quo tempore, quibus'ue locis ſcripſerint ex ſupradictis.

De libris Noui Teſtamenti.

De Euangelio Matthæi qua lingua fuerit. TANDEM ad noſtros deſcendendo Libros Sacri Canonis. Primum animaduertimus nuper inter Doctores ſubortam controuerſiam circa ſcripturam Euangelij Matthæi, quo idiomate fuerit. Nanq; Hieronymus, vt alibi

alibi ſæpe, tamen ſignanter in præfatiōe com
mentariorum in Matthæum, ait. Matthæū He
bræo ſermone in Iudæa ſcripſiſſe Euangeliū,
certum eſt. Idem repetit in commentarijs ſu
per Oſee. 11. reſpondens Iuliano Cæſari pro
Matthæo, adducente illud: Ex Aegypto vo-
caui filium meū. Idem ait in cathalogo ſcri-
ptorum Eccleſiaſticorum. Vbi etiam addit, ſe
vidiſſe ipſum Euangelium Hebraicum in Be
roa vrbe Syriæ: quum etiam pro tunc ſerua-
retur in Bibliotheca Cæſarienſi. Idem ait Ire- Ireneus.
neus lib. 3. cap. 1. Idem ait Ctheophilactus in
principio ac Prologo ſuper Euangeliū Mat-
thæi. Idem Aymo, Sermone de Innocētibus Aymo.
Idem etiam fermè omnes doctores.

Refragatur tamen huic communi ſenten- Argumentū contra.
tiæ, id quod habetur Matthæi. 27. Eli Eli Lam
ma Sabacthani, hoc eſt, Deus meus Deus
meus vt quid dereliquiſti me? Nam ſi He-
braicè ſcriptū fuiſſet Euangelium hoc, tranſ-
lator qui reddidit eum Græcè, non fuiſſet au
ſus apponere dictiones illas duas. Hoc eſt.
quæ non erant in Textu. Inſuper, nec dimi-
ſiſſet ita Hebraica illa verba manere, vti He-
braicè habebant, Eli Eli lamma ſabacthani.
Officium enim tranſferentis eſt reddere lin-
guæ

dicendo ſpiritum emiſiſſe. Precedentia autem verba Eli Eli, ſunt principiũ Pſalmi.21. Subſequentia verò. In manus tuas. ſunt Pſalmi.30. quaſi verſus medium. Vnde & doctores appellarũt Pſalmos Crucis, eos decem qui ſunt iſtis intermedij, videlicet à.21. vſq; ad.30. incluſiuè: opinantes Chriſtum Dominũ hos pſalmos in cruce recitaſſe: quorum principium & vltimi verſum, medio fermè pſalmo cõſiſtentem, clara voce pronunciauit: rationabiliter intimatur, in Hebraica phraſi latens energia, anxietatis illius Dominicę, per verba illa Hebraica coniecturabilis. Quomodo etiam fuerit hoc poſſibile, quòd cum ſumma felicitate animæ illius ſuperbenedictæ Chriſti Ieſu, fuerit quoq; compoſſibilis ſimul acerbiſſima eius afflictio, quaſi ex omni parte derelicta humanitate ſuis viribus à domino. Quare appellentur quidã pſalmi crucis.

Sic Hieronymus in Epiſtola ad Marcellam quæ incipit. Nuper. Tomo.3. citat Origenem in Exegeticis libris, dicentem quòd propter energiam vocum illarum, quæ nequit lingua peregrina rectè exprimi, relictæ ſunt in origine ſua. Idem autem ait Origenes in libris cõtra Celſum. Hæc Adrianus Finus exiſtimat. Hierony. Origenes.

Tale quid eſt in locis multis Noui Teſtamenti, Quare Hebraicæ di-

N

ctiones re manſerint intactæ in Euãgelijs.

menti, videlicet Matth. 1. g. Et vocabũt nomẽ
eius Emmanuel, qđ eſt interpretatũ, Nobiſcũ
Deus. Ibi ẽm in illo vocabulo, Emmanu El,
latens eſt energia vnionis diuinitatis cum hu
manitate per combinationem duarum dictio-
num in nomen vnum, Emmanu, & El. ex qui-
bus reſultat Emmanuel. Ad quod rimandũ
Hebraica dictio relicta eſt, manens in ſuo He
braiſmo. Item Matth. 5. Raccha.

Hierony.

Item Amen, ſæpiſſime in ſcripturis. De qui
bus Hieronymus in Epiſtola ſupradicta. Itẽ
Matth. 21. Os ana. in quo ſignificãtiſſime nar-
ratur exceptio Domini, tanquam veri Regis
expectati ad vniuerſalem gentis ſalutem, ac
mundi totius: acclamatioq; votorũ omnium
regi, triumpho ſuo ſuam ingredienti regiam.
Omnia hæc ẽm in illis veriſſime deſignaban

Solẽne Iudæorũ in Regũ coronatione

tur verbis, Os ana. Nanq; ſolemne erat illi po
pulo ſic acclamare Regi ſuo, in die exaltatio-
nis ſuę, qui de ſemine fuiſſet Dauidis, pro bo
no omine, ſperando à venturo Meſſiah ſalu-
tem: cuius typum ac genus in ea ipſa acclama
tione proteſtabantur: quam expectabant com
plendam in vero Meſſiah. Sicq; ab eo ipſo re
ge exaltato auſpicabantur bona populo ſuo
euentura.

Item

Item Matthæi.27.Acheldema,vel Aceldema, hoc eſt, Ager Sanguinis.

Apud Marcum quoq; cap.3. Et impoſuit illis nomina Boanerges,quod eſt filius tonitrui. Dicit autē Hieronymus ſuper caput primum Danielis,quòd emendatius dicitur Banarehem, vbi dicitur Boanerges. Hierony.

Item Marci.5.Talitha cumi,quod eſt interpretatum. Puella, tibi dico, Surge.vbi redundant hæc duo verba,tibi & dico, vt ait Hieronymus in de Optimo genere interpretandi. Hierony.

Item Marci.7. Epheta,vel potius Iphtah, vel Iphthah, quod eſt Adaperire.

Item Marci.14. Abba.Pater.

Apud Lucam etiam reperiūtur ſimiles Hebraicę dictiões, vt patet pręter alias de Geenna.cap.12.a. De qua etiam habetur Matth. 5.d. 10.c. 18.b. Lucæ.16.Mammona iniquitatis,id eſt, diuitijs. eſt enim Syrum, vti Auguſtinus ait de verbis Domini.

Apud Ioannem verò frequentius, vt patet Ioannis primo. Vocaberis Cephas,quod eſt interpretatum Petrus.vbi Anacletus,ex Cephas & Cephan Syriacè,Cephalen Græcam dictionem deriuauit, interpretatus caput. vt 22.d.cap. Sancta Romana Eccleſia.cōtinetur

Cephas, Hieronymo Syriacum eſt, ſaxeū vel
Hierony. Leo PP. petreum ſignificans. Leoni etiam PP. ſaxum, petra, rupesq́, vt à ſoliditate firmitateq́ Cephas & Petrus dictus ſit primus Apoſtolorū à Domino. Cephalen vero dictio Græca, caput interpretatur. Mirū autem quàm ardentiſſime Luterus inuehatur contra ſtatuta Pontificia, ex hac quam ipſe iactat labe Anacleti. At ſuperabunde Ioannes Eckius ſatiſfacit ijs lib. 1. de Primatu Petri. cap. 22. & 23.

Luterus.

Io. Eckius.

Item Ioannis. 1. etiam. Inuenimus Meſſiam quod eſt interpretatum Chriſtus.

Item cap. 5. Eſt autem Hieroſolymis probatica piſcina, quæ cognominatur Hebraice Bethſaida, aliàs Betheſda.

Item capite. 9. Vade ad natatoriam Siloe, quod interpretatur Miſſus.

Item. 12. Os ana. vti iam ſupradictum eſt.

Maranatha quid ſignificet.

PAVLVS item. 1. Cor. 16. g. ſit anathema, Maranatha. De quo Hieronymus in Epiſtola ad Marcellam ait, quòd ſignificat, dominus venit. Et erat quaſi prouerbiū inter Hebręos & etiam vſq́ hodie Iudæi in Synagogis ſuis dicūt. 40. diebus: hoc nomen pro numero dierum quibus Moſes ſtetit in monte. Quia vt dicunt Cabaliſtę, nemo poterat veniam conſequi

ſequi pro delictis niſi in hoc nomine, vel virtute nominũ per hoc nomen deſignatorum. Moyſi nanque reuelauit Deus in monte, quando populus vitulum cõflans peccauit, quòd in virtute nominis Meſſiæ, & matris eius adepturus erat populus illius peccati remiſſionem, ac omnium quorumcunque peccatorum, & non aliàs. Propter quod etiam nunc Iudæi dicũt. 40. diebus hoc nomen Maran atha, quia in eo includuntur nomina Meſſiæ ac matris eius, videlicet Yſua & Maria. Incluſio vero huiuſmodi eſt, ſecundum ſuas regulas Cabaliſticas duas, Yſbon catan, & Yiſbontahe. In quarum vna valent literę, vndecim. & in alia 290. Sicut & in Apocalypſi cap. 13. in fine, ponitur nomen hoc Diclux, compactum, ad numerum ſignandum ſexcentorũ ſexaginta ſex. Duæ Cabaliſtarũ regulæ.

Hoc autem ſic in vſu peculiare eſt genti illi Iudaicę, vt quãdoque pro nomine nomen aliud ponant, æquiualens in numero per literas importato. Omnes enim literæ ſunt numerales. Sic, quando per literas alicuius nominis notantur hi numeri. 10. 5. 6. 5. qui efficiunt numerum. 26. tunc: quoniam hic numerus formaliter eſt in literis nominis. 4. literarum. יהוה. Iod, he, vau, he. videlicet. 10. 5. 6. 5. Et nõ licet

loquutione formali pronũciare nomen id ineffabile: & conſequenter vti ipſi exiſtimant, neq; ſcribere. Sicut in legendo, loco illius nominis ſubſtituunt nomen Adonai, ita in ſcribendo ſubſtituunt aliud ſcriptum, cuius literæ valent. 9. 6. 3. 8. quæ faciunt tantundem, videlicet numerum. 26.

Hebręi nomina pro nominibꝰ ponunt.

Maranatha includit nomina Ieſu & Mariæ.

Sic in nomine iſto Maranatha, per literas conficitur numerus is, qui per literas etiam reſultat nominum Yeoſua, & Miriam: quę nomina ſunt Seruatoris ac matris eius ſuperbenedictę. Iudęi autem adhuc cæci ac ſine intellectu, illud pronunciant diebus. 40. & quidem religione quàm maxima venerantur, neſcientes incluſum myſterium. Et de ijs ſatis.

Obiectionis ratio.

Redeundo vero ad propoſitum vnde digreſſi ſumus. Eſto ꝙ propter energiam Euangeliſtæ, ac Paulus ſcribentes Græcè, interſeruerint Hebræa quandoq;: quomodo interpres ſibi licentiam pręſumpſit, dimittendi Hebræa, apponendiq; illas duas dictiones, Hoc eſt, in cap. 27. Matthæi. Et illas tres in cap. 1. Quod eſt interpretatum. & ſic in alijs. Hoc nanq; tranſgredi, excedereq; eſt metas interpretis. vti iam ſupra notatum eſt.

Reſpõſio.

RESPONSVRI ſunt propterea ſcrupu-

lis

Ils iſtis Doctores qui tradunt Matthæum Hebraicè ſcripſiſſe. Quòd Matthæus primum Hebraicè Hebręis ſcripſit Euangeliũ, diſceſſurus ab eis. Attamen propagata poſt Eccleſia ad Græcos gentiles, ipſe met tranſtulit Euangelium ſuum Gręcè, in quo dimiſſa ſunt verba illa Hebraica, appoſitæq́; illæ dictiones declaratiuæ. Hoc eſt. & Quod eſt interpretatum. &c.

Mattheus autor & interpres ſui Euãgelij, iuxta quoſdam.

QVARE autem verba illa Pſalmi. 21. diſmiſerit Hebræa, & nõ illa. 30. Pſalmi. In manus tuas domine commendo ſpiritum meum, in quibus videtur etiam quàm maximè omniũ fuiſſe energiam, quũ valido clamore pronuncians ea exclamauit, & expirauit, non eſt præſentis ſpeculationis id diſſerere, aliàs forſan tractabitur, ſufficit ad præſens quòd Chriſto paſſo, omnia in aperto fuerunt, quę olim inuoluta fuerant obſcuritatibus. Palam cõfitemur Deum mortuũ pro nobis peccatoribus. Deũ nos ſuſcepiſſe in peculiarem ſuum populum: ipſiq́; curam noſtri eſſe: cui Deus verus Chriſtus Seruator noſter commendatos reliquit, vltima voce in cruce.

Quomodo verba Pſal. 21. Hebræa. & Pſal. 30 non, in Euangelio?

CARDINALIS autẽ Gaietanus in cõmentarijs ſuper Matthæum, in principio dicit,

Caietanus

 cit,

cit, aliquos opinari translationem huiuſmodi non ab ipſo Matthęo factam, ſed à Ioanne Euangeliſta, antequam ſuum conderet Euangelium. Et hic habet locum quæſtio, Quomodo Ioannes appoſuerit Euangelio Matthæi quicquam, quum ipſe dicat in fine ſui ſcripti Euangelici: Qui appoſuerit ad hæc, apponet ei Deus plagas. Apocalypſis vltimo.

Interpres Matthæi Ioannes.

Quæſtio quare appoſuit Ioannes ſcripturę Matthæi.

Reſpōſio.

RESPONSIO ad hoc talis eſſe poteſt, Quòd apponere propriè, extranei adiunctionem notat. Quod igitur de intellectu Textus eſt, non vocabitur extraneum: ſicq́ꝫ neqꝫ adſcriptio eius, ſeu admixtio, vocabitur appoſitio damnabilis & prohibita, de qua in Apocalypſis autoritate allegata intelligitur. Sic ſancti patres in Conſilio Ferrarienſi tutati ſunt Latinam Eccleſiam à Græcorum calumnijs: quando conquerebantur Graci de Latinis, propter particulam illam, Filioq́ꝫ procedit, in Symbolo Romano, quę nō habebatur in Conſtantynopolytano. Nam dixerunt, quòd non erat appoſitio facta, ſed declaratio, quæ potuit ab Eccleſia fieri. De quo vide acta eius Conſilij ſub Eugenio.

Appoſitio notat extranei admixtionē.

Græcorū querela cōtra Latinos ,ppter particulā Symboli. filioq́; procedit.

Loca ſcripturæ aliquet ing-

Cæterum non eſt infrequens in ſacra ſcriptura intermixta eſſe multa Textui, quæ non ſunt de Textu: nullus tamen

men propter hoc cauſatur falſitatẽ in Textu, quoniam non dicuntur appoſitiones, ſed elucidatiões, quales & hæ quoq; ſunt ſequentes. Geneſis.4. Dixitq; Caim ad Abel fratrem ſuum. Egrediamur foras. hæ dictiones. Egrediamur foras. redundant, & non ſunt de Textu: ſed de notatis aſteriſco à Theodotione. bus redundant particulæ.

Gene.33. Appellauit nomen loci illius Socchot, id eſt, Tabernacula. hæc. id eſt, Tabernacula. redundant, & non ſunt de Textu.

Gene. 34. Quibus patratis audacter, dixit Iahacob, &c. hæc tria. Quibus patratis audacter. redundant, nec ſunt de Textu.

Gene. 38. Patiar quod uis, ſi dederis mihi arrabonem. Hæc tria quoque. Patiar quod uis. non ſunt de Textu. ſed redundant.

Similia multa in ſcripturis reperiuntur: at propter hoc non reclamatur: quia non dicuntur appoſitiones, quæ non ſunt de alieno aut extraneo, ſed de genuino ſenſu illuſtrando & declarando. Ita doctrinaliter tractatur in actis Conſilij citati Ferrarienſis, ubi multa ſcitu digniſſima continentur circa materiam hanc.

POTVIT igitur Ioãnes ſine iniuria Matthæi ita tranſferre Hebraicum Euangeliũ in Grçcam linguã, vt in locis citatis ad intimandam energiam, dimiſerit Hebraica verba, ac ſubiunxerit, hoc eſt. vel. quod eſt interpretatum. vel quid ſimile. Quum dicatur de Bar- Hebraica verba intacta ab interprete propter energiam.

Barptol. etiam interp̃s Matthæi. ptolomęo apoſtolo quòd fecerit ſimile, tranſferens hoc ipſum Matthæi Euangeliũ in linguam Indorum. Dictum eſt autem ſupra Annotatione. 2. iuxta Athanaſium, nõ Ioannem

Iacobus verus interp̃s Matthæi, non Ioannes ſed Iacobum fuiſſe Matthæi interpretem.

Origenes. Igitur propter energiam manſerũt Hebraica in translationibus Græcis ac Latinis. Sic ait Origenes contra Celſum, in quibuſdam ſacris nominibus mirandam latere virtutem: ideoq́ hæc ipſa non eſſe ex Hebraica lingua in aliam tranſferenda: ſed in ſuis ipſis caracteribus conſeruanda. De his Adrianus Finus

Adrianus Ferrarienſis lib. 9. contra Iudæos. cap. 4. mirificè contra Cabaliſtas agens, dictiones plus ſatis inuertentes.

Et hæc de Euangelio Matthæi.

Scrupuli quorundã circa Marci Euangelium. SECVNDO aduertimus de Marci Euangelio, quòd à priſcis fuerit olim dubitatum, vtrum haberet capita ſexdecim, an nõ. Quo

Hierony. niam vt ait Hieronymus ad quæſtiones Hedibiæ. q. 3. Dubitatum fuit olim de illo capitu

Vtrũ Marci eſſet 16 caput. lo. 16. vtrum'ne eſſet Marci, an non: propterea quòd videtur diſcordare à cęteris Euangeliſtis, in eo quod dicit, valde mane vna Sabbati. quum Matthæus dicat. Veſpere autem ſabbati. &c. Et propterea in omnibus pene

Græcis

Græcis codicibus, nõ habetur caput hoc. 16. vbi Eraſmus in Scholio quodam ſuper hac Hieronymi ratione ad q. 3. ait ſe vidiſſe caput hoc. 16. in exemplaribus Græcis, quæ vidiſſe ei contigit. At poſitum ſic poſt finem aliorũ capitum, vt reiectitium videretur. Sed quoniam Sancta mater Eccleſia prælegit caput hoc Marci ad Sacra diei dominicę reſurrectionis (fortaſſis propter hoc ipſum refellendũ, quod imperiti reiectitium faciunt) nõ eſt cur dubitetur à nobis. Contrarietas autem quæ videtur in tempore à Marco notato & alijs Euangeliſtis, conſiliatur aptiſſime à diuo Hieronymo, vbi ſupra, ſcilicet, vt tempus quod eſt inter mediũ noctis, & auroræ, pro ſui principio dictum ſit ac nominatum veſpere Sabbati, ſed cum hac declaratione, quæ luceſcit in prima Sabbati. A Ioanne autem dicitur, Vna Sabbati, quũ adhuc tenebræ eſſent, videlicet quo tempore Chriſtus dominus reſurrexit, & quo Magdalenæ venit ad monumentum. At tempus illud pro ſui fine dictũ eſt à Luca, vna Sabbati, valde diluculo. & à Marco, valde mane, quo videlicet viſus fuit Dominus à Magdalene, facto temporis interſtitio à ſua reſurrectione, ad oſtenſionem ſui

Eraſmus.

Reſolutio reſponſiua

ſui ipſius factam mulieri. Sic docet Hierony-mus. In hoc multi Doctores ſpeciales edi-derunt tractatus.

Secundus ſcrupulus. Facit item ſcrupulum in hoc ſancto Euan-gelio Marci, quòd capite.2.dicitur, ſub Abia thar comediſſe Dauidem panes propoſitio-nis, quum tamen.1.Reg.21.nõ Abiathar, ſed Achimelech nominetur.

Reſpõſio. Eraſmus. Reſponſio tamen ad hoc datur ab Eraſmo in Annotationibus ſuper Marcum, in hoc lo co, duplex, videlicet altera iuxta Lyranum, Lyrani poſitio. vt quum Abiathar fuerit filius Achimelech Sacerdotis: ſimul cum patre fungens ſacerdo tio, rectè Abiathar nominetur, tacito nomine Achimelech: propterea quòd ſodalis fuerit in tribulationib⁹ ipſius Dauid. Quod & Hie ronymus videtur innuere. Altera vero reſpõ Ctheophilacti poſitio ſio datur iuxta Ctheophylacti nutum, videli-cet, quòd Achimelech Sacerdos fuerit dictus domini.1.Reg.21. At Abiathar Sacerdotum princeps, videlicet, vt patre eius non plenè principatu ſacerdotij functo, filius ſub Dauid principatum obtinuerit. Dicit autem idem Eraſmus, quòd Suidas pro eodem reputat Achimelech & Abimelech: licet codices Grę ci ſemper habeant Abimelech: Latini vero

conſtan

conſtanter Achimelech. Polytus vero Catharinus Senenſis, in tractatu de Clauibus, dans cõmunes regulas ad intellectũ obſcurorum locorum Scripturæ, dicit Achimelech binomium fuiſſe, vocatumq́ Abiathar, vti & filius eius Abiathar quoq; nominatus fuit. At prima reſponſio placet plus alijs. Quamuis enim plures fuerint in Scriptura binomij, & trinomij, & iuxta cõgruentias materiæ de qua in Scriptura agitur nominetur, nomine aptato ad illud propoſitum, tamen hic nõ eſt cur patrem nominemus nomine filij. Reperitur in veteri Teſtamento ſæpiſſime Eſau nominatum Seyr, Edom, & Eſau: diuerſis reſpectibus. Similiter & vxores ſuas binomias, quãdoq; nominatas nomine vno, qnandoq; alio. In nouo quoq; Teſtamẽto dicitur Zacharias filius Barachiæ. Matth. 23. qui tamen in. 2. Paralip. 34. dicitur filius Ioiadæ. & ſimilia multa. Tamen non eſt ad propoſitum noſtrum hoc documentũ. Patet enim quòd Dauid diuertens ad domum Dei, ab Achimelech accepit panes, & fugit ad Achis regẽ Geth. Sed quũ Gethei necem expoſcerẽt Dauidis ab Achis, dicentes. Nonne hic eſt cui cantabant, percuſſit Dauid decem millia. Perterritus Dauid,

Polytus.

Refellitur Polytus.

Multi rominij in ſcriptura, non ſine cauſa nominati ſic vel ſic.

Conſideratio digna.

uid,ſimulauit inſaniam. Boniq; conſuluit rex Geth ſimulationem illam, nolens ſtrenuū militem qui ad ſe confugerat perdere: repulitq; delationes ignauorū ſuorū militum, dicens. Adduxiſtis eum vt fureret ante me.&c. Ecce vt exaggerat datam ſibi occaſionem à Dauid ſimulante inſaniam. Dauid inſanit, Achis dicit furorem, aliquid plus inſinuans. Eapropter totum hoc Deo tribuens Dauid, qui in cor Regis poſuerat, vt eum de manibus ſuorum Getheorū liberaret, non eum Achis nominat in Pſalmo.33. quē propter hoc ipſum fecit, dicens. Benedicam Dominum in omni tempore.&c. Sed Abimelech, id eſt, Regem, ex hæreditario iure, vere dignum regno iudicans, alto ſanguine ortum, qui noluit hoſpitij violare iura, quamuis ex morte Goliath Gethei poſſet iniurias repetere. Liber vero Regū.1.cap.21.proprio nomine nominat eum Achis. Ad differentiam igitur Abimelech Achis, ab Achimelech ſacerdote patre Abiatharis, congruè Abiathar nominatur, & non Achimelech, quum ex eo ipſo facto quo Achimelech ſimul cum Abiathar dederunt panes Dauidi, ſequuta fuerit & mors Achimelech ipſius, & exaltatio ſequens Abiathar

Nobile regis Achis factū circa Dauid.

in ſa-

in ſacerdotio, ampliata ditione, principatuq́ decorato. & de his ſatis.

Hæc de Marci Euangelio.

TERTIO aduertimus de Euangelio Lucæ, fuiſſe olim hæreticis dubium: imò apertè & inuerecundè reijciebant illud, dicentes, Lucam non vidiſſe Dominum, vti in principio ſui Euangelij teſtatur is ipſe, dicens. Sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipſi viderũt. Et eapropter quoniam ex auditu ſcripſit, reſpuebant hæretici autoritatẽ eius ſcripturæ: quaſi non conſtaret eſſe autoris ſpiritu ſancto pleni. At Ireneus latè copioſeq́ agit contra hanc perfrictæ frontis veſaniam, lib. 3. contra hæreſes Valentini, ac ſimilium. cap. 14. oſtendens quàm indiuiduus comes Pauli, quàm feruidus Euangelicæ prædicationis fuerit operarius, ex Actis cap. 16. & alijs, vbi cõmuniter in plurali de Paulo & ſeipſo agit in itinerando, prædicando, fideiq́ rem ſtatuendo. Item & ex Pauli approbatione circa perſonam Lucæ. 1. Timoth. 4. Demas me dereliquit, & abijt Theſſalonicam. Creſcens in Galatiam, Titus in Dalmatiam, Lucas eſt mecum ſolus. Item ad Coloſſenſes. 4. Salutat vos Lucas medicus dilectus. & alibi. Circa Euangeliũ verò commenda

Circa euãgeliũ Lucæ dubia hæreticorum.

Ireneus cõtra hæreticos reijciẽtes Lucã.

Lucę Euãgelij ę cõmendatio.

mendatur approbatione Pauli. 2.Corinth.8.

Commendatio Euāgelij eiuſdem.

Miſimus etiam cum illo fratrem noſtrum, cuius laus eſt in Euangelio. Loquitur autem de Luca, vti omnes Doctores exponentes inquiūt. Subdit Paulus. Sed & ordinatus eſt ab Eccleſijs comes peregrinationis noſtræ, in hanc gratiam quæ miniſtratur à nobis ad Domini gloriam, & deſtinatam voluntatem noſtram. &c. Ecce habes eum plenū ſpiritu ſancto: quia eadem Epiſtola dicitur. Idoneos miniſtros nos fecit. cap. 3. Loquitur autem Paulus de ſeipſo, ac Luca, & alijs. Approbatur item Euangelium. 2. Timoth. 2. Memor eſto Dominum Ieſum Chriſtū reſurrexiſſe à mortuis ex ſemine Dauid, ſecundum Euangeliū meum. &c. Vbi iuxta aliquorum doctorū intellectum, loquitur de Euangelio Lucæ, quod ſibi appropriauit: licet alij prædicationē Pauli ibi intelligant. Sic Ireneus confutat hæreſim hanc, reſpuentem ſanctum Euangelium Lucæ, quaſi nō potuiſſet illuſtrari ſpiritu ſancto ad ſcribendum ſanctum Euangelium, qui humanas præhabuerat relationes geſtorum Chriſti, ab eis qui ab initio interfuerant. Imò ſicuti Prophetę in rebus præſentialiter eis cōtingentibus inſurgebāt ſpiritu diuino ad pręnoſcendas

Ireneus.

Lucas & humanis relationibus, & diuino afflatu ad Euāgelium accinctus.

noſcendas medullares ac penitiores ſignifica tiones, diſcurrentes per illuſtrationem ſpiritus: quandoq; ad alia diſparata illis principijs tranſcurrebant, vti Dauidi (gratia exempli) contigit, qui ex viſione Angeli in area Ornam Iebuſei. 2. Reg. vltimo. motus ad cogitandum de Templo ibi ædificando, diſcurrit ad matrem Meſſiah, & congregationem Eccleſiaſticam præcognoſcēdam, ex quo in pſalmum mellitiſſimū prorupit. Fundamēta eius inquiens, in mōtibus ſanctis. &c. Cuius enim eius? videlicet quam mente conceperat matris Meſſiæ. Vnde non potis ſe continere, in canticum prorupit. Ita conformiter oportuit & Lucam familiariter fuiſſe ab Apoſtolis de Chriſti geſtis admonitū, quū Apoſtolis ipſis indiuiduus comes fuerit. & à beatiſſima Maria: cuius ſingularis deuotus, vt in illis narrationib⁹ diuino afflatus ſpū, ad intimiora penetrans, traderet Eccleſiæ dogmata ſalutaria.

Prophetæ vnum videntes aliud cōtemplabantur

Quam neceſſarius autem fuerit Lucas proſequitur Ireneus, dicens. Plurima enim & magis neceſſaria Euangelij per hunc cognouimus: ſicut Ioannis generationē, & de Zacharia hyſtoriam. & aduentum angeli ad Mariam. & exclamationem Heliſabeth. & Angelorum ad paſtores deſcenſum, & ea quæ ab illis dicta ſunt. & Annæ & Simeonis

Lucas Eccleſiæ neceſſarius. Ireneus.

O de Chri

de Chriſto teſtimonium. & quòd duodecim annorũ in Ieruſalem relictus ſit. & baptiſmum Ioannis. & quot annorum Dominus baptizatus ſit.&c.q; multa alia refert in quibus ſingularis eſt Lucas: & reperietur in.10.Canone Ammonij ab Euſebio relato. Ex quibus omnibus patet quòd iure ſancta mater Eccleſia hunc ſanctum Euangeliſtam ſuſceperit,licet non uiderit præſentialiter Dominũ in carne.

Et hæc de Euangelio Lucæ.

Circa Euãgeliũ Ioannis dubia.

QVARTO aduertimus in Euangelio Ioãnis quædam fuiſſe olim in dubium vocata: vtrum'ne vere eſſent Ioannis,an appoſititia, & inſerta ab inimicis veritatis:vti eſt illud de adultera. Ioannis.8.Hanc eñ hyſtoriã Ctheophilactus prætermiſit in eis cõmentarijs quæ ſuper Euangelia fecit. Similiter autem & alij quidam Grçci. Et in aliquibus exemplaribus Grçcis Euangeliorum deſideratur omnino,in alijs adiecta eſt in calce. Cauſa verò huius nõ occurrit in promptu. Forſan autem quoniam temporibus priſcis hæretici ad firmanda praua dogmata hæreſum ſuarũ multis inſertionibus ſuis maculauerant ſcripturarũ ſanctarum codices, vti iam ſupra patuit Annotatione.5. Et etiam quidam Catholici per ignorantiam permiſcuerant omnia,addentes vni Euangelio, quod in alio in ſimili narratione reperiebatur.

Ctheophilactus.

tur. Vnde Euſebio, poſt Ammoniū magnus labor incubuit cōficiendi Canones: vti & Hieronymus notat in præfatione ſuper Euāgelia, quæ incipit. Nouum opus. &c. Ex hoc ergo antiqui iſti Græci experti technas ac impoſturas hæreticorū: inſuper & imprudentiam ſciolorum, timuerunt ne fortè & hyſtoria hæc appoſititia foret, ex eo quòd non bene quadrabat Iudicio ſuo, quòd ad Dominum deportaretur iudicanda mulier, rea capitis, proprijs eius delicti iudicibus contemptis. Hierony.

Sed quoniam ſancta mater Eccleſia, conſultis originalibus, diſcuſſisq́ iudiciū remorantibus ſcrupulis, in lucem claram propoſuit integrum Euangelium Ioannis: nō eſt cur amplius immoremur, in huiuſmodi Græcorum hæſitatione diſſoluēda. Sufficiat monuiſſe prædicta, vt ſi quando nouus antiquorum doctorum indagator, offenderit Græcum aliquem in hoc hærentem, ſciat ſanctam matrem Eccleſiam diligentiſſimè expēdiſſe iam pridem omnia, recognouiſſeq́ hyſtoriam hāc genuinam Ioannis, contextamq́ capitulo illi. 8. & tanq̃ Ioannis lectionem recitare in ſacris Miſſæ in quadam feria quadrageſimæ, cōbinaſſeq́ hyſtoriæ Suſannæ. Non placet autem Eraſmi an- Eraſmus refellitur.

O 2 notatio

notatio hoc loco, qui ait ideo lectionem hanc autoritatem habere, quòd Eccleſiæ communis conſenſus, vti dignam Euangelio cõprobarit. Quaſi extraneam admiſerit, dignificaritq́ꝫ. Euſebius lib.3.hyſtoriæ Eccleſiaſt.cap.vltimo, refert Papiam hanc hyſtoriam de Adultera narrare, vti à Ioanne præceptore ſuo traditam. Eadem hyſtoria habetur in Euangelio ſecundum Hebræos. Meminit Chryſoſtomus Hom̃.60.huius hyſtoriæ. Præclari etiam Doctores & Græci & Latini citant in operibus ſuis hyſtoriam iſtam, & in Commentarijs ſuis enarrant.

Euſebius.

Et hæc de Euangelio Ioannis.

De Epiſtola ad Hebræos dubitatum.

QVINTO aduertimus, quòd de Epiſtola ad Hebræos fuit olim multipliciter dubitatũ. Aliqui enim dubitarunt de ipſa Epiſtola, eſſet ne recipienda. Alij verò non de Epiſtola dubitarũt, ſed de autore, eſſet'ne Paulus, an alius quiſpiam.

Ordinaria enim gloſa, ſuper.8.caput Eſaiæ, dicit, quòd hæc Epiſtola non ſuſcipitur à Latinis inter diuinas ſcripturas. Hieronymus etiã ſcribens ad Dardanum de terra promiſſionis ait Tomo.3.operũ Hieronymi. Illud noſtris dicendum eſt. Hanc Epiſtolam quæ inſcribitur ad

Hierony.

tur ad

tur ad Hebræos, nõ ſolum ab Eccleſijs Orientis: ſed ab omnibus retro Eccleſiaſticis Græci ſermonis ſcriptoribus, quaſi Pauli Apoſtoli ſuſcipi. Licet pleriq; eam vel Barnabæ, vel Clementis arbitrentur, & nihil intereſſe cuius ſit, quũ Eccleſiaſtici viri ſit: & quotidie Eccleſiarum lectione celebretur. Quod ſi eam Latinorum conſuetudo non recipit inter ſcripturas Canonicas: nec Græcorum quidem Eccleſiæ Apocalypſim Ioannis eadẽ libertate ſuſcipiũt. Et tamen nos vtraq; ſuſcipimus. Hæc ibi.

Idem quoque Hieronymus in Epiſtola ad Euagrium, quæ incipit. Miſiſti. &c. Habetur Tomo. 3. ſic habet. Præterea plenius eſſe tractatum in Epiſtola ad Hebręos, quam omnes Græci recipiũt, & nõnulli Latinorũ. Hæc ibi. Hierony.

Item idem Hieronymus, libro de Viris Illuſtribus, vbi de Paulo, ait. Epiſtola autẽ quæ fertur ad Hebræos, nõ eius creditur propter ſtyli ſermonisq; diſtantiam: ſed vel Barnabæ iuxta Tertullianũ, vel Lucæ Euangeliſtæ iuxta quoſdam: vel Clementis, Romanę poſtea Eccleſiæ Epiſcopi, quem aiunt ſententias Pauli proprio ordinaſſe & ornaſſe ſermone: vel certè quia Paulus ſcribebat ad Hebræos, & propter inuidiam ſui apud eos, nominis titu- Hierony. Cuius opinẽtur quidam eſſe Epiſtolam ad Hebræos.

lum in principio ſalutationis amputauerat. Scripſerat vt Hebręus Hebræis Hebraicè, id eſt, ſuo eloquio diſertiſſimè: vt ea quę eloquenter ſcripta fuerũt in Hebræo, eloquentius verterentur in Græcũ. Et hanc eſſe cauſam quòd à cæteris Pauli Epiſtolis diſcrepare videatur. Legũt quidam & ad Laodicenſęs, ſed ab omnibus exploditur. Hæc ibi.

Hierony. Idem etiam in Prologo. Frater Ambroſius, ait. Octaua ad Hebræos, extra numerum ponitur à pleriſq;.

Eraſmus. *Sed ibi Eraſmus in Scholio notat ab Hieronymo ſuſcipi Epiſtolam eam propter ſupra poſitas autoritates.*

Eraſmus. *Idem etiam in annotationibus ſuper eandem Epiſtolam Pauli, tradit multos doctores ueteres dubitaſſe de authore. Romanos diu nec autoritatem recepiſſe. Deniq; & Hieronymum & Auguſtinum de autore quoq; incertos fuiſſe ac dubitaſſe.*

Eandem ſententiam diſſerit latius idem in Reſponſionibus ad Fabrum, ac Natalis Bedæ Cenſuras. Sed refragantibus pleriſq; probis ac peritis.

Dubij deciſio. QVID igitur dicẽdum? quomodo nodus hic ſoluendus? aut quomodo diſſolutus eſt, vt inconcuſſe ſuſceptam ab Eccleſia, & tanquam Pauli genuinam teneamus?

Figuerola Refert Figuerola Valentinus, lib. 1. cõtra

Iudęos

Iudæos.cap.1. Quòd Iudæi Zamorani in Hyſpania aſſeuerarunt ad ſe miſſam Epiſtolam hanc, & ad omnes Iudæos in Hyſpania cõmorantes, ab ipſo Paulo, dum Romæ ageret. Nanq; perlatis ad eos rumoribus de ijs quæ Romæ acciderant Paulo diſputanti cum primoribus Iudæorum in Synagoga, & in hoſpitio ſuo primum. de quo habetur Actuum vltimo. ſcripſerunt ad eum, rogantes, vt ſi fieri poſſet, viſeret eos: ſin autem ſcriptis eos doceret, de ijs quæ vbiq; prædicabat. & ideo Paulus nõ habens tunc adeundi eos facultatem, ſcripſit eis Epiſtolam illam. Hæc refert Figuerola. Sed quòd Iudæorũ multitudo nõdum translata fuiſſet in Hyſpaniam, patuit ſupra, ex eo quòd Adrianus Cæſar, debellata ciuitate Bethar poſt deſtructum Templum, adduxit captiuos Iudæos in Hyſpaniam: quod vtiq; fuit poſt mortem Pauli, qui ſub Nerone occubuit. Verũ eſt tamen ꝙ iam ante hoc erant aliquæ Synagogulæ ex diſperſione illa prima facta tempore Chaldaicæ perſecutionis: & eæ adauctę fuerant tempore deuaſtationis Hieruſalem factæ ſub Tito, fugientibus Iudæis ad has remotas prouincias. Quicquid autẽ de hoc ſit, certè ſi Paulus reſponſiuam feciſſet

Zamorani Iudæi ad ſe miſſam Epiſtolam ad Hebręos gloriantur.

Refellitur Iudæorũ Burgenſiũ error, & Zamorranorum.

hanc Epiſtolam petentibus eam, nō ſubticuiſſet nomen ſuum, neq; ſcripſiſſet non pr̨emiſſo ſolito ſalutationis titulo, præterquam moris ſui eſſet.

Arbitramur igitur hanc technam eſſe Iudaicam: nam licet Paulus venire propoſuerit in Hyſpaniam, vt habet. 15. caput Epiſtol̨e ad Romanos: & de facto etiam eam peragrauerit: vti efficacibus argumentis cōprobatur: docueritq; gentes ac Iud̨eos: hanc tamen Epiſtolam ad eos potius, qui Hįeruſalem habitabāt Hebr̨eos fuiſſe ſcriptā arbitramur. ex eo quod ſcribit ad Iud̨eos iam conuerſos ad Chriſtum ſicut ex. 12. cap. colligitur, vbi dicitur. Recogitate eum qui talem aduerſum ſe ſuſtinuit à peccatoribus contradictionem, vt ne fatigemini animis veſtris. &c. Scribit igitur ad eos Iud̨eos, qui Chriſtū quidem ſuſceperant, ſed legalia quædam adhuc ſeruabant, oſtendens omnia iam cōpleta. & ſic abijſſe in viam ſuam. Nouam autem Chriſti legislationem ſeruandam, &c. Item cap. vltimo, rogat vt orent pro ſua reſtitutione ad eos: vnde lucidiſſime patet quòd ad Hieroſolymitas loquitur, à quibus adductus fuerat alligatus. Quomodo igitur accidit quòd de Epiſtola hac fuerit aliquādo dubit-

Paulus venit in Hyſpaniam.

Paulus ſcripſit ad Hebræos Hieroſolymitas.

Quare dubitatū fuit de Epiſtola ad Hebræos.

dubitatum, vel de autoritate, vel de Autore, hoc mirum certè videtur, quũ conſtet in Conſilio Laodiceno ſuſceptam tanq̃ Pauli Apoſtoli. Item & inter Innocentij Decreta, vt ſupra Annotatione.2.patuit.

Origenes opinatur Epiſtolam ad Hebræos verſam Græcè à Clemente vel Luca.

Item & nominatim in Carthaginenſi Conſilio ſic habetur. Eiuſdem (Pauli videlicet) ad Hebręos, vna.

Reſolutio

FORTASSIS ad aliquas Eccleſias non peruenerant horum Conſiliorũ acta, vel deperdita fuerãt, ſicut accidit de Canonibus Nicenę Synodi, quos poſtulauit poſtea Synodus Aphricana. ſicut iam ſupra obiter tactum eſt.

Dubia circa Actus Apoſtolorum.

SEXTO ADVERTIMVS IN ACTIS Apoſtolorum ſcrupulos quoſdam cõſiderari, in locis aliquot. Primum in cap. 7. continetur ſic. Et deſcendit Iahacob in Aegyptum, & defunctus eſt ipſe & patres noſtri. Et trãslati ſunt in Sichem: & poſiti ſunt in ſepulchro quod emit Abraham precio argẽti à filijs Emor filij Sichem. &c. Geneſis tamen. 33.d. habetur quòd Iahacob emit partem agri in qua fixerat Tabernacula, à filijs Emor patris Sichem, centum agnis. Et idem habetur Ioſue. 24. in fine. vbi dicitur. Oſſa quoq; Ioſeph, quę tulerant

Primus ſcrupulus.

filij Iſrael de Aegypto: ſepelierunt in Sichem, in parte agri quē emerat Iahacob à filijs Emmor patris Sichem centum nouellis ouibus. Cęterum quòd Abraham emerit agrum cum ſpelunca duplici ab Ephron filio Seor, non ab Emmor filio Sichem, aut patre Sichem, Geneſis. 23. continetur.

Eraſmus. *Eraſmus hunc locum annotans, aperit difficultatem, & non explicat, ſed remittit ad Hieronymum in quæſtionibus Hebraicis, eleganter, ut ait, explicantem.* Hierony. *At Hieronymus eo loco uerbum nullum, quòd meminerim, facit de hac materia, licet agat de Salem ac Sichem ciuitate, unde dicta ſit.*

Beda. Dicendum ergo, vti Beda notat, hic duas hyſtorias miſceri, vt quū Textus de duabus ſepulturis meminerit, videlicet, ipſius Iahacob, & ſeorſum filiorū eius: ita loca ſepulchrorum ſemota deſignet, quū dicat, & poſiti ſunt in ſepulchro, quod emit Abraham precio argenti. (quantū attinet ad Iahacob, de quo ante dicit Textus. Et deſcendit Iahacob in Aegyptum, & defunctus eſt ipſe) à filijs Emmor filij Sichem, id eſt ordine præpoſtero, pro eo quòd ordine recto dicendum erat, aut dici potuerat, à filijs Sichem Emmor filij (quantum attinet ad filios Iahacob, de quibus ante dicit Textus. & patres noſtri, ſupple, mortui ſunt.

ſequitur.

ſequitur. Et trãſlati ſunt in Sichem) vt declaratio ſit loci cuius meminit, videlicet inter multas Sichem nomine vrbes, illam intelligat, in qua filij eius ciuitatis à principe Sichem nominatæ filio Emmor vendiderũt agrum, vnde iure poſſeſſum eſt, & ad ſepulchrum deſignatum familiæ Iahacob emptoris. Quumq; Iahacob in Aegypto moriẽte, multis ſumptibus adductũ fuerit corpus eius ſepeliendũ in Hebrõ ſpelunca duplici: poſtea ſucceſſiue morientibus duodecim patriarchis eius filijs, ſeruata fuerunt eorũ oſſa, & aſportata ex Aegypto in terrã promiſſionis: & nondũ in poſſeſſionem habita ciuitate Hebron, in occurrenti q̃ primũ Sichem poſt tranſitũ Iordanis ſepulta ſunt in agro quõdam ab ipſo Iahacob empto. Propter quod inſinuandum, Lucas, narrans Stephani rationem redditam in conſilio ſacerdotum, ita digerit ſermonem ac ille perorans obiter, tetigit ſumma faſtigia rerum. *Quomodo 12 patriarchæ ſepulti in Sichem.*

Secũdo mouet ſcrupulũ, quod Actuũ. 9. in narratiõe cõuerſionis Pauli habetur. Viri autẽ illi qui comitabantur cũ eo ſtabant ſtupefacti, audiẽtes quidẽ vocem, neminẽ autẽ videntes. Poſtea vero cap. 22. ipſemet Paulus hãc ipſam conuerſionẽ ſuam narrans populo, ait. Et qui *Secundus ſcrupulus.*

mecum

mecum erant, lumen quidem viderunt, vocem autem non audierũt eius qui loquebatur mecum. Ecce contrarietatem manifeſtam, vti videtur. audientes quidem vocem. vocem nõ audierunt eius qui loquebatur mecum. Reſponſio Vallę ad hoc duriuſcula eſt, exiſtimantis locum Actuũ. 9. in quo Lucas enarrat geſtam rem, deprauatum eſſe, duabus vocibus tranſpoſitis, vt ſic Lucas ſcripſerit. Videntes quidem lumen, neminem autem audientes. Eraſmus hoc ipſum refert ſuper caput. 22. Actuum. Aliorũ etiam citans ſuper hoc ipſum opiniones Comeſtoris, & modernorum vide licet. Dicit enim Comeſtor, comites Pauli vocem eius audiſſe, at nõ illius cum quo Paulus loquebatur: quem neq; videbant. Iuniores autem aliter, videlicet vocem confuſe, loquentis cum Paulo audiſſe, at nõ articulatas dictiones, vt intelligerent: ſolus enim Paulus percepit hoc modo voces loquentis ſecum.

Valla.

Eraſmus.

Diuerſæ opiniones circa Pauli dictum. Comeſtor Iuniores doctores.

Ad huiuſmodi autem recentiorũ poſitionem amplius intelligẽdam, aduerte, reperiri quandoq; in ſcriptura eandem narrationem aliter habere in loco uno, & aliter in alio. Exempli gratia. Gene. 24. dicitur de ſeruo Abrahæ quòd dederit Rebeccæ inaures, & armillas poſtquam adaquauerat camelos, antequam ſciret cuius filia eſſet. At in narrando hoc

Eadem materia diuerſe narrata in locis diuerſis in ſcriptura.

do hoc ipſum poſtea ipſe Elieſer ait dediſſe inaures ac armillas poſtquam reſciſſet filiam eſſe Bathuelis filij Nachor: ſed hoc de induſtria factum eſt, quia uidelicet ſic expediebat negotio ſuo, ut uideretur id propter affinitatem factũ, ex quo amplius beneuolẽtia captaretur ad expediendam petitionem quam poſtulabat. Sic ad propoſitũ, ne quis interpellaret comites illos Pauli inteſtes, & moraretur narrationis ſeriem, ipſe ſic rem ordine texit, ut non ſit quærere depoſitionem cuiuſquam teſtis, circa narrata ab eo. Patet ex dictis ad ſcrupulos ſatisfactio.

SEPTIMO aduertimus quòd etiam de Epiſtola Petri ſecũda dubitatum fuit aliquando, vtrum'ne vere Apoſtoli Petri fuerit, vel alterius. De quo dicit Hieronymus de Viris Illuſtribus, agens de Petro, quòd dubitatur à quibuſdam eſſe Petri, propter diſſonantiam ſtyli cum priore. Videtur etiam & ipſum Hieronymum dubitaſſe de ea, in Epiſtola ad Cyprianum, quæ incipit. Prius te Cypriane. &c. & habetur Tomo. 3. Sed quid mirum ſi vbi Sancti neruos tendũt, maximè inſtante rationabili occaſione, ſeipſos excellant in cõmuni modo ſcribentes? Nam & in Prophetis, & reliquis ſanctis ſcriptoribus id frequẽs eſt. Vide enim Pſalmos vt vincat vnus alium, myſterijs, phraſi, eloquentia. &c. Sic itidem contigit Paulo

Dubiũ de epiſtola 2 Petri.

Hierony.

Paulo in Epiſtola ad Hebræos, ſic Petro in Epiſtola. 2. Nónne in principio dicitur, Simon Petrus. &c; & cap. 3. meminit primæ Epiſtolæ, dicens. Hanc ecce vobis chariſſimi ſecūdam ſcribo Epiſtolam. &c.

Dubia de duabus vltimis Epiſtolis Ioānis. OCTAVO aduertimus ꝙ etiam de duabus vltimis Epiſtolis Ioannis olim dubitatū fuit, vtrum'ne Apoſtoli Ioannis eſſent, an cuiuſdam Ioannis diſcipuli, ad differētiam Apoſtoli, dicti Senioris. Propterea quòd in titulis harum Epiſtolarū nō apponitur Apoſtolatus mentio. Sic ait Hierony. lib. de Viris Illuſtrib. vbi de Ioanne. Item vbi de Papia, refert eundem Papiam citaſſe & Ioannem Apoſtolū, & Ioannem Seniorem, ſic. Conſiderabam (inquit Papias) quid Andreas, quid Petrus dixiſſent, quid Philippus, quid Thomas, quid Iacobus quid Ioānes, quid Matthæus, vel alius quiſꝙ diſcipulorū Domini. Quid etiam Ariſtion & Senior Ioānes diſcipuli Domini loquebātur. Non enim mihi tantum libri ad legendū pro ſunt, quantū viua vox: vſq; hodie in ſuis autoribus perſonans. Hæc ille. Idem Euſebius 3. Hyſtoriæ Eccleſiaſticæ. cap. 2. Ex quo appa ret aliū fuiſſe Ioannem Apoſtolum, & alium Ioannem Seniorem. Sed quid hoc? Num pro

Hierony.

Euſebius.

pterea

pterea Apoſtolus Ioannes non potuit dici etiam Senior. Num in ætate ſua ſenili ſcribens ijs, quibus propter ipſam ſenectutem commendandus eſſe debuiſſet, non potuit ſenectutis ſuę titulo pręnotare Epiſtolam ſuam? Habent ſanctæ Synodi Laodicena & Carthaginenſis has Epiſtolas tanquã Apoſtoli Ioannis germanas. Prima Synodus ita habet. Epiſtolæ Ioannis tres. Secunda ita. Epiſtolæ Ioannis Apoſtoli tres. Innocentius etiam Papa in Epiſtola Decretali, de qua ſupra ita habet. Epiſtolæ Ioannis tres. Vbi conſentaneũ eſt, ſi prima eſt Apoſtoli, duas ſequentes Apoſtoli quoq; eſſe.

NONO ADVERTIMVS veniſſe olim in dubium de Epiſtola Iudæ, vtrum Canonica eſſet, an non: propterea quòd aſſumit teſtimonium de ſcriptura Enoch, ſeptimi ab Adam: quę tamen ſcriptura inter Apochryphas nominatur ab Eccleſia. Item quòd adducit aliud teſtimonium apochryphum, de contentione Michaelis cum Diabolo ſuper corpore Moyſi occultando. Vbi dicitur quòd non eſt auſus angelus bonus iudicium inferre blaſphemiæ ſuper malum, ſed dixit. Imperet tibi Deus. &c.

Dubium de Epiſtola Iudæ.

Sed

Sed hæc non obſtant. Nanq; quòd Apoſtolus arguens prophanos deieratores, ad eos confutandos vſus ſit apochrypho teſtimonio eius ſcripturæ quæ de diſceptatione loquebatur Michaelis cum Diabolo, non refert. Nec propterea inualida eſt argumentatio. Quoniam vtitur teſtimonio accepto apud eos, quibus cum eſt conflictatio, quamuis reuera infirmum ſit teſtimoniū. Sic etiam Paulus volens eos conuincere qui Reſurrectionem nō ſperabant, domeſtico teſtimonio eorū met quibus ſcribit, ait. Si reſurrectio mortuorum nō eſt, quid faciūt qui baptizantur pro mortuis? Non intendebat enim Paulus approbare morem illum: quoniam certo certius eſt vanum eſſe baptizari viuū hominem quempiam mortui vice, vt ſic mortuo illi non baptizato ſuffragetur viuētis baptiſma. At coarguit incredulitatem illorum, per credulitatem etiam falſam iſtorum. Sic de Iuda: quòd ipſe argumentetur cōtra blaſphemos per autoritatem libri non autentici, non propterea infirmatur eius argumentū, ex eo quòd apud eos quibus cū loquebatur, validum erat fundamentū. Habebant enim librum illum de quo ſumitur teſtimonium pro autentica ſcriptura.

Paulus.

1 Cor. 15

Nec

Nec obſtat allegatio ſcripturæ Enoch, quã citat: quia aliàs certum eſt teſtimonium illud, per prophetas alios idipſum dicentes, videlicet Malachiam. Ecce Dominus veniet, & cũ eo ſanctorum millia. &c. & Danielem. Ecce libri aperti ſunt. &c. Malach. vlti. Dani. 7.

Primum igitur teſtimonium de diſceptatione Michaelis cum Lucifero, apochryphũ eſt, & de libro apochrypho. Secundum autem de quo nunc tractamus, certum eſt, licet liber Enoch allegatus ſit apochryphus. Nobis inquam apochryphus eſt: quia temporibus illis non erat apochryphus, videlicet, manente re vera, ſcriptura illa Enoch. Quamuis enim Hezras reparans legem poſt ruinam illam librorum ſanctorũ in Chaldaico incendio, omnes libros Legis reſtituerit, nõ tamen omnes reſtituit quos ante Iudæi habuerant. Nam & ſcimus Salomonem diſputaſſe à Cedro quæ eſt in Lybano, vſq; ad hyſopum. 3. Reg. 4. De quibus tamen apud nos nullum ſcriptum manet: ſed neq; manſit Iudæis. Sic tradit etiam Gloſa ordinaria. 2. parte Bibliæ, locis multis, videlicet. 2. Reg. 1. & 1. Hezræ. 7. Lyranus etiã ſuper. 1. Paralip. 9. & 2. Paralip. 26. Tamen vſq; tunc manebant plures libri qui nõ perierant,

Scriptura Enoch nõ eſt apochrypha, licet liber qui nũc intitulatur Enoch ſit apochryphus.

Hezras nõ omnes libros reſtituit.

neq; opus fuerat ab eo reparari. Citat autẽ eos in multis locis, in libro Paralipomenon à ſe edito Hezras, quos nõ citaſſet niſi extarent, & tamen modo nuſquam ſunt. Ita etiã, niſi tempore Apoſtoli Iudæ extaret liber ille Enoch, vtiq; ad eum nõ remiſiſſet in Epiſtola ſua. Sicut enim nõ eſt credibile quòd Hezras autor libri Paralipomenon, remiſerit ad libros pro tunc non extantes: ita quoque non eſt rationi conſonum, quòd Apoſtolus arguens prophanos ac illeges per ſcripturam ab eis receptam citet librum non extantem. Quòd autem nunc non extet, non mirum, quum & citati libri in Paralipomenon, non extent: videlicet, propter diuerſas calamitates populo Iudaico ſuperueniẽtes in perſequutiõe Romanorũ ſub Tito, ſub Adriano, & alijs. De quo iam ſupra diximus. Si autem quis dubitarit quomodo potuerit eſſe, quòd Enoch librum ſcripſerit, nondum inuentis literis, quas Moſes autor primus inuenit: aut poſito quòd iam literæ tempore Enoch fuerint in vſu, quomodo liber nõ perijt diluuio ſuperueniente, Reſpondendum eſt ei, quòd & ante Moſen extabant iam literæ, vti patet ex colũnis illis duabus, altera lateritia, altera marmorea, inſcriptis

Dedit dñs Tabulas ſcriptas ad populum ergo ſciebat populus literas

ptis

ptis documentis traditionum multarum quæ ad ſcientias pertinebant, à filijs Iaphet: ſicut Ioſephus ait lib. 1. Antiquitatum. cap. 4. Patet inſuper ex eo quòd Moſes ipſe doctus fuit in omni doctrina Aegyptiorum: ergo & ante eum iam erant literæ Aegyptiæ. Fuerunt ergò literę ab initio, nec eſt credibile patrem Adam omni ſcientia plenum, neſciſſe literas inuentare: vel non aduertiſſe neceſſarias eſſe hominibus, quum fuerit creatus à Deo perfectiſſimus omnium, citra Chriſtum Dominũ. Ioſephus. Literæ à principio ab Adam inuentæ.

Quòd autem diluuio potuerint ſupereſſe libri ac literæ, inde credibile fit, quòd de pecudibus & animalibus cæteris cura fuit Nohe vt ſaluaret in arca: quanto magis curaturum fuiſſe videtur, ne libri perirent ac literæ.

Ecce quomodo potuit perueniſſe liber Enoch vſque ad tempora Apoſtoli Iudæ. Sed quòd non fuerit ſeruatus à Iudæis in ruinis illis quæ cõprehenderunt eos, non mirũ: quia videlicet non erat de Canone: quũ nec illi alij libri ad quos remittunt ſcripturæ, ſeruati fuerint à Iudæis propter iſtam eandem cauſam. Erant enim Iudæi potiſſimum intenti ad ſeruandos Canonicos libros à Synagoga receptos, quorum propterea nullus perijt.

Beda. Subſcribit prædictis Beda, ſuper eam Epiſtolam ſcribens, ait enim. Dubitatum fuit aliquando de ea Epiſtola, propter teſtimonium de libro Enoch apochrypho. Sed vide quòd hic liber qui circũfertur ſub nomine Enoch, apochryphus eſt, id eſt, incertus an fuerit vere ille liber Enoch, propter multa inconcinna quæ videntur appoſita fuiſſe libro illi. At certum eſt quòd tempore Iudæ extabat vere liber Enoch certus, non apochryphus: quia Apoſtolus non ſumpſiſſet teſtimonium libri apochryphi. Hæc Beda.

Rupertus Tuitienſis. Synodus Laodic. Huiuſmodi etiam ſententia tutatur Epiſtolam hanc eſſe Canonicam, Rupertus Tuittienſis. Sed & Synodus Laodicena, iam anno domini. 350. receperat, ac intra Canonem eam annumerauerat. vt iam ſupra dictum eſt, Annotatione ſecunda.

Circa nomen autem, vtrum pro catholica, id eſt, vniuerſali, dicta ſit Canonica, id eſt, regularis, non moror.

Dubiũ de Apocalypſi. VLTIMO ADVERTIMVS de Apocalypſi quoque dubitatum olim, vtrum'ne Canonicus liber eſſet. & vtrũ vere Ioannis Apoſtoli liber. Circa quod ſciendum, quòd codex hic Apocalypſis in Laodicena Synodo nõ cõputa

putatur inter diuinas Scripturas, in reliquis vero Synodis cõputatur, vti ſupra liquet videre. Huius autẽ ratio dubia eſt, propter hoc quòd certior potuit haberi notitia de libri huius autore, & qualitate, temporibus viciniori bus Euangeliſtæ Ioanni: qualia fuerũt Synodi Laodicenæ tempora: quæ fuit anno Domini. 350. quàm temporibus diſtantioribus ac remotis, qualia fuerunt ea poſteriora, ſub quibus cæteræ Synodi. Fuit autem Ioannes præſidens Aſiæ vſq; ad Imperatorem Traianum, qui regnauit anno Domini. 99. Quomodo ergo viciniora tempora non agnoſcunt librum eum inter ſacra, remotiora vero agnoſcunt?

Dicendum quòd quum Ioannes Apocalypſim ſcripſerit in Pathmos inſula, à Domitiano relegatus, quo tempore non licebat Chriſtianis libros publicare: quia & capitale erat Chriſtum profiteri: non fuit pro tunc facultas multiplicandi librum hunc recens natum: ſed clam furtimq; ab ſcribis tranſcribebatur, vt poterat ſecretius fieri. Et quum mundus nondum nouiſſet beneficiũ hoc maximum artis Impreſſoriæ, qua mille ac duo millia exemplaria ſimul cuduntur ac emittuntur, non potuerunt ita multiplicari codices, vt ad plu- Dubij deciſio.

res Eccleſias peruenirent. Quod ſi poſt Domitianũ occiſum, reſciſſaq́ eius decreta, Ioannes reuocatus ab exilio Eccleſiæq́ reſtitutus curauit multiplicari codices: habes vnde cauſam ſcias quam quæris. Nempe, quia nondũ plenè diſcuſſum fuerat tempore Laodicenæ Synodi de libro iſto. Nam ſub Diocletiano & Herculeo Maximiano, facta inſtantiſſimè librorum Chriſtianorũ inquiſitione, potiſſimè verò huius Apocalypſis, propter prophetias ibi contentas de futuro ſtatu Chriſtianæ religionis: propemodum interijt cum multis ſanctorum Commentarijs. Quod non fuerat factum in perſecutionibus retrohabitis à Traiano, Adriano, Antonio Pio: & alijs qui perſecuti fuerant Chriſtianos ante Diocletianum & Maximianũ. Fuerunt autem hi duo ante Laodicenam Synodum, videlicet anno Domini 288. ſi Carrioni in Chronica ſua credimus, ac Lamberto de rebus Germanorũ, qui de exuſtis libris multa tradit. Vel certè anno Domini 305. ſi Euſebio ac diuo Hieronymo auſcultamus, in Chronicon libro.

Nota.

Clades maxima librorũ chriſtianorum perſequutione Diocletiana.

Ioannes Carrion. Lambertus.

Euſebius. Hierony.

Sic igitur ſubſequuta interuallo modico Synodus Laodicena, videlicet, anno Domini 350. nondum ad plenum rebus reſtitutis, noluit

luit de re non comprobata adhuc definire, ſi videlicet ille qui habebatur liber, eſſet germana à Ioanne edita Apocalypſis. At poſtea per commentaria Iuſtini martyris, ac Irenei martyris quoq; quæ ſuper Apocalypſim facta fuerant, re comperta, & ex ambiguo tracta, diffiniuit Catholica ſancta mater Eccleſia, hunc ipſum librum propriũ eſſe Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ Apocalypſim. Iuſtinus. Irenæus.

Loquitur Hieronymus de commentarijs iſtis Iuſtini ac Irenei, libro de Viris illuſtrib⁹, vbi de Ioanne ac operibus eius. Inter quæ & de Apocalypſi. Hieron.

ECCE IGITVR ſcrupulorũ omnium dimotas occaſiones, nodosq; ſolutos. Ac inter grauiſſimorũ doctorum diſcrepantes ſententias, Sanctæ matris Eccleſiæ adorandam deciſionem, religioſe ſuſpiciendam.

De temporibus quibus ſcripſerunt Sancti Autores, libros Sanctos.

IGITVR SCRIPSIT primus Matthę⁹ Euangeliũ ſuum Hebraicè, quod Barptolomęus Apoſtolus Indis dedit, in linguam corũ verſum. Iacobus autẽ Apoſtolus frater Dñi, Quo tẽpore ſcripſit Matthęus & vbi.

 Græcè

Athanaſius. Græcè tranſtulit, vti Athanaſius inquit, vel certè Ioannes Euangeliſta, Eccleſijs ſuis Græcis Epheſianæ, ac vicinis Græcè tranſtulit, vt Ctheophi lactus. Ctheophilactus opinatur. Scripſit autem in Hierony. Iudæa, vt Hieronymus dicit lib. de Viris illuſtribus, vbi de Matthæo. Quando autem Euangeliſta hic citat locum aliquem ſcripturæ Veteris Teſtamenti, non ſequitur translationem Septuaginta Interpretum, ſicut reliqui Euangeliſtæ faciunt: ſed Hebraicam autoritatem originalem, quemadmodum illud eſt. Ex Aegypto vocaui filium meum. &. Quo- Euſebius. niam Nazareus vocabitur. Dicit autem Euſebius, quòd ſcripſit Iudæis ad gentes diſceſſurus: de quo lib. 3. Hyſtoriæ Eccleſiaſt. cap. 19.

Ctheophi lactus. Ctheophilactus autem in proemio Commentariorum ſuorũ ſuper quatuor Euangelia ait, fuiſſe hoc anno octauo poſt Domini aſcenſionem ad cœlum.

Quãdo & vbi Marcus ſcripſit. MARCVS Romæ ſcripſit Euangeliũ, vti Petrum prædicantem audierat, rogatus à fratribus. Sic Hieronymus ait lib. de Viris illuſt. Hierony. Euſebius. & Euſebius lib. 1. Eccleſiaſticę hyſtorię. cap. 15. citans Clementem, ac Papiam, ita tradentes. Sed Euangelium hoc ſermone dicitur editũ Latino, vti à Petro audierat. At poſtea Aqui-

legiæ

legiæ Græcū reddidit, vti reuelationibus plenus, ſpirituq́ʒ ſancto inſtructus fuit in Eccleſia. Sic Adrianus Finus Ferrarienſis in ſuo Flagello contra Iudæos. lib. 6. cap. 80. primæ partis. Et amplius lib. 8. cap. 62. refert. adducens legendam cathalogi Sanctorū. ac etiam relationem eorū qui viderūt ipſum met Euangelium manu Marci ſcriptum Latino ſermone, Venetijs apud Sanctum Marcum Euangeliſtam. Sicq́ʒ Veneti certiſſime tradunt. vnde curarunt corpus ſancti Marci ad ſe ducere, vt ciuem ſuum haberent, quem habuerant collu ſtratorem ſcripto Euangelio in terra ſua. Seruatur autem vſq́ʒ hodie ad præſens Aquileiæ Euangelium illic Grçco ſermone conſcriptū, cuius exemplar ſecum abiens Alexandriam aſportauit, quod & Hieronymus poſtea vidit, licet non viderit Latinū. Dicit autem Ctheophilactus in proemio ſuper Euangelia, quòd fuit hæc editio Euangelij Romæ, anno poſt Aſcenſionem Domini decimo.

Adrianus

Venetijs apud Eccleſiã S. Marci ſeruat originale Euangeliũ manu S. Marci ſcriptum.

Quo tẽpore ſcripſit Marcus, Ctheophilacti opinio.

Sed quoniam conſtat beatum Petrum, anno ſecũdo Claudij Imperatoris Romam veniſſe, vt Euſebius lib. 1. cap. 14. Hyſtoriç Eccleſiaſticæ. & Ioannes Carrion lib. 3. ſuæ Chronicæ, ſupputãt. qui annus fuit duodecimus poſt

Refellitur opi. Ctheophilacti. Euſebius. Io. Carriõ

Chriſti Aſcenſionem: poſtquam videlicet annis ſeptem tenuerat Antiochiæ Cathedram, antequam iam annis quinq; prædicando diſcurrerat per Pontum, Aſiam, Galatiam, Bythiniam & Cappadociam. vti Ioan. Eckius ſupputat lib. 1. de primatu Petri. cap. 13. Sequitur quòd Marcus non potuit ſcripſiſſe Euangelium ſuum, anno decimo poſt Aſcenſionem Domini: quia nondum Petrus tranſtulerat Cathedram ex Antiochia Romam. Præterea quam diu in humanis agebat ſuperbenedicta Maria, non receſſerũt Apoſtoli à finitimis regionibus, conuicinisq; Ieruſalem, vt Hieronymus tradit, libello de Tranſitu Virginis, ad Paulam & Euſtochium. Idem ab hyſtoria Scholaſtica habetur. cap. 82. ſuper Actus Apoſtolorum.

Ioan. Eckius. Hierony. Hiſt. Scholaſtica.

Scripſit ergo Marcus Euangelium primũ anno decimo tertio, aut decimo quarto poſt Domini aſcenſionem.

Quo tẽpore ſcripſit Lucas. Hierony.

LVCAS SCRIPSIT Euangelium ſuũ & Acta Apoſtolorũ Græco ſermone, vt Hieronymus ait, libro de Viris illuſtribus. vbi de Luca. Scripſit autem Romæ Acta Apoſtolorum, vt ibi Hieronymus ait, quarto Neronis anno, (quia vſque ad eum proſequitur

actus

actus Pauli) Euangelio ſuo iam publicato. Nam & Paulus meminit in Epiſtolis ſuis de hoc Euãgelio Lucæ: ſicut iam ſupra tactũ eſt.

Quòd autem Græcè ſcripſerit Acta, inde patet quòd cap. 9. Thabitã interpretatur Dorcam, Hebręam vocem, reddens Gręcè: quod & Eraſmus in ſuis Annotationibus tangit. Eraſmus.

Scripſit autem Lucas Actorũ librum, multa reticens pericula ac incommoda quæ Paulus pertulit, ſicut patet ex ijs quæ. 2. Corinth. 11. cap. à Paulo ſummariè attinguntur, de quibus Lucas verbum nullum. Quod & Bulgarius ſuper eo loco etiam tradit. Opinatur autem quidam quòd poſt Acta ſcripſit Euangelium. De tempore autem quo ſcripſit non ita conſtat: licet idem Bulgarius in Prologo ſuper quatuor Euangelia dicat, quòd anno decimoquinto poſt aſcenſionẽ Domini ſcripſerit. Citheophilactus.

De loco itidem non conſtat apud me: licet prologus ſuper Lucam, qui incipit Lucas Syrus, Hieronymo aſſcriptus, dicat quòd in Achaiæ ſcripſerit partibus, nõ aſſignans determinatum locum. Eraſmus autem hunc prologum Hieronymi eſſe negat, quòd in eo Gręciſmus manifeſte conſpiciatur, in quo nõ dubium Hieronymus non incidiſſet. Eraſmus.

LVCAS

Gregor. Hierony. Lucas Gregorio fuit vnus ex Septuaginta. Hieronymo vero Apoſtolorũ diſcipulus.

Quo tẽpore ſcripſit Ioannes. IOANNES Apoſtolus in Pathmos inſula ſcripſit Apocalypſim, ſub Domitiano. Fuit autem Domitianus anno domini. 83. & imperauit annis. 15. Poſt cuius mortem, anno domini. 100. rediens Ioannes Epheſum, iam ætate defecta, vti Euſebius tradit libro Chronicon, Epheſumq́, ac vicinas prouincias inueniẽs maculatas per ſubintratos falſos fratres, Ebionem ac Cherintum hæreticos, filios primogenitos Diaboli, voluit ſuffocare per abſentiam ſuam ſeminata zizania, ſcripſitq́ Euangelium, rogantibus fratribus, Græco ſermone, ſub Traiano, qui regnauit anno dñi. 101. Poſtq́ conditum Euangeliũ ſuperuiuens parum, obijt ſub eodem Traiano, vti Ireneus tradit. Poſt quem auditores eius inſignes Papias Hieropolytanus, Polycarpus Iſmirneus, Ignatius Antiochenus Epiſcopi Eccleſiã illuſtrarunt, Sancto hoc Euãgelio Ioãnis hæreſes confundentes. Ex his apparet exploſa Ctheophilacti ſentẽtia de tẽpore quo dicit Ioannem ſcripſiſſe Euangelium ſuum in Prologo ſuper quatuor Euangelia, videlicet anno domini. 32. poſt Euangeliũ Lucæ ſcriptũ annis. 16. Conſtat

Euſebius.

Ireneus.

Refellitur opi. Ctheophilacti.

ſtat enim quoniam anno Domini. 32. nõdum ſcripſerat Apocalypſim: quum Domitianus, ſub quo exulauit Ioannes, nondum adeptus eſſet imperium, vſq; ad annũ Domini. 83. ſicut dictum eſt. Dicit autem Ropertus Tuittienſis, prius ſcriptam Apocalypſim, quàm Euangelium. Idem aſſerunt Lambertus de rebus Germanorum, & Ioannes Carrion lib. 3. Chronicon. vbi de Traiano. Ropertus Tuittiẽſis Lãbertus. Io. Carriõ

Paucis igitur ante obitũ ſuum annis conſcripſit Ioannes Euangelium ſuum, videlicet, iuxta pręnominatos, ſexageſimoſeptimo poſt mortem Domini, vel ſexageſimotertio, iuxta Hieronymum.

PAVLVS Apoſtolus temporibus diuerſis, diuerſis etiã locis ſuas Epiſtolas ſcripſit. Sed non ſecundũ quod prius ſcriptæ ſunt Epiſtolæ, ita prius ordinantur in ſacro Canone. Quoniam conſtat Epiſtolam quæ prima ponitur ad Romanos, non fuiſſe prius ſcriptam: præceſſit enim eam Epiſtola prima ad Corinthios. & ſecunda. & Epiſtola ad Theſſalonicenſes, quæ meminit de tranſmittendis Hieroſolymam collectis pecunijs. Præceſſit etiã Epiſtola ad Galatas, vti Bulgarius ait in cõmentarijs ſuper has epiſtolas, in prologo. Sed quũ Quo tempore ſcripſit Paulus. Bulgarius

ad

De ordine Epiſtolarũ Pauli. ad Eccleſias ſcripſerit ac particulares perſonas. Illæ quæ ad Eccleſias ſunt præponuntur, & inter eas illa quæ ad Eccleſiam primã principalioremq́, videlicet, ad Romanos.

Nõ omnia Pauli geſta Lucas ſcripſit. Primum igitur conſiderandum, à Luca nõ fuiſſe ſcripta omnia geſta Pauli, vti ſupra iam docuimus: ſed tantum ea quæ acciderant vſq; ad quartũ Neronis annũ. Ea vero quæ poſt annum quartum, vſq; ad Pauli mortem, quæ fuit vltimo Neronis anno, contigerunt, non reperiũtur in Actis Lucæ ſcripta, quæ decem annorum ſpacio concluduntur. Sed neq; ea omnia quæ Paulo contigerant ante prædictũ quartum Neronis annum commemorantur in Actis. Nam & ea quæ ab ipſo Paulo memorantur. 2. Corinth. 11. non reperiuntur à Luca narrata. Imo & ad Galatas primo cap. ac ſecundo, narrat Paulus multa, de quibus Lucas in Actis verbum nullum.

Secundo conſiderandum, quòd ex præfationibus Epiſtolarum, & exemplaribus Græcis, moderniſq; translatoribus, vti ſunt Sanctes Pagninus, Iacobus Faber, ac alij. Item & ex Bulgarij commentarijs, ac aliorum priſcorum doctorum, ita reperitur ſubſcriptum in ipſis Epiſtolis, videlicet.

Epiſto

Epiſtola ad Romanos,ſcripta à Corintho, & à Corintho miſſa,per Pheben miniſtram Ecclesiæ Cenchreenſis. Subſcriptiones in Epiſtolis Pauli.

Epiſtola ad Corinthios prima, ſcripta fuit ab Epheſo per Timotheum diſcipulum ſuum ſubſcripta autem manu propria ipſius Pauli in fine. vbi dicitur. Salutatio mea manu Pauli &c. Miſſa fuit autem è Philippis, per Stephanam & Fortunatum, & Achaicum & Timotheum.

Epiſtola ad Corinthios ſecũda, ſcripta fuit à Troade per Titum. Miſſa fuit autem è Philippis Macedoniæ per Titum & Lucam.

Epiſtola ad Galatas, ſcripta fuit ab Epheſo, ſed miſſa fuit è Roma. Fortaſſis hæc Roma non eſt ea Italiæ, quæ caput imperij, aut certè aliquo caſu ſcripta Epheſi, delata eſt Romã, & inde redijt ad Galatiam, quando data fuit oportunitas miniſtrorũ ad eam deferendam expeditorum.

Ad Epheſios, ſcripta fuit è Roma vrbe de carcere, miſſa per Tichicum diaconem.

Ad Philippenſes, ſcripta & miſſa de carcere vrbis Romæ, per Epaphroditum.

Ad Colloſſenſes, ſcribit iam ligatus ab Epheſo

Epheſo: ſed miſſa fuit Epiſtola ex vrbe Roma, per Tychicum diaconum, & Oneſimum accolytum.

Ad Theſſalonicenſes prima ſcripta fuit Athenis, & illinc miſſa per Tychicum diaconũ, & Oneſimum accolytum.

Ad Theſſalonicenſes ſecunda, ſcripta fuit ibidem Athenis, & illinc per eoſdem miſſa, quibus prima.

Ad Timotheum prima, ſcripta ex Laodicea Metropoly Phrygiæ Paccatianæ. Miſſa per Tychicum diaconum.

Ad Timotheum ſecunda, ſcripta & miſſa ex vrbe Roma, quum Paulus iterum ſiſteretur Neroni Cæſari.

Ad Titũ, ſcripta ex Nicopoly Macedoniȩ.

Ad Philemonem, ex carcere Romæ, per Oneſimum ſeruum.

Ad Hebræos, ſcripta & miſſa ab Italia, per Timotheũ. videlicet ad Iudæos q crediderãt, conſiſtentes in Hieruſalem ac terra Paleſtina.

Hæc prior eſt ac prius ſcripta quàm Epiſtola. 2. ad Timotheum, videlicet, ſcripta poſt relaxata priora vincula Romæ, quando datũ fuit illi liberè prædicare: quo tempore adijt
Bulgarius Hyſpaniam, vti Bulgarius tradit in commentarijs

tarijs ſuper hanc Epiſtolam in prologo.

Tertio cōſiderandū, quòd tota Pauli prędicatio cōcluditur annis.38. vti ſupputat Scholaſtica.81.cap. ſuper Actus Apoſtolorū. Paſſus fuit enim Paulus eodem die quo Petrus, anno Neronis vltimo, qui fuit.38. à paſſione domini. Conuerſus fuit autem eodem anno quo dominus paſſus, vt bene illic deducitur.

Diſcurſus totius Pauline prædicationis Hiſt. Scholaſtica.

Ex iſtis.38. annis ſubducendi ſunt quatuordecim, qui fluxerunt à conuerſione ſua, vſq; ad aſcenſum in Hieruſalem, ſuper legaliū obſeruatione. vt ex.2.cap. ad Galatas.&.15. Actu. patet. In quibus quatuordecim annis Paulus nullam ſcripſit Epiſtolam. Hoc autem ſic probatur. Certum eſt Paulum ſcripſiſſe Epiſtolas ſuas, familiariter iam ſibi notis, quos adierat, & apud quos ſteterat, præter Epiſtolā ad Romanos, quam miſit antequam Romā veniſſet, ſicut Bulgarius ait in commentarijs ſuper eam epiſtolam.& aliâs ſatis patet per caput primum ipſius Epiſtolæ, quòd Paulus non viſerat eos: dicit enim. Deſidero vos videre vt aliquid impartiar vobis gratiæ ſpiritalis. &c. Itaq; hac epiſtola excepta, reliquas ſcripſit ad eos quos nouerat. Certū eſt autem quòd ante illos.14. annos, neq; Epheſijs prædicauerat,

Paulus præter Epiſtolam ad Romanos cęteras iā ſibi notis ſcripſit. Bulgarius

Q neq;

neq; Galatis, neq; Corinthijs, neq; Philippenſibus, neq; Macedonibus: nec Rhodum viſerat, aut Coloſſenſes, neq; Theſſalonicenſes. Sed neq; tunc Timotheum agnouerat: quia omnia hæc fuerũt poſt illam legalium determinationem, vt patebit. Scimus autem quæ in his.14.annis Paulo contigerunt. Nam poſt ſuam conuerſionem ſtatim prædicauit Damaſci, replens Synagogas nomine ſancto Ieſu: vſq; ad ſuſcitatam aduerſum ſe inquiſitionem, ita vt per murum depoſitum in ſporta, oportuerit eum aufugere in Arabiam. Actuum.9. & ad Gala.1. Inde poſt reuerſus Damaſcum, adijt Hieruſalem, anno tertio poſt conuerſionem ſuam. Gala.1. Et auertentibus ſe ab eo diſcipulis Barnabas apprehenſum duxit ad Petrum. Actuũ.9. Tunc facta fuit ei viſio in Templo, de qua Actuũ.22. cõmonens vt feſtinaret egredi Hieruſalem: quia non erant recepturi Iudæi teſtimonium ſuum de Chriſto. Stetit ergo quindecim diebus prędicans & cõuincens Iudæos ac Græcos: ita vt ſuſcitaretur perſequutio aduerſus eum, propter quam à fratribus clam deductus Cæſaream, dimiſſus eſt illic vt abiret ad propria Tharſum.

Quid Paulus poſt cõuerſionem ſuam primũ egerit.

Poſt hæc recipiente Antiochia (illa quæ eſt

in Sy

in Syria,& olim dicebatur Reblata,iuxta Scho laſticam.72.cap.) verbū Dei, miſerūt Apoſtoli Barnabam illuc, exploraturū vt ſe res haberet.Actuū.11. Barnabas autē videns credentium multitudinē, perrexit Tharſum adducere ſecum Saulum. Sicq; ambo illic annū totū demorati ſunt. Fuit autē hæc Antiochenorum cōuerſio anno quarto cōuerſionis Pauli, & anno dñi.37.vel.38. Poſt hæc autem officia Barnabæ ac Pauli in Antiochenos, venit Petrus Antiochiā poſt annos quinq; exactos in prædicando gentibus illis, quibus poſtea primam ſuam Epiſtolam ſcripſit Petrus ipſe: quo tempore cōtigit illud exaltationis Cathedræ. Florentibꝰ autē rebus Chriſtianis Antiochiæ: ſuperuenientes à Ieruſalem prophetę, inuulgarunt famem quę poſtea ſecuta eſt anno.4.Claudij.vt hyſto.Schol.cap.55.ſuper Actus.& Ordinaria ſuper Actu.12.& Euſebius in lib.Chronicon, tradunt. Tunc collectis pecunijs in ſubſidium pauperū Ieroſolymitarum, miſſi ſunt in opus hoc Paulus ac Barnabas.Actu.11.Fortaſſis autem hoc anno primo Claudij cōtigit, qui fuit annus Domini.43.

Hiſt.Scholaſtica.

Quo tēpore Antiochia recepit verbū Dei.

Cathedra Petri.

Schol. Ordinaria Euſebius.

Manētibus Barnaba & Paulo in Ieruſalem occiſus fuit Iacobus, & Petrus carceri manci-

Quãdo Iacobus occiſus.

patus. Actuum. 12. Poſt liberationem à carcere Petrus abiens ad aliquot Eccleſias Iudęę, adiuit etiam Antiochiam, volens Romã proficiſci. Regreſſus etiam pro tũc Antiochiam Paulus cum Barnaba, comiteq; aſſumpto in miniſterium Ioanne Marco, Actuũ. 12. in fine: ſegregatus eſt cũ Barnaba, autore ſpiritu ſancto, ad opus euangelizandi Græcis ac Gentibus. Actuum. 13.

Paulus ad Apoſtolatum ſegregatus.

Itaq; quum Petrus ſe ad Romam accinxit, Paulus ad Gentes ſe expediuit. Peruenit Petrus Romam anno Claudij ſecũdo, iuxta Hieronymum lib. de Viris illuſt. & Euſebium lib. Chronicon. Iuxta Scholaſticam vero. cap. 81. ſuper Actus. anno. 4. Mortuus autem fuit Herodes anno. 3. Claudij, iuxta Ordinariam ſuper Actu. 12. percuſſus ab angelo poſt diuinitatem ei à Cæſarienſibus acclamatam. de quo Actuũ. 12. Enſebius verò in Chronicon, dicit hoc contigiſſe anno. 4. Claudij.

Hierony. Euſebius. Hiſt. Scholaſtica. Ordinaria Euſebius.

Mortuo itaq; Herode anno. 3. vel. 4. Claudij, qui fuit annus Domini. 45. vel. 46. iuxta Euſebium, exorſus fuit Paulus prædicationẽ ſibi ab ſpiritu ſancto indictam. Primum igitur abierunt Seleuciam, quę eſt inter Antiochiam & Tharſum Paulus ac Barnabas. Dein naui-

Exordiũ prædicationis apoſtolicę Pauli.

garunt

garunt Cyprū: vbi peragrata inſula tota vſq; ad Paphū,quo Elymas,qui & Barieu,& Proconſul Sergius Paulus cōuerſus,conſtitutaq; Eccleſia,nauigātes tranſfretarūt Pergen Pamphiliæ. Inde Marcus diſceſſit ad Ieruſalem. Actuū.13. Paulus autem & Barnabas venerunt Antiochiam Piſidiæ.inde Iconium, vbi multo tempore demorati ſunt. Actu.14.

Inde ad Lycaoniam confugerūt,videlicet Lyſtram & Derben, ac finitimam regionem. Hinc relegentes quas pertranſierāt ciuitates Lyſtram,Iconiū & Antiochiā, conſtituerunt presbyteros in Eccleſijs.

Tranſita Piſidia venerunt in Pamphiliam & prædicarunt Pergę. Ex Perge venerūt Athaliam maritimam ciuitatem portum habentem,in quo nauim aſcendentes nauigarūt Antiochiam,vnde traditi fuerant gratiæ Dei. Actuū.14.Congregataq; ibi Eccleſia omnia quę contigerant eis retulerunt.

Ecce in his omnibus nulla mentio de Eccleſijs illis quibus ſcripſit Epiſtolas. Nec em̄ exceſſerant confinia prouinciæ Antiochenæ in hac peregrinatione ac circuitu. Cyprus & nominatæ regiones vicinæ ſunt Antiochiæ. Totus autem hic diſcurſus, fuit ante legaliū

decisionem, quæ fuit anno. 14. à conuerſione Pauli. Sic igitur per annos tres circiter prædi cauit in hoc diſcurſu.

Deinde Paulo reuerſo Antiochiã, contigit etiam Petrũ reuerti Ieruſalem: ſimulq́ꝫ deſcendentes de Iudęa quoſdã mouere quęſtionẽ de Legalibus. Actuũ. 15. Propter quod oportuit Paulũ aſcendere cũ Barnaba & alijs Ieruſalẽ, ad Conſiliũ ſuper hoc ipſum celebrandũ. Fuit hoc poſt annos. 14. à cõuerſiõe Pauli. ad Gal. 2.

Conſiliũ apoſtolorum ſuper obſeruatione legalium.

Igitur Epiſtolæ nõ fuerunt ſcriptæ ante Legalium determinationem.

DEDVCTIS igitur annis. 14. ab illis. 38. annis prædicationis Paulinæ, reſidui ſunt. 24. anni, qui fluxerunt à Legalium determinatione, vſq́ꝫ ad Pauli conſumationem. De quibus videndum eſt.

Poſt Legalium determinationem, deſcendit Petrus Antiochiam, viſere fratres, Euodiumq́ꝫ, quem illic Epiſcopũ conſtituerat, vt Eckius quoq́ꝫ refert libro. 1. de primatu Petri. Commoratusq́ꝫ eſt illic aliquantum tempus, quaſi iam eos amplius non viſurus. Deſcendit autem & Paulus illuc. & fuit tunc diſceptatio illa, de qua Paulus ad Gala. 2. meminit. qua Petro in faciem reſtitit.

Eckius.

Diſceptatio Petri cũ Paulo.

Poſt

Poſt hęc abijt Petrus in viam ſuam,& peruenit Romam. Paulo autem venit in cor vt viſitaret fratres quib⁹ prędicauerat. Quumq́ Barnabas vellet Marcū comitem aſſumi, Paulus autem negaret id faciendū, ſegregati ſunt ab inuicem, Barnaba Cyprum adeunte cum Marco. Paulo verò perambulante Syriam ac Ciliciam, comite Syla, Eccleſias confirmando. Actuum. 15. Diſceſsio Pauli à Barnaba.

Inde peruenit Paulus Derben & Lyſtram. Actuum. 16. vbi Timotheus fuit circumciſus ac aſſumptus in comitem. Sic pertranſcuntes ciuitates docebant ſeruare dogmata Apoſtolorum. Ecce habes nunc primū Timothei mentionem. Igitur ante hoc tempus non ſcripſerat ei Paulus. Thimoteus notus.

Inde tranſeūtes Phrigiā & Galatię regionē, vetiti ſunt ab ſpiritu ſancto loqui verbū in Aſia. Seruabatur autē Ioanni ac Philippo. Ecce nunc primū habes Galatiæ mentionē. Act. 16. Venientes autem in Myſiam, tentabant ire in Bythiniam. Sed non permiſit ſpiritus. Galatia.

Myſia pertranſita venerunt Troaden. Ibi contigit viri Macedonis viſio: propter quam recto curſu nauigarunt Samothraciam. Troas.

E Samothracia ſequēti die venerūt Neapo-

lym. Inde Philippos, quę eſt prima Macedonię colonia. Philippis, Purpuraria conuerſa, Python eiectus, & ipſi prędicatores Paulus ac Sylas ceſi plagatiq́, in carcerem ſunt retruſi. Ibi carceris tremor, carcerarijq́ baptiſma, ac rogati Apoſtoli fines eorum exire.

Inde venientes Lydiam, viſis fratribus abierunt. Actuum. 16. Amphipoly dein perambulata ac Appollonia, venerunt Theſſalonicam. Ecce primum de Theſſalonica mentio.

Theſſaloni.

Ibi multis geſtis, venerunt Berrhæam. Actuum. 17. E Berrhæa venit Paulus Athenas: vbi conuerſus Dionyſius. Ex Athenis ſcripſit Paulus primũ, primã Epiſtolam ad Theſſalonicenſes, quæ omnium prima Epiſtolarum fuit.

Athenæ.

Prima Epiſtola ſcripta.

In capite. 3. meminit quomodo ſolus Athenis manſerit, fratribus dimiſſis Timotheo, Syla, & alijs, vt irent viſere Theſſalonicenſes: quomodoq́ bonam relationem eorũ fecerint. Hoc idem habetur Actu. 17. Videtur autem hæc eſſe prima Epiſtolarum, propter id quod in fine apponitur. videlicet. Adiuro vos per Dominũ, vt legatur Epiſtola hæc omnibus ſanctis fratribus. Quale non reperitur in alijs Epiſtolis.

Fuit

Fuit autem Epiſtola hæc ſcripta anno Domi
ni.52. quia ſtatim Athenis egreſſus venit Co
rinthum, vbi Aquilam inuenit, & coniugem
eius: venientes Roma propter edictum Clau
dij, quo pręcepit Iudæos omnes è Roma ex-
cedere. Actuū.18. Præceptū autem hoc Clau-
dij fuit anno imperij eius.9. vti Beda, & Ordi- Beda. Ordinaria.
naria ſuper Actuum.18. tradunt.

Ioſephus autem lib.18. Antiquitatū.cap.7. Ioſephus.
hanc Iudæorum eiectionem ſub Tiberio nar-
rat factam. Licet Beda citet eum, dicentem cū Beda.
Suetonio, fuiſſe ſub Claudio Imperatore, an-
no.9. eius imperij. Cepit autem Claudius im-
perare anno Domini.43. Ergo anno Domini
52. Paulus ſcripſit Epiſtolam hanc Athenis.
Parū enim temporis interfluxit ex edicto, ad
nauigationem Aquilæ in Corinthum. Simili-
ter ex quo Epiſtolam ſcripſit, vſq; ad eiuſdem
Pauli applicationem in Corinthum. Fuit igi-
tur hęc epiſtola ſcripta ante mortem Pauli an
nis.19. Poſt hæc Athenis etiam ſcripſit ſecun Epiſtola 2. ad Theſſalonicenſes.
dam Epiſtolam ad Theſſalonicenſes.

Venit ergo Corinthū Paulus ex Athenis,
& manſit ibi annum & ſex menſes. Poſtq; or-
ta perſecutione, nauigans in Syriam, peruenit
Epheſum. Epheſi autem prædicauit verbum

Dei, ac dimiſſis illic Aquila & Priſcilla, abijt, ſpondens ſe iterū eos viſurum. Actuū. 18. Ex Epheſo profectus venit Cæſareã, deſcenditq́; Antiochiam Piſidiæ, perambulataq́; Galatia & Phrigia, confirmauit fratres. Tempore hoc exiſtimãt Græcorū nõnulli ſcriptam primam Epiſtolam ad Timotheū, videlicet ex Laodicea Metropoly Phrygiæ Paccatianæ. ex eo ꝙ cap. 1. meminit quomodo ipſe diſcedēs in Macedoniam, rogauerit Timotheū Epheſi manere. At quoniã Epiſtola hæc præſupponit Epiſtolam ad Epheſios, vti Bulgarius in cõmentarijs ſuis ait. & Epiſtola illa ad Epheſios ſcripta fuit è carcere Romæ: cõſtat qa nõ eo tempore quo Græci exiſtimant ſcripſerit Epiſtolã primam ad Timotheū. Præterea dictū eſt haberi in cap. 1. eius Epiſtolę. Rogaui te vt remaneres Epheſi, quū irem in Macedoniam. Sed tēpore quo perambulauit Galatiã ac Phrygiã nõ fecit iter in Macedoniã ex Epheſo: ſed poſtea Act. 18. Ergo nõ ſcripſit tunc epiſtolã illã.

Quo tẽpo re exiſti mẽt Græci Epiſtolã 1. ad Timoth ſcriptã.

Refellitur opinio Græcorū.

. Tempore autem quo Paulus regiones has ſuperiores peragrabat, venit Epheſum Appollo, potens quidē vir ſermone ac doctrina cõfundere Iudæos. Hic à fratribus ſuſceptus, & ad Achaiam cū literis cõmendatitijs dimiſſus eſt.

Appollo venit Epheſum.

eſt. Poſt hæc redijt Epheſum Paulus, & reſci uit eſſe Corinthi Appollinem, cuius admiratione ceperant inter Corinthios eſſe ſchiſmata: propterea Paulus primã ad Corinthios ſcri pſit Epiſtolam, mittens Timotheũ illuc cũ Ste phana, Fortunato & Achaico. de quibus meminit in Epiſtola. Meminit etiã cap. 1. huius Epiſtolæ de preſſura habita in Aſia. & pugna cum beſtijs Epheſi. cap. 15. de quib⁹ in Act. 19. Nam beſtias nominat Demetriũ argentariũ, & cõplices, vti Bulgarius ſentit. Fuit autem Epiſtola ſcripta circiter annũ dñi. 57. quia ex Epiſtola ſcripta ad Theſſal. 1. fluxerunt annus vnus cũ ſex menſibus: quo tẽpore manſit Corinthi, & duo integri anni quibus manſit Epheſi, vltra menſes tres. & inſuper detritũ tẽpus in nauigando & peregrinando, provt iam diximus: quæ omnia faciũt circiter annos quinq;. Et ſic anno. 57. ſcripta fuit. 1. ad Corinthios.

Epiſtola 1. ad Corint. ſcripta Epheſi. — *Bulgarius*

Poſt hæc ſcripſit ad Galatas, quibus Petrus iam prędicarat. Conſtat autem per caput primum eius Epiſtolæ, quòd parum poſt eorum conuerſionem ſcripſerit eis. Scripſit autem Epheſi manens. Sed quoniam & tunc habuit Paulus voluntatem eundi Romam, vt patet ex Actuum. 19. d. Licet exiſtimare tunc

Epiſtola ad Galat.

ſcriptam

Epiſtola ad Rom. ſcriptam Epiſtolam ad Romanos: inſtãte diſſenſione facta Romæ inter credentes ex Iudaiſmo,& ex Gentibus: propter quod Epiſtolæ ambæ, ad Galatas, & ad Romanos ſimul Romã delatæ ſunt,& inde ea quæ ad Galatas rediјt ad ſuos. Opinatur autẽ Driedõ libro 1. de cathalogo Scripturæ, Epiſtolam ad Romanos ſcriptam ex Achaia, vrbe Corinthij, ante quam veniret Epheſum, vbi ſcripſit ad Corinthios. Gloſa tamen interlinearis, in verbo Arcarius ciuitatis. ad Rom̃. vltimo. ait ſcriptam ex Athenis Epiſtolam ad Romanos. Epiſtolam ad Galatas totam manu ſua ſcripſit Paulus, quum cæteris ſubſcribere ſolum ſolitus Hierony. eſſet. Sic Hieronymus ait in cõmentarijs ſuper Epiſtolã ad Theſſalonicenſes. Diſcedens autem Paulus Epheſo, iuit in Macedoniam, quò iam Timotheum ac Eraſtum miſerat. Actuũ. 20. Ibi exiſtens, ex Nicopoly ſcripſit Ti- Epiſtola ad Titũ. to diſcipulo ſuo epiſtolã, qua hortatur ipſum venire hyeme. ad Titũ cap. vltimo. Macedonia perambulata, venit in Græciam, vbi menſes tres demoratus eſt. Poſt quos nauigaturo in Syriam, factæ ſunt à Iudæis inſidiæ, & ideo reuerſus eſt in Macedoniam. & è Philippis nauigauit Troadem. Actuum. 20.

E Troade

E Troade ſcripſit Epiſtolam ſecundam ad Corinthios. Fuit autē hoc anno Domini.58. vel.59. Quoniam ex hac Pauli ſtatiōe in Philippis, vſq; ad aſcenſionem in Hieruſalem modicum tempus pertranſiuit. Quando autem Paulus fuit in Hieruſalem, ſtatim fuit captus. Et annis duobus detētus in carcere apud Cæſaream, miſſus fuit vinctus Romam, anno ſecundo Neronis, ſicut iam dictū fuit ſupra. Epiſtola 2 ad Corinth.

Ex hoc liquet, quoniam preſſuris quarum meminit. 2.Corinth.11. nō adnumerantur illæ quas in Hieruſalem paſſus fuit: & in itinere ad Romam, aut ſi mauis nauigatione. Item liquet, quòd raptus ille qui ab eo dicitur fuiſſe ante annos.14.à tempore quo ſcribebat Epiſtolam, non fuit, quando conuerſus fuit Damaſci: quia à conuerſione ſua vſq; ad tempus hoc quo ſcripſit Epiſtolam à Troade, fluxerant anni.22.vel.23.non tantum.14. Quo tēpore fuit raptus Pauli.

Troade Paulo exiſtente dies ſeptem, contigit pueri caſus de cenaculo Paulo prædicante, quem & ſuſcitauit incolumem. Inde tranſiens in Aſſon, aſcendit nauim cum ſocijs, ac nauigarunt Mytilenem. inde Chium. inde Samum. inde Miletum. Volebat autem pertranſire inſalutatis fratribus Epheſijs: quia tēpus

inſtabat ſiquidem poſt Azimorum dies cep-
tum fuerat iter hoc. Actuū.20. & volebat age-
re Pentecoſten Hieroſolymis. Sed quoniā prę-
nouit nō amplius viſurū ſe Epheſios, cōuoca-
Epiſtola ad Coloſſen. tis ad littus, vale dixit: multa cōmonitus. In-
de ſcripſit ad Coloſſenſes.

E littore Epheſiorum ſoluentes venerunt Coum, inde Rhodum, inde Pataram: inde applicuerunt Tyrum. inde nauigauerunt Ptholemaidam: vbi deſcendentes itinere terreſtri ierunt Cæſaream, vbi apud Philippū hoſpitanti Paulo, cōtigit illud de Agabo carceres prophetante in Ieruſalem. Actuum.21. Inde aſcendentes Ieruſalem, viſerūt Iacobum Apoſtolum ac Seniores. Eo tempore cōtigerūt ea quæ Lucas narrat, cap.21.&.22. Actuū. videlicet Pauli perſecutio, preſſura, carcerꝗ annorū duorū apud Cæſaream: ac nauigatio ad Cæſarem in vrbem. De quibus Actuū.23.24.25.26. &.27. agitur pleniſſime.

Siſtitur igitur Neroni Paulus anno imperij eius ſecundo, & in vinculis ſuſtinuit annos duos: ita tamen vt permitteretur ei cū milite cuſtode quò vellet ire intra vrbem. Tunc ſcri-
Epiſtola ad Epheſios. pſit Epiſtolam ad Epheſios, vti in fine.6.cap. ait ſe poſitum in cathena: oratꝗ vt detur ei

ſermo

ſermo ad euangelizandum.

Scripſit etiam ad Coloſſenſes, vt quidã exi ſtimant: propter illud.4.capitis eius Epiſtolæ, quo ligatũ ſe dicit. Illi vero qui dicũt ex Epheſo ſcripſiſſe, intelligũt verbũ hoc, vinctus, in expectatione, ſecundũ quod pręmonitus vinculorũ, ſciens ac prudens ad vincula ibat.

Scripſit etiam Romę ad Philippenſes, quũ iam familiares haberet multos de Cæſaris domeſticis, vti ex vltimo cap. eius Epiſtolę patet. **Epiſtola ad Philippenſes.**

Scripſit poſt hæc ad Philemonem, quũ vincula iam relaxari cepiſſent. Dicit enim in fine Epiſtolæ. Para mihi hoſpitium: nam ſpero me per orationes veſtras donari vobis. Accepit autem Paulus expletis his duobus annis libertatem, quò vellet ire. Tunc igitur viſitans fratres, prouincias Græciæ perambulans, ex Laodicea ſcripſit Epiſtolam primã Timotheo. **Epiſtola ad Philemonem.** **Epiſtola 1. ad Timotheum.**

Deinde rediens in Italiam, ſcripſit Epiſtolam ad Hebræos. Sic ponit in calce, ſalutationem fratrũ ex Italia. Adijt etiã Hyſpaniã, vti Bulgarius ait, & rediẽs Romã, iterato captus propter cõuerſos familiares Cæſaris: maxime autẽ propter Patroclũ pincernã regis, reſuſcitatũ ab eo, vti Linus in epiſtola ad Orientales de morte Petri ac Pauli, ait. Truſus in carcere **Epiſtola ad Hebræos.** **Bulgarius** **Linus.**

vltimam

vltimam ſcripſit Epiſtolam, ad Timotheum ſecundam: qua beatiſſimus Apoſtolus ſuas omnes ſcripturas concluſit. Fuit autem hoc anno Domini. 71.

COLLIGE igitur ordinem quem in ſcribendo Epiſtolas habuit, in hunc modum.

		Anno dñi.
Ad Theſſalonicenſes. 1.	ex Aathenis.	51.
Ad eoſdem. 2.	ex Aathenis.	52.
Ad Corinthios prima.	ex Epheſo.	57.
Ad Galatas.	ex Epheſo.	57.
Ad Romanos.	ex Epheſo.	58.
Ad Titum.	ex Nicopoly Macedo.	58.
Ad Corinthios. 2.	ex Troade.	59.
Ad Coloſſenſes.	ex Epheſo.	59.
Ad Epheſios.	ex Roma è carcere primo.	62.
Ad Philippenſes.	ex Roma è carcere primo.	62.
Ad Philemonem.	ex Roma è carcere primo.	62.
Ad Timotheū. 1.	Ex Laodicea, iam liber.	64.
Ad Hebræos.	Ex Italia, iam liber.	68.
Ad Timotheum. 2.	Ex carcere vltimo.	71.

Et hæc de Paulinis ſcriptis ſufficiant.

Quando ſcripſit Petrus Epiſtolas. PETRVS Apoſtolus è Roma ſcripſit per Syluanum fratrem Eccleſijs quibus prædicauerat in Ponto, Galatia, Bithynia, Aſia & Cap-

Euſebius. padocia, vti Euſebi⁹ lib. 2. Eccleſiaſt. ait cap. 15.

Et patet

Et patet etiam ex ſalutatione ipſius Epiſtolæ. cap.5.in fine.vbi ait.Salutat vos Eccleſia quę eſt in Babylone collecta(id eſt Romę)& Marcus filius meus.

Sic intelligūt Papias & Clemēs Alexādrinus.

Secundam etiam ſcripſit Epiſtolam ad eoſdem,vt patet ex cap.3.vbi & Epiſtolarū Pauli meminit, præcipuè eius quam ad eos Galatas ſcripſerat.

IOANNES Apoſtolus Epiſtolas ſuas poſt Euangelium ſcripſit, vti liquet videre ex earum contextu. Sicq; poſterius tempore ſcriptæ ſunt quàm Epiſtolæ Petri: fuit enim Ioannes Petro ſuperſtes.

Quando ſcripſit Ioānes.

IACOBVS Apoſtolus, Hieroſolymorū Epiſcopus,vocatus Minor,ſuam Canonicam Epiſtolam ſcripſit ad Eccleſias diſperſas Iudæorum, qui propter perſecutionem ſub Stephano ortam,diſperſi fuerant. Hic præmortuus eſt Petro:quoniam regens Eccleſiam annis.30.vſq; ad annū dñi.63.Fuit martyrizatus anno Neronis.6.Petrus vero anno.14.& vltimo Neronis. Patet autem q; non longe ante mortem ſcripſerit, ex eo q; cap.1.ſecundæ Epiſtolæ dicit. Certus quòd velox eſt depoſitio tabernaculi mei, ſecundū quod & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſignificauit mihi. Et ſic

Quando Iacobus ſcripſit.

R prius

Ordo Epiſtolarũ canonicarũ apud Græcos. Hierony. prius ſcripſit Iacobus q̃ Petrus, priusq́ Petrus quàm Ioãnes. Et hũc ordinẽ ſecuti ſunt Græci, eundemq́ Hieronymus, vt ipſemet ait in prologo ſuper has Epiſtolas, qui incipit. Non ita eſt ordo.

Ordo apud Latinos. Nos autem priſcos Latinos ſecuti, emulati ſumus eam Epiſtolarũ diſtinctionem, quæ ſecundum dignitatem ſcriptorum eſt.

De Epiſtola Clementis. Ex ijs autem videtur explodi Epiſtola vulgata Clementis, ad Iacobũ fratrem Domini, quũ ante Petri obitũ Iacobus obierit: quemodo ergo Clemens ſucceſſor Petri ſcripſit Iacobo? Sed Fabianus PP. eam Epiſtolam citat, & conſequenter approbat. Fortaſſis turbatis rebus, neſciens Clemens obijſſe Iacobũ, ſcripſit ei. Eadem nobiſcũ ſentit Eckius. lib. de Primatu Petri. cap. 10.

Quãdo Iudas ſcripſit. IVDAS vltimã Epiſtolam ſcripſit ad eos ad quos frater ſuus Iacobus pridem ſcripſerat ſicut innuere videtur ipſum Epiſtolæ principium, vbi dicitur. Iudas Ieſu Chriſti ſeruus, frater autẽ Iacobi. &c. Quare enim oportuit eum Iacobi meminiſſe? niſi vt oſtenderet ſe idem cum Iacobo negociũ apud eos agere.

Euſebius. Meminit Euſebius de horũ duorum fratrũ Epiſtolis. lib. 2. Eccleſiaſt. cap. 23.

ECCE LARGISSIMI proceſſus finem de Autoribus librorũ ſanctorũ; nec potuimus ſuccinctius conſtringere, tot concurrentibus dubijs, ne fraudaremus bonarũ literarũ ſtudioſos, deſiderio ſuo.

Animaduerte tamen, nõ omnia quæ Chriſtus dominus egit, vel dixit, referri ab ijs ſanctis ſcriptoribus. Nam Petro cõmiſſum fuit Euangelium circunciſionis, vt Paulus ait ad Galat. 2. & nõ conſtat quãdo vel vbi Chriſtus commiſit. Item. 1. Corinth. 15. apparuit plus q̃ quingentis fratribus. Et tamen quando vel vbi non conſtat ex Euangelio. Item ad Hebræos. 5. Qui in diebus carnis ſuę, preces ſupplicationesq́ꝫ ad Deũ, qui poſſet illum ſaluũ facere à morte, cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus eſt, pro reuerẽtia ſua. Gloſa interlinearis ibi. Hoc nõ eſt in Euangelio. Item Actuũ. 20. quoniam ipſe dixit. Beatius eſt dare magis q̃ accipere. Et ſic de multis locis qui adducuntur ab Eckio. lib. de Primatu Petri. cap. 39. Præter ea quæ Ioannes in fine Euangelij ſui ait. Multa alia fecit Ieſus, quæ nõ ſunt ſcripta. &c.

Nõ omnia quæ Chriſtus egit vel dixit ſcripta ſunt.

Eckius.

ANNOTATIO VII.

De ſenſibus Sacræ Scripturæ.

Quatuor ſenſus aſsi gnãtur ſcri pturæ.

COMMVNITER à Doctoribus aſſignantur quatuor ſenſus Scripturæ Sacræ. videlicet. Literalis, Allegoricus, Moralis & Anagogicus. Et ſecundum quòd excelluerunt, Hieronymus in Literali. Auguſtinus in Allegorico. Gregorius in Morali. Ambroſius in Anagogico: recipiuntur ij quatuor à Sancta matre Eccleſia, quaſi quatuor firmiſſimæ columnæ ad ſuſtentaculum eius, vt ſecundum ſpiritum datum iſtis ad interpretandum res dubias, intelligendæ ſint ſacræ ſcripturæ, in ijs quæ ſummus harum rerum Iudex PP. non determinat: qui & omninm ambiguitatum deciſor eſt, conſtitutus à Domino Pontifex Romanus, pro Pontifice olim Synagogæ poſito in Veteri teſtamento, de quo Deuter. 17. Habetur hoc de Doctoribꝰ quatuor, in cap. Glorioſus Deus,

Papa omniũ dubiorũ ſummus determinator.

De reliquijs & vener. S. Glorioſus.

de reli

de reliquijs & veneratione Sanctorũ.lib.6.

Ad intellectum autem horũ, aduerte quòd ſicut vnuſquiſq; prudentium, quanto ſapientior: tanto paucioribus verbis multa comprehendit, ita ſacræ Scripturæ verba: quia diuina ſunt, plena myſterijs ſunt. Sic quòd nedũ ſuas primas principales habeãt ſignificationes, verum etiam multo plura cõnotent ſignificationibus multiplicibus. Nanq; voces ſignificãt res ad extra, & ille etiam res per voces ſignificatæ aliarũ rerum ſunt ſigna. Et qualis ordo eſt inter voces, talis etiam conſurgit inter ipſas res.

Scripturæ ſacræ multiplex ſenſus.

Nedũ voces rerum ſed res quoq; aliarũ rerũ ſignificationes ſunt.

Prima ſignificatio rerum per voces, vocatur literæ, vel literalis. Secunda verò ſignificatio vocatur Myſtica.

Secundum autem quòd hæc ſecunda ſignificatio pertinet ad fidem, mores, vel ſperanda, dicitur vel Allegorica, vel Moralis, vel Anagogica.

Aduertendum quoq; ſecundo, quòd differunt ſenſus literæ, & ſenſus literalis. Omnis ſenſus literalis eſt ſenſus literæ, nõ autẽ omnis ſenſus literæ conſequenter literalis eſt. Neq; hic ſenſum literalem ſumimus pro ſenſu hyſtorico, vt nimis cõmuniter à quibuſdam ac-

Differunt ſenſus literæ & ſenſus literalis.

cipitur. Nam ſic: vbi nõ eſt alicuius hyſtoriæ
narratio, nõ eſt ibi quærendus literalis ſenſus.
Sed ſumimus literalem ſenſum, propriè, vt
eſt ſenſus per voces ſignificatus ab earum au
tore principaliter intentus: vnde non ſufficit
quòd per voces ſignificetur, ſed cum hoc re-
quiritur quòd principaliter ab autore vocum
illarum intendatur.

Senſus literalis quid ſit.

1. *Defectu huius, quando dicitur Iudicum.9. Quòd ligna*
2. *ierunt ut ungerent ſuper ſe Regem. Et.4.Reg.14. Quòd*
Cardus Lybani miſit ad Cedrum, quæ eſt in Lybano, di-
3. *cens. Da filio meo filiam tuam. Et Eſaiæ.5. Propterea di*
latauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſq; ti-
4. *more. Et idem.24. Erubeſcat Luna, & confundatur Sol.*
5. *Et Abacuc.2. Lapis qui eſt in pariete clamabit. Et ſimilia*
multa in Veteri Teſtamento. In Nouo quoq;. Matth.5. Si
6. *manus tua uel pes ſcandalizat te, abſcinde, proijce abs te.*
& ſimilia. Senſus omnium harum literarum, non ſunt li-
terales, licet ſint uere ſenſus literæ, ac per ſcripturas eas
ſignificentur. Non enim ſunt ſenſus literales: quia ab auto-
re ſcripturarum illarum non intendebantur principaliter:
ſed per parabolas illas ac ſimilitudines aliud intendebatur
1. *principaliter dici, ut patet. Nam ſenſus primæ eſt. Incon-*
2. *ſiderati malũ ſibimet imprudenter accerſiunt. Secundæ eſt.*
Humilis ac obſcura perſona per ſucceſſum proſperũ exal-
3. *tata, oblita ſui prouocat ſibi damnũ. Tertiæ ſenſus eſt. Cor*
ruptelis peruerſorum hominũ: cõmunitates in profundum

malorum

malorum ruunt. Quartæ eſt. In dignitate pudendorũ, or- 4.
do religioſorum permoueatur ſimul ac prophanorũ. Quin- 5.
tæ eſt. Teſtimoniũ male actorum in permanentibus monu-
mentis, reuincit condemnandos, proſtrandosq́;. Senſus au- 6.
tem ultimæ ſententiæ eſt. Quantumuis familiaris utilis ſit,
ſi obſtat animæ ſaluti, ſeparandus eſt à conſortio. Iſti ſunt
ſenſus uerè literales citatorum locorũ Scripturæ, per illas
parœmias denotati.

Nam ſicut cõmuni vulgatoq́; ſermone dicitur lingua vernacula. El ſonete me cata. modus ac circunſtantiæ, adaptationes q́; verborum, dant veram ſignificationem literę. Sæpe etiam contrariam illi, quæ aliàs eſſet verborũ illorum genuina, vti gratia exempli. Bona fœmina. Per ironiam dictum, ſignificat ream ac peſſimam mulierem. Sic etiam dicente aliquo verba cõmunia, ſolemus attendere orationis illius acceſſoria, in temporis coniectura, geſtu ipſius dicentis, correſpondentiá ve præmiſſorum, ad intelligendum vere quid per illa verba à nobis ſit deprehendendũ: quoniam quandoq; per prædicta, verborum autor dat nouũ quendam modũ ſignificandi vocibus, præter eum quem habent in ordinaria ſignificatione.

Modus & circũſtantię loquutionis dãt nouã ſignificationẽ verbis.

Ita eſt in literis diuinis Sacrę ſcripturę: quoniam vtitur quandoq; nutus diuinus verbis

Verbũ quãdoq; extraneũ ſignificationẽ ſuæ notat.

ac rationibus ad ſignificandū aliquod ab eo intentum, quod eſt extraneum ordinariæ ſignificationi verborū illorū, vti ſatis patet in prędictis parabolicis locutionibus, & ſimilibus.

Idem nomē diuerſa & cōtraria quandoq; ſignificat.

Quandoq; etiam idem nomen diuerſiſſima ſignificat, in locis diuerſis poſitū, propter diuerſas orationum conſtructiones, vt Auguſtinus. 3. de Doctrina Chriſtiana meminit. Nam aliter ſignificat fermentum. Matth. 16. Cauete à fermento pharizæorum. & aliter Matth. 13. Simile eſt regnum cœlorum fermento. Leo etiam Apoca. 5. Vicit Leo de tribu Iuda. Et. 1. Petri. 5. Quærens quem deuoret. Serpens itē Matth. 10. Prudentes ſicut ſerpentes. Et Serpens decepit Euam. 2. Corith. 11. Panis, Ioan. 5. Ego ſum panis viuus. Et Prouerb. 9. Panis furtiuus ſuauior eſt. Et ſic de alijs.

Auguſt.

De literis Hieroglyphicis.

Habetur ad hoc ſimile quoddam in literis Aegyptiacis, quæ dicuntur Hieroglyphicæ, & erant Sacræ Aegyptijs. Hæ erant notæ vnum repræſentantes, & aliud ſignificantes. Exempli gratia. Aegyptij volentes Tutelam ſignificare, duo capita pingebant, vnum maris intro aſpicientis: aliud fœminę aſpicientis extra. De quibus Orus Niliacus multa ſcripſit.

Orus Niliacus.

Ecce per figuras animaliū ac rerum myſteria

ria multa recondita ſignificabant. Sic eſt in di uinis literis animaduertere. Nam & quū Dominus dixerit, iod vnum nō eſſe in ſacra Scriptura ocioſum, animaduertimus propter myſteria propria, poſitas literas locis ſuis, tam vtiles quàm vacantes in Hebraico Textu, quū tamen nullæ ſint ocioſæ. Præterea & notas accentuum, quæ ab Hebræis Sapores dicuntur, ſecundum pronunciationem variantes ſignificationem. Poteſt exemplum ſumi in hac vernacula voce Barbera, quæ diuerſa ſignificat, ſola accentus mutatione. nam accentu in prima ſyllaba Bárbera, nomen eſt proprium fœminæ. In ſecunda Barbéra, commune nomen eſt vxoris tonſoris. In tertia verò Barberá nomen eſt gentilitium, ſic dictorum. Simile eſt in Latinis verbis prædico, & prę́dico: occídi, & óccidi: vénimus, venímus: ac ſimilibus, quæ diuerſe ſignificant, ſecundum accentus diuerſitatem. Sic in literis Hebraicis, apices mutant quandoque ſenſus: quandoque autem dant ſonum legendi aut pronunciandi, ſicut notæ iſtæ faciūt apud Latinos vt re mi fa ſol la. Hinc profectò venit illud de nominibus Domini. 72. in illis tribus verſibus Exo. 14. Tollensque ſe angelus Domini.

Accentus mutat nominis ſignificationem.

De. 72. nominibus Dñi.

R 5 vſque,

vſq̃. Cumq; extendiſſet. excluſiuè. Quæ omnia tribus Hebraicis verſibus continentur:habentibus vnoquoq; literas.72.quas ſi quis cõbinauerit, primas omnium trium verſuũ inter ſe:& ſecundas,& tertias.&c. ſemper reſultat nomen vnum trium literarum, quod eſt nomen Domini. Sicque efficiuntur.72.nomina.
Galatinus De quibus frater Galatinus.

Hinc etiam occaſionẽ nacti Cabaliſtę,ſuam conati ſunt ſtabilire poſitionem. videlicet, numerãtes literas textus,iuxta quaſdã regulas à ſe ordinatas nituntur eruere myſticas multas myſteriorũ ſignificationes,quas etiam dicunt literales ſenſus. videlicet. exempli gratia, numeratis literis huius primę dictionis Bereſcit, in ſcriptura,eliciũt.Pactũ eſt pater filius ignis.
Adrianus De ijs multa Adrianus Finus Ferrarienſis, in Flagello contra Iudæos.

Conſtat igitur quomodo principalis autor ſacræ Scripturæ, ac autor inſtrumentalis propheta, vtitur aliquando verbis ad aliam ſignificationem,quàm ſit communis vſus. Sed aliquando, & in plurimum, vtitur eadem propria qua cæteri vtũtur. vt Matth.4.Pœnitentiam agite:appropinquabit eñ regnũ cœlorũ.

Ideo igitur in deſcriptiõe ponitur ſenſus literalis,

teralis, quòd ſit ab autore principaliter intentus, vt excludatur à ratiõe literalis ſenſus, ille quem parabolice locutiões prima ſignificatione faciũt: quia licet ſit ſenſus literæ, nõ tamen ſenſus literalis. Erit igitur ſenſus literalis, ſenſus ille quem per literã intendit autor ipſe literarum illarũ: ſiue ſit genuinus literarũ illarũ ſecundũ cõmunem acceptionem hominũ, qui vocabulis illis vtũtur: ſiue nõ ſit is, ſed quem per verba illa vult innuere, per quaſi nouum modum ſignificandi à ſe impoſitũ, ad quem pro tunc applicat verba illa autor earũ, iuxta quod deprehenditur ex antecedentibus, conſequentibus, circũſtantijs, & ſimilibus ad propoſitum facientibus.

Ecce ſatis cõpendioſam reſolutionem, vti credo, materiæ difficilis.

Ex hoc habetur ꝙ multi loci ſacrę Scripturæ habent multiplices ſenſus literales: quia videlicet Spiritus ſanctus quandoq; verbis ſimplicibus multos ſenſus includit. Et hoc principaliter ac literaliter: ita vt ex eis accipiatur efficax argumentũ, quũ ex vi verborũ intẽdatur vterq;, quãuis aliâs vnus potior ſit ac nobilior altero ſenſu, ac ſic ſuo modo principalior. Hoc patet in illa autoritate Deut. 18. Prophetã ſuſcita

Multi loci ſcripturæ ſacræ habẽt multiplices ſenſus literales.

ſuſcitabit tibi de medio tui. Ad literam enim
Brito. in ſenſu literali, intelligitur de Ioſue, ſicuti Bri
to quidam gloſator prologi Galeati beati Hie
ronymi, adducit. Item ad literam etiam acci-
pitur de Chriſto Domino, ſicut Hebręis om-
nibus notiſſimũ eſt, qui ex hac autoritate de-
prehendunt Meſſiah de tribu Iuda deſcenſu-
rum. Quoniam Iudas medius fuit inter ſuos
vterinos fratres, ſiue maternos, quartus ſcili-
cet inter ſeptem filios Lię: quũ Rachel, Bala
ac Zelpha quę pepererunt ipſi Iahacob filios,
duos tantum vnaquæq; ediderit, inter quos
non eſt medium reperire. Simile habetur in
illa autoritate. 2. Reg. 7. Ego ero illi in patrem
& ipſe erit mihi in filium. Vbi ex literæ con-
textu de Selomone intelligitur, capta præpoſi
tione illa, in, accommodate, vt notet appoſi-
tionem, cuius ſenſus erit: quòd Dominus ita
proſperaturus erat Selomonẽ, ac pater aman-
tiſſimus ſolitus eſt filiũ quàm plus poteſt ho-
neſtare ac ſublimare. Nam & Nathan prophe
ta propter hoc ipſum vocauit Selomonẽ Idi-
da, id eſt, amabilem Domino. 2. Reg. 12. Pro-
priè autem reuera de Chriſto ſermo fit ad lite
ram: capiturq; præpoſitio illa, in, intranſitiuè,
ſignificaturq;. Ego ero illi pater, patriſq; offi-
cium

clum agam: isq; mihi filius erit, officiũq; filij peraget. Sic Paulus teſtimonium hoc adducit Epiſtola ad Hebręos, probans Chriſtum Dei filium, ac Deum verum: cõuincitq; hoc ipſo teſtimonio peruicaces. Certum eſt autem ex Auguſtino contra Donatiſtas, quòd ſolus literalis ſenſus efficax eſt ad probandum, certumq; concludendũ. Agit Adrianus Finus de vero ſenſu literali iſto autoritatis allegatæ lib.3.cap.15. Flagelli: quum Salomon non fuerit natus poſt Dauid, ſed viuente Dauid. Auguſt. Adrianus.

Idem iterum patet in illa Oſee.1. autoritate. Ex Aegypto vocaui filium meũ: cuius literalis ſenſus eſt de toto populo Iſraël, qui ex Aegypto ad terram promiſſam patribus ſuis euocatus fuit tot miraculis. quod ex prophetiæ contextu notiſſimum eſt. Eadem tamen autoritas de Chriſto Domino eſt, vti Matth.2.ca. adducit adimpletam in Chriſto prophetiã, reducto in terram Iudæorũ ab Aegypto. Dicit tamẽ Aymo, Sermone de Innocẽtibus, autoritatem illam Matth.2. ſumptam, non ex Oſee.1. ſed ex Num.24.b. vbi dicitur. Deus eduxit illum de Aegypto. &c. iuxta quorundam opinionem: ſed in idem reincidit. Hieronymus autem in commentarijs ſuper Oſee.11. dicit in

nullo

nullo alio loco haberi niſi in Oſee. Super Mat thæi tamen loco Toſtado ait, quòd Prophetę in ſuis prophetijs non intelligebant myſticos ſenſus, ſed bene literales quandoque omnes quotquot eſſent, quandoq; nō omnes, ſed aliquem. Quoniam ſicut dicitur Danie. 10. Intelligentia opus eſt in viſione. Quòd ſi myſticos ſenſus intenderent, nō dicerentur compleri prophetię, niſi completis myſticis ſenſibus: Hoc autem ineptiſſime dictum eſſet, ex multiplicitate ac pene infinitate myſticorum ſenſuum. Item quum prophetiæ dicantur compleri, quando id efficitur quod principaliter ſignificant, quotidie dicerētur cōpleri, ſi principaliter myſtica ſignificarent: quia quotidie in moribus quos figurę notant, ſeu potius ad quos aptantur Scripturæ, efficitur id quod myſtice ſignificatur. Hieronymus itē tractans Aggei. 2. Ego mouebo cœlum & terram. &c. ait. Alij de primo aduentu dictum intelligunt. alij de ſecundo: nos vtrunq; ſuſcipimus. Ecce duplicem ſenſum literalem in loco vno.

Prophetæ nō omnes ſenſus ſuarū propheтiarū intellexērūt.

Hierony.

Primi innitūtur Petri intellectui. Actuū 2. allegantis hæc de primo aduentu.

Item Pauli etiam ad Roma. 10. allegantis. Omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus

tius erit. completum in paſſione Domini.

Secundi innituntur cohærentiæ tertij capitis, quod de iudicio, cū fine cap. ſecundi. Sed conſiliantur per tranſitum ſcripturæ de vno ad alium.

Burgēſ.

Dicit autē Burgenſis in prologo ſuper Bibliam, quòd nedum duo ſenſus literales reperiuntur principaliter intenti ab ſpiritu ſancto, vti monſtratum eſt: ſed quandoq; multo plures quàm duo. vt quando aliquem Sacræ ſcripturæ in literali ſenſu, doctores ſancti diuerſimodè exponunt, quos credimus afflatos ſpiritu ſancto ad expoſitionem Sacrarum literarum. Iuxta illud. Eodem ſpiritu quo conditæ ſunt Scripturæ, ſunt intellectæ. Tunc enim licet affirmari omnes illas expoſitiones eſſe literales ſenſus illius loci, à Deo intentos, & à propheta ipſo cognitos. Nec mirū quòd Scriptura ſimplex in literis, ſit multiplex in ſignificatis, quum videamus in humanis ſcripturis arte compoſitis & elaboratis ita contingere, vt vnica ſcriptura multa diuerſiſſima ſignificet. Vidi Latinam Epiſtolam, eandemq́; verè Hyſpanam, idem Latinè quod Hyſpanè ſignificantem. Vidi & alteram iuxta diuerſitatem punctuationū idem affirmantem, ac ne-

Duo & plures ſenſus literales vnius loci ſcripturæ.

gantem

gantem. Vidi tertiam, tria ſignificantem.

Auguſt. Vnde Auguſt. lib. 11. de Ciuitate Dei. cap. 19. ait de multiplicitate ſenſus literæ. Quamuis itaq; diuini ſermonis obſcuritas, etiam ad hoc eſt vtilis, quòd plures ſententias veritatis parit, & in lucē notitię producit, dum alius ſic, alius eum ſic intelligit. Ita tamen quod in obſcuro loco intelligitur, vel atteſtatione rerum manifeſtarum, vel alijs locis minime dubijs aſſeratur. Siue quum multa tractantur ad id quoq; perueniatur, quod ſenſit ille qui ſcripſit. Siue id lateat, ſed ex occaſione tractandæ profundæ obſcuritatis, alia quædam vera dicantur: nō mihi ab operibus Dei videtur abſurda ſententia. Hæc Auguſtinus. Idem tractat Eckius lib. 1. de primatu Petri. cap. 18. Eckius.

De Senſibus Myſticis.

De myſticis ſenſibus. DE SENSIBVS verò myſticis, Allegorico, Anagogico, & Morali: aduertendū quòd quamuis nō omnis Textus ſacræ Scripturæ habeat iſtos ſenſus myſticos: tamen quicunq; habet, multos habet. videlicet. ſi habet moralem, multos habet morales ſenſus. Et ſi allegoricum, multos habet allegoricos. Et ſi anagogicū, multos anagogicos habet. Hoc autē

oſtendi

oſtenditur ſic. Primò quòd nõ omnis Textus Scripturæ ſacræ habeat ſenſus myſticos. Nõ omnis textus ſcripturę habet myſticũ ſenſum.

Circa quod attendendum, quòd ad hoc vt ſit aliquis myſticus ſenſus, oportet quòd non ſit literalis: nam ſenſus literalis ſumitur ſecundum propriam terminorũ ſignificationem ac ſuppoſitionem. Senſus vero myſticus, ſecundum impropriam ac metaphoricam, qua pars habet cõmunicationem cum toto. & cõtra. vel ſimile cum ſimili. &c. Sic licet aliquis ſenſus pertineat ad mores, ac propter hoc dici poſſit in ſe moralis: tamen nõ eſt dicendus moralis ſenſus illius loci, vt hic accipim⁹ ſenſum moralem: quia eſt ſenſus ibi principaliter intẽtus ab autore literæ. Ad ſenſum autem myſticum oportet quòd litera illa habeat ſenſum aliũ literalem. Conſimiliter dicendum de Allegorico & Anagogico. Et attende q́ ex hoc multiplex ambiguitas diſſoluitur in contrarijs ſententijs multorum doctorum. Non eo q́ ſenſus ad mores pertinet moralis eſt.

His prælibatis, conſtat quòd multi loci ſacræ Scripturæ ſolo ſenſu literali continentur. videlicet Textus præcepta moralia continentes, ſpecialiter ad Deum cõcernentia, vti ſunt. Diliges Dominũ Deum tuum. Item Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt. & ſimilia. In

his enim non eſt quærere alium ſenſum præter literalem.

Epiſtolæ Pauli in ſolo literali ſenſu cōtinentur.

Sic dicitur cōmuniter â Doctoribus quòd Epiſtolæ Pauli omnes ſenſu literali continentur: quia licet tractent allegorias & anagogias Veteris inſtrumēti, tamen tractatus talis ſolo literali ſenſu continetur. Quia omnes Epiſtolæ quę probant per textū Scripturę, ſenſum literalem important: aliàs enim nō eſſet efficax argumentū, quod in ſolo literali eſt. vt ſupra ex Auguſt. traditum eſt. De ijs datur regula à S. Thoma. 7. quodlibeto. q. 14. Quando ſacra Scriptura loquitur ſecundū ſenſum literalem de ijs quæ ſpectant ad facta Veteris teſtamenti, aut de ijs quæ ad Chriſtum pertinent, poteſt litera illa exponi ſecundum quatuor ſenſus, videlicet literaliter de geſtis illic notatis. Allegoricè verò, referendo ad myſticum Chriſti corpus. Moraliter, ad actus noſtros. Anagogicè verò, in quantum nobis iter gloriæ demonſtratum eſt in Chriſto.

Auguſt.

Notabilis regula S. Thomę de ſenſibus ſcript.

Quando verò literaliter loquitur Textus de Eccleſia, tunc exponitur ſenſu myſtico, moraliter & anagogicè.

Quando loquitur de motibus, tunc in myſtico ſenſu exponitur etiā de ſperandis, anago

gico

gico ſolo ſenſu. Si autem literaliter loquitur textus de ſtatu gloriæ, tunc non eſt cur aliter exponatur litera: quoniam gloria quam ſperamus non eſt aliorum figura, ſed ab alijs figurata. Modo ſenſus myſtici conſequuntur ſenſum per literam importatum, ſecũdum quòd res ſignificatæ per textus illius verba, habent aliquem reſpectum alijs rebus, propter quem illas alias res ſignificant ſecundario: ſicut Veteris Teſtamenti acta Chriſtum notabant, ad quem dirigebantur. Chriſtus autem quoniam caput eſt ac ſponſus, relatiuo modo habet membra ſiue corpus, & ſponſam. Sic includit Eccleſiam triumphantem, in ſenſu anagogico. & Eccleſiam militantem, in allegorico. Includit etiam particulariter ſuos, in morali ſenſu. Et hoc ſiue ſuos charitate ſibi adunatos, ſiue nomine ſolo addictos, per baptiſmalem characterem.

HABETVR EX HIS difficilis materia ſatis compendioſe explicata, iuxta quæ poterit vnuſquiſq; prudentiũ habito literali ſenſu vniuſcuiuſq; loci ſcripturę, venire per ſe metipſum in myſticos ſenſus. Et quidem aptius q̃ per Bertorij moralitates, aut figuras Biblię cuiuſdam fratris de Rampegolis, ac ſimilia opu- Genuensis

ſcula, quæ confundunt intellectum inexperti: & aſſuefaciunt eum ad fingendū de capite ſuo ſomnia & illuſiones, detorquendo Textū ad ineptias ſuarum adinuentionum: quod graue damnum in Eccleſia Sancta Dei eſt: quia non ſolum perit fructus ex verbis Dei ſperatus, verum aſſuefit homo nulli ſenſui verborum Dei conſtanter aſſentire, pro diuerſitate expoſitionum ac contrarietate, dum vnus locū aliquem ſcripturæ pro libito ad ſuam poſitionē applicat, alius ad ſuam contrariam detorquet: ſicq; infeliciſſimè perit ſolida ſcripturarū notitia. Quod ſancta catholica mater Eccleſia deteſtatur. 37. d. cap. Relatum. Vbi inter cætera, ſic ait. Et ideo diligenter obſeruandum eſt vt lex Dei quum legitur, nō ſecundū propriam ingenij virtutem vel intelligentiam legatur, vel doceatur. Sunt enim multa verba in ſcripturis diuinis, quæ poſſunt trahi ad eum ſenſum, quem ſibi vnuſquiſq; ſponte præſumpſerit: ſed non oportet. Non enim ſenſum extrinſecus alienum & extraneum debetis quærere, vt quoquo modo ipſum ex Scripturarum autoritate cōfirmetis. Sed ex ipſis ſcripturis ſenſum capere veritatis oportet. &c. Hæc ibi. & eſt Canon Clementis PP. Dicit autem Gregorius.

Cōtra ſommiatores detorquentes ſcripturas.

37. Diſt. Relatū.

gorius. Intellectus ſacri eloquij, intra Textū & myſteriū, tanta libratione penſandus eſt, vt neq; nimię diſcuſſionis pondus deprimat: neq; torpor incuriæ vacuū relinquat. Multæ enim ſententiæ cauta allegoriarū conceptione grauidæ ſunt, vt quiſquis eas ad ſolam hyſtoriam tenere nititur, earum notitia per incuriam priuetur. Quædam ita exterioribus præceptis inſeruiunt, vt ſi quis ſubtilius penetrare deſideret: nihil intus inueniat: ſed ſibi etiam quod foris eſt abſcondat. Hæc ille. Gregorius

EST IGITVR myſticus ſenſus, quando vocabula non ſignificant primo ipſam rem: ſed res per ea ſignificata habet aliquam correſpondentiā cum illa alia re. Circa quod aduerte quæ Ricardus de Sancto Victore ait, lib. 2. exceptionū. cap. 5. dicens. Voces non plus q̃ duas aut tres habent ſignificationes. Res autem tot poſſunt habere, quot habent proprietates. Res verò primę à vocibus ſignificatæ, aliàs ſecūdas res ſignificantes, conſiderantur ſex circunſtantijs diſcretæ: quæ ſunt hæ. videlicet. Res, Perſona, Numerus, Locus, Tempus, Geſtum. Res vero duobus modis ſignificat. videlicet, natura & forma. Natura, vt nix quia frigida, extinctionem ſignificat libidinis. Myſticus ſenſus quis Ricardus Myſticæ ſignificatē quid multipliciter.

Forma, quia candida, munditiam ſignificat boni operis.

Perſona. Perſona ſignificat, vt Iſaac, Deum patrem: Iacob, populum fidelem ex gentibus.

Numero. Numeri autem ſignificant nouem modis,
1 videlicet. Secundū ordinem poſitionis, vt vnitas: quia prior eſt in numeris, rerū omniū ſignificat principium. Binarius autem, quia ab vnitate recedit, ſignificat peccatum.

2 Secundum qualitatem diſpoſitionis. Sic binarius, quia ſuſcipit diuiſionē, ſignificat corruptibilia. Ternarius verò econtra, incorruptibilia: quia diuiſionem non ſuſcipit.

3 Secundum modum porrectionis, vt ſeptenarius, ſignificat requiem: quia ſenarium tranſcendit, qui operis eſt.

4 Secundū diſpoſitionis formam, vt decem ſignificant fidem. Centum charitatem. Mille ſpem.

5 Secundum cōputationem, vt decem perfectionem ſignificant: quia illuc vſq; procedit numeri computatio, & vltra non tranſgreditur ſimpliciter.

6 Secundum multiplicationem, vt numerus duodenarius, ſignificat vniuerſitatem, & excreſcentiā: quia videlicet oēs partes quæ eius

aliquo

aliquoties ſumptæ reddunt totum, ſi ſimul ſumantur, excedunt ipſum totum. Nam. 1. 2. 3. 4. &. 6. faciūt. 16. qui numerus excedit duodecim.

Secundum partium aggregationem, vt. 60. 7
ſignificat perfectionem veram, quia cōſtat ex 10, &. 6. Ita vt decem ducantur per. 6. vel econtra ſex per decem.

Secundum aptitudinem, vel habitudinem, 8
vt binarius: quia proprius accedit ad vnitatem quæ Deum notat, vti ſupra dictum eſt, propter ordinem, ſignificat charitatem. Et ſic præcepta data ſunt in binario dilectionis, vti etiam Hallenſis Alexander habet. parte. 4. Alex. Halenſis.

Secundū exaggerationē, vt numerus ſepte- 9
narius, propter actiuitatem, ſecundum quod & planetæ hoc numero creati ſunt: notat redundantiam operationis, vt ſeptuplum vltio dabitur de Caim. &c.

Locus autem ſignificat, vt Hierico mundum. Ieruſalem paradiſum. Loco.

Tempus etiam, vt facta ſunt encenia, & hyems erat. Tempore.

Geſtum, vt veniens Ieſus Bethaniam ſuſcitauit Lazarum. Ad obedientem venit Ieſus, vt peccato mortuum ſuſcitet. Et tantum de ijs Richardus. Geſto.

Patet ex his quomodo nõ omnis Textus habet ſenſus myſticos. Nunc videndũ quomodo Textus habens, multos habet.

Auguſt. in conf. c.31.32.

A D QVOD notandũ eſt, quod Auguſt. ait de ſenſu literali lib.4.Confeſſionum. Dicit enim: Deus qui omnia comprehendit vnico actu intelligendi, qui eſt ipſemet Deus: multa ſimul per literas ſuas principaliter etiã intendit: quo fit, vt multi ſint literales ſenſus eiuſdem loci.

Quomodo multiplices ſenſus habet locus vnus myſticæ.

Sic pari ratione, quoniam ſenſus myſtici allegorici, ad fidem pertinent, ſcilicet ad ea quæ fidei ſunt, quæ multa ſunt, applicatis ad geſta Chriſti, quibuſuis locis recipientibus allegoriam, comprobabitur aptus ſenſus myſticus. Et quia geſta Chriſti multa ſunt: vtpote, acta, paſſa, inſtituta, & ſimilia. Conſequitur ꝙ multiplicabuntur ſenſus allegorici.

In moralibus etiã quoniã Sanctę matris Ecclesiæ membra multa ſunt, & alius eſt modus conuerſationis virginum, alius viduarum, & alius coniugatorum: diuerſi reddentur ſenſus morales ex Chriſti geſtis pullulantes, iuxta diuerſitatem actionis requiſitæ in vnoquoq; iſtorum modorum viuendi.

Sic quoniã in domo patris manſiones mul

tæ ſunt,

tæ ſunt, & alia eſt claritas Solis, alia Lunæ. &c. multiplicabuntur intellectus, iuxta multiplicitatem graduum gloriæ, in aureolis, ac floſ lis Sanctorum.

Aduerte tamen quòd hoc non debet fieri pro libito. Nam ad hoc quòd ſenſus myſticus ſit alicuius loci, oportet quòd ſit literalis alterius. Item quòd oſtendatur correſpōdentia applicationis, per rationes ex litera ſumptas. Hæc habentur ex Auguſt. 2. de Doctrina Chriſtiana. Et Burgenſi in prologo ſuper Bibliam. Gerſon colligit quaſdam propoſitiones de ſenſu Literali ſacræ Scripturæ, & cauſis errantium. Habentur. 1. parte operum eius, poſt lectiones ſuper Marcum. Auguſt. Gerſon.

ANNOTATIO VIII.

De Clauibus Sacræ Scripturæ.

CONSEQVENTER poſtq̄ de ſenſu ſacræ Scripturæ actū eſt, operepretium eſt etiam de Clauibus ad intellectū eius aperiendum tractare. Vbi aduerte quòd Auguſt. 3. de Doctrina Auguſt.

Iſidorus. Chriſtiana.cap.30.vſq; ad finem libri. Et Iſidorus lib.1.de Summo bono.cap.20. Et fermè omnes antiqui Doctores referũt fuiſſe quendam celebrem virum, in ſacra doctrina exercitatiſſimum, nomine Ticonium (licet aliàs in errorem inuolutus fuerit) qui fecit librum, quem Regularum vocauit: quia in eo ſeptem regulas notauit, quibus quaſi clauibus ſeptem, occulta diuinarum ſcripturarum aperirentur. Auguſtinus autem apponit octauam. Et poterit huic nona adiungi, non ſuperfluè: quę tam vtilis eſt poſt octo primas, quàm ipſę octo primæ neceſſariæ. Sed ad numerum denarium complendum, decima quoq; addetur. Licet Polycraticus lib.7.cap.13.alias ponat ſeptem regulas diſcendi.

Ticonius fecit regulas ſeptẽ.

Polycraticus.

Prima Regula Ticonij.

PRIMA IGITVR Ticonij Regula eſt de Chriſto Domino & eius corpore myſtico. Nanq; per vnionem illam feliciſſimam, qua Dominus ſuæ vnitur per charitatem Eccleſiæ: efficitur vt quaſi propria aſſumpta ſint à Chriſto Eccleſiæ negocia. Et ea quæ peculiaria ſunt Domini, communia ſint cum Eccleſia: ſic ad eam adaptantur, & econtra: quemadmodum Princeps ea quæ interſunt principatui ſuo, propria ſua dicit, ſuaq; intereſſe. Itaq; commu

communiter à loquentibus referũtur de Principe, quæ de principatu, oportet intelligi, & ecõtra. Propterea Paulus ad Gala.3.ait. Ergo Abrahæ ſemen eſtis: quia quũ vnicum ſit vere ſignificatũ ſemen Abrahæ, Chriſtus: nõ dubitauit pro Chriſto cõputare omnes ei addictos, ac per ſacramenta iam initiatos. Et ſic eis tribuere, quod Chriſto proprium eſt.

Sic in Scriptura, ſæpiſſimè quum de una perſona ſit loquutio, coagulantur ac quodammodo congeruntur ſimul, ea quæ propria ſunt Eccleſiæ, & ea quæ propria ſunt Chriſti. ut Eſaiæ.61. Sicut ſponſo impoſuit mihi mythram, & ſicut ſponſam ornauit me ornamento. Primum ad Chriſtum pertinet, Secundum ad Eccleſiam. Prudens igitur lector, per hanc primam regulam diſtinguet quid capiti, quid corpori conueniat. Sic Canticorũ.1. Oſculetur me oſculo oris ſui: quia meliora ſunt ubera tua uino. Sic etiã ſimiles autoritates ſunt intelligendæ, in quibus uerba miſceri uidentur.

SECVNDA Ticonij regula eſt, de corpore Chriſti verè myſtico, & ficto, ſiue de permixta Eccleſia. Secũda Ticonij.

Propter mixtionem enim temporalem bonorum ac malorũ intra ſagenam Eccleſiæ, q̃ diu nõ peruenitur ad littus vltimi vale, ac mortis, multa permixtè dicuntur de vtriſq;. Nam quandoq; locutio ad oẽs facta propter bonos,

vide

videtur etiam pertinere ad malos, quum tamen verè non ad eos pertineat. & ecõtra. Circa quæ oportet vigilanter aduertere, ne in lectione confundantur legentes.

Sic habetur Cantic.1. Nigra ſum, ſed formoſa. Prima pars ad malos pertinet, ſecunda ad bonos. Sequitur ibi. Sicut Tabernacula Cedar, ſicut pelles Selomonis. Prima ad malos, Secunda ad bonos. At utrunq; ſe eſſe dixit Eccleſia, propter permixtionem temporalem bonorum cum malis ac impijs. Sicut enim intra omnes bonos, nullus unquam ita bonus, ſicut Chriſtianus bonus: ita etiam inter malos, nullus unquam ita malus, ſicut Chriſtianus nequam. Sic Matth. 24. de ſeruo malo habetur: quòd quum uenerit Dominus eius, diuidet eum, & partem eius ponet cum hypocritis.

Aliquando autem in ſacra Scriptura, locutione vnica omnes cõprehenduntur propter aliquos. vt Oſee.11. Puer Iſraël, & dilexi eum. Ibi mali ex ſocietate bonorũ dilecti dicuntur. & conſequenter participes beneficiorum quæ boni promerentur.

Econtra Eſa.1. Iſraël me nõ cognouit. ubi uituperantur boni propter malos: conſequẽterq; aſſlictionibus debitis peccatoribus ipſis propter ſua demerita, comprehenduntur.

Tertia regula Ticonij. TERTIA Clauis ſiue Regula Ticonij eſt de ſpiritu & litera: quando videlicet, in aliqua narratione Scripturæ continetur alius ſenſus

literalis

literalis incluſus, penitior eo quem ſuperficialiter litera notat. Quemadmodum exemplũ ſumi poteſt in illo actu Abrahę, quando Agar de domo ſua amandauit, Gene. 21. ſicut iam ſupra dictum eſt. Dicitur enim ibi: quòd impoſuit humeris Agar panem & vtrem aquæ, & ſic tradidit ei puerum. Hoc enim videtur durum, quòd tam diues paterfamilias ac vir miſericordiarum, ſic è domo ſua proiecerit filiũ ſuum, cum matre quæ ei pepererat maſculũ. Sed quoniã ijs narrationis huius literis aliud principalius intenditur ſignificatum: cõgruè ſic narratur, vt lector moueatur ad myſteriũ incluſum inueſtigandum. videlicet, vt intelligatur Iſraëlitici populi cura impoſita ſuper Synagogam: panes etiam ſui alimenti, qui legis ac ceremoniarum ſunt, cum aquis conſolationum ac refrigerij prophetalium librorum, ad Synagogæ diſpenſationem commiſſos.

Simile quid eſt in cap. 9. Geneſis, ubi dicitur, Quòd Noe uir agricola cœpit exercere terram, & plantauit uineam. Bibensq; uinum inebriatus eſt, & nudatus iacuit in tabernaculo ſuo. Quod quum uidiſſet Cham pater Chanaan, uerenda ſcilicet patris ſui eſſe nudata, nunciauit duobus fratribus ſuis foras. &c. Quid enim, tam cito plantans uineam, ſtatim bibit uinum? & uidens Cham filius tam adultus, ut Expoſitio loci Gẽ. 9. De irriſione virilium Noe facta à Cham.

pater

pater dicatur Chanaan, irriſioni habuit, uidiſſe patris uiri lia, ſiue membrũ generationis in uirilitate motum? Ad quid etiam facit, notare generationem ſuam, quum dicatur pater Chanaan, ad peccatum illud irridendi uirilia patris? Sed narrata ſunt hæc ita per compẽdium, appoſitaq́; ſunt inter narrandũ tales aptationes uerborũ, ut lector naſutus ſubolere poſſet myſterium intùs latens. Nam uti philoſophari poſſumus, Egreſſus ab Arca Noe, de omnibus mundis pecudibus ac uolucribus Deó ſacrificans, adeptus eſt gratiam & benedictionem, qua creſcens in notitiam diuinorũ myſteriorum: cognouit Meßiah de ſemine ſuo deſcenſurum. Dicitur enim Gene. 8. Quòd Deus odoratus odorem ſuauitatis, benedixit Noe. Et Gene. 9. Reuelauit ei pactum futurum cum ſemine ſuo. Propter quod tanti conſcius myſterij, diuinæ incarnationis: ac experimenti amoris diuini, in Sacramento futuro, in pane ac uino, plantauit uineam: non tantum ad uſum pro aquarum corruptione, quantum ad miniſterium offerendi uinũ cum pane. Quod ex eo cõprobatur quòd in ſubſequẽti Geneſis cap. 14. dicitur de Melchiſedech, quòd obtulit panem & uinũ. Sic Paulus explicat ad Hebræos. 7. Sicq́; Pſalmus. 109. manifeſtißime comprobat. Hic igitur Melchiſedech Rex iuſtus, Sem, in tanto miraculo uolens Deo gratias agere, aptans ſacrificium hoc panis & uini in Dei laudes: ſi ſpecialem & primam non habuit de hoc reuelationem, uti non legitur habuiſſe, reliquum eſt, ut à patre Noe habuerit. Non habetur autem locus unde hauriatur huiuſmodi reuelatio, niſi hoc loco & facto, de cul

Noe ſacrificauit more Iudaico

Noe ſacrificauit more Chriſtiano.

Melchiſedech à Noe doctus ſacrificare.

tura

tura uineæ. Igitur ibi ſecretum hoc inſinuatur. Intelligimus ergo Noe uineam idcirco plantaſſe, ut uinum in oblationem ſeruiret. Obtulit ergo Noe, & amplius reuelationibus imbutus eſt, illuſtratus; ac ſupra ſe leuatus: dotatus eſt priuilegio felicis poſteritatis, in qua Meſſias etiam ipſe reperiendus eſſet. Quod non latuit Cham filium eius: uidit nanq; datam poſteritatem patri ſuo Noe, uidit enim uirilia patris, agnouit uirtutem diuinitus ei datam, qua ſenex. 650. annorũ potuit generare: genuitq; de facto filios plures. De quibus Beroſus in Chaldaica defloratiõe fuſe tractat. Propterea q; indignatus, egreq; ferens tot fratres ſibi multiplicari, quibus de neceſſitate inter filios ſuos pars aliqua terræ Aphricæ, quæ ſibi obuenerat, prouẽtura erat: cõſulens primæuos duos fratres ſuos, uoluit patrẽ eſſœtare. Et diſſentientibus illis, ipſe ſolus patris inſecuit uirilia, uidelicet maleficiauit, frigidauitq; uel herbis, uel potione, ita ut amplius generare non potuerit Noe. Propter quæ Chameſſes uel Cham infamis appellatus fuit, ut Beroſus loco citato tradit. Videtur autẽ hoc à Moſe inſinuari, ubi narrando hoc ipſum Chanaan filij Cham mentionẽ apponit, quaſi oſtentans illius irriſionis occaſionem, uiriliorum (uti ipſe nominat) patris, fuiſſe ipſum Chanaan.

Noe donatus fœcũditate.

Chã egre ferẽs multiplicari ſibi fratres inſecuit Noe.

Beroſus.

Chã infamis.

Beroſus.

Inſuper in Noe ipſius actis, poſtquam aduertit geſta filiorum ſuorum, benedicendo poſteritatibus Sem ac Iaphet, introducens eas in terram quæ contigerat Cham, & eorũ ſeruituti ſubiugando filios Chanaan, uidetur hoc ſatis apertè ſignari.

Noe benedictio, & maledictio filijs data.

Ecce

Ecce igitur reconditum ſecretum, inter narrandum ex uno uel altero ſcrupulo hauſtum.

Simile quid eſt etiam aduertere in lib. Deuteronomij, in quo legis noſtræ Chriſtianę, quę ſecunda lex eſt, fuerunt ab ipſo Moſe occluſa myſteria: ac propterea liber ipſe nominatus fuit Deuteronomium, id eſt, Lex ſecunda, à collegio illo Septuaginta duorum interpretũ, videlicet vt notaretur in illa Scriptura eſſe inclusa in literali ſenſu etiam ea, quę expectarent Legem poſt venturam, ſecundam in ordine. De Pſalmiſta ait. Scribantur hęc in generatione altera: & populus qui creabitur laudabit dominum. Sic Innocentius, 3. in ſua Decretali, quæ habetur. titulo. Qui filij ſunt legitimi, cap. Per venerabilem, dicit, ſeruanda eſſe quę in libro Deuteronomij decernuntur ſub his verbis. Sanè quum Deuteronomiũ Lex ſecunda interpretetur: ex vi vocabuli comprobatur, vt quod ibi decernitur, in Nouo Teſtamento debet obſeruari. &c. Frequens eſt in Pſalmis huius regulæ vſus. frequens tranſitus de Litera ad Spiritum: patet enim Pſalmũ ſecundũ ad Chriſtũ pertinere, ex Actu. 2. Item Pſalm. 15. ex Act. quum tamen ad literam Iudæi de Dauid exponant. Item Pſal. 17. ſoli

Innocentius. PP.

Chriſto

Chriſto cōuenire, patet ex litera. Dauidi autē à Iudæis tribuitur.

Quarta Ticonij regula eſt de ſpecie & genere: non quòd ibi logicæ doctrinæ quæratur generis ſpecieiq; deſignatio. Sed quemadmodum etiam vulgo in mandatis Regijs, notū eſt diſtinguere inter ea quæ ſpecialiter dicuntur, & ea quæ generaliter: ita hic Ticonius aſſumit ſpeciem & genus, vt ea quæ ſpecialiter alicui ciuitati, ſiue prouinciæ denunciantur, accipi velit dicta ad ſpeciem. Ea verò quæ generaliter de aliquo toto cuius eſt pars ea de qua mentio præceſſit, ad genus dicta videantur. Exemplum horum, vt alibi ſæpius, frequenter in Eſaia reperitur. vnum autem de multis libet adducere. Eſaiæ. 13. Onus Babylonis ſuper montem excelſum leuate ſignū. &c. Ecce dies Domini venit crudelis & indignationis plenus, & iræ, furoris q; ad ponendū terram in ſolitudinem. &c. Ecce ego ſuſcitabo ſuper eos Medos, &c. Prima & tertia clauſula, ad Babylonem ſpecialiter pertinent. Secunda, ad orbem totum generaliter, & loquitur de iudicio vniuerſali, ac finali. Similiter Ezechielis. 36. d. Domus Iſraël habitauerunt in humo ſua, & polluerūt eam in vijs ſuis. Et effudi indignationem

Quarta regula Ticonij.

Eſa. 13.

Ezechielis 36.

T

tionem meã ſuper eos. Et diſperſi eos in gentes.&c. Ecce hæc dicit Dominus Deus: Tollam quippe vos de gẽtibus, & adducam vos in terram veſtrã. Et effundam ſuper vos aquã mundam, & dabo vobis cor nouum, & ſpiritũ nouũ.&c. Adhuc in hoc inueniet me domus Iſraël vt faciã eis. Multiplicabo eos ſicut gregem hominum.&c. Ibi, primũ ac tertium ad Iſrael ſecundum carnem pertinet: ſecundũ verò ad Iſraël ſecundum ſpiritũ. totum videlicet mundũ, ſiue Eccleſiam de mundo toto congregatam, in qua patens eſt fons baptiſmatis ad ſpiritus munditiam. Similia quoq; multa reperiuntur in ſcripturis aliorũ prophetarum.

Quinta regula Ticonij. QVINTA regula Ticonij eſt de temporibus, vtiliſsima quidẽ ac perquam neceſſaria ad extricandas ſuborïẽtes difficultates plurimas ex diuerſis narrationibus Scripturæ, quando videtur locus vnus alteri contrariari. Fit autem potiſſimum dupliciter. videlicet, tropo ſynecdoche, & legitimis numeris. Synecdoche fit, quando pars pro toto accipitur, quemadmodum dicitur de Chriſto Domino, à Luca cap.9. quòd poſt dies octo ferè tranſfiguratus fuerit. quum tamen dicat Matth.17.cap. quòd poſt ſex dies. quod & verũ eſt cõputatis tantũ

(margin: Synecdoche.)

diebus

diebus intermedijs. At cõputatis diebus illis, in cuius vnius fine, dixit, & in cuius medio cõpleuit ſuam tranſfiguratione͂ Dominus: verè octo dies ſunt. Sic tertia die reſurgens Dn̄s, tribus diebus & tribus noctibus ſtetit in corde terræ: videlicet, annumerata tota illa die in cuius occubuit veſpera, & illa tota etiam in cuius principio reſurrexit. Sic ſimiliter de ſimilibus dicendū eſt. Ita tropo ſynecdoche tolluntur plurimæ difficultates quæ apparenter videntur in Scripturis. *Nunc de legitimis numeris.*

Legitimi numeri dicuntur in Scriptura numeri myſterioſi ſiue myſtici: quales ſunt numeri in ſe ducti: quos etiam cognouere pagani. Nam & apud Macrobiū legimus fatales ab antiquis notatos: vt octonarius per ſeptenarium ductus. Anni enim vitæ. 56. fatales ſunt cuiq;. Aulus Gelius etiam, libro de Noctibus Atticis. 15. capit. 7. notatum refert, numerum nouenarium ductum per ſeptenariū, facientem. 63. quaſi fatalem, erumnarum plenum, ac mortis minacem. Alij etiam notarunt, nouenariū per ſe ductum facientem numerum. 81. Et ſeptenarium per ſenarium, qui conficit. 42. Tales enim numeri ſignificatiui ſunt: ſecreta ratione arguente armoniam compoſitio

Numeri legitimi. *Macrobius.* *Aulus Gelius.*

Numerus ſeptenarius actiuus. poſitionis humani corporis ac vitæ. Nanq; & propter hoc arguimus tantum ſeptem planetas effeciſſe manum omnipotentis conditoris, vt intelligamus omnem effectiuam vim orbium influentiū, numero ſeptenario comprehendi. Senarius quoq; paſſiuam notans diſpoſitionem ac receptionem, vulgatus eſt in Scripturis. Senarius paſsiuus numerus. Sex diebus conditus eſt mundus. Sex diebus operari oportet. Sex annis terra excolenda. Sex annis ſeruit ſeruus Hebræus, &c. Sed & numeri in ſe ducti, vti decem per decem, efficiendo. 100. & duodecim per duodecim, efficiendo. 144. Similiter ſeptuagies ſeptem efficiendo. 490. & ſimilia in Scriptura ſæpiſſime.

Horum rationes ſic in diuinis literis explicantur, vt ex vno loco alterius habeamus intelligentiam. Pſal. 118. habetur. Septies in die laudem dixi tibi. Declaratur hoc Pſal. 33. Semper laus eius in ore meo. Ergo ſeptenarius ille numerus aſſiduitatem iugem notabat, ſecundum quod tempus cœleſti gubernatur virtute, quæ ſeptenario numero comprehenditur. Septem ſunt etiam, & tantum ſeptem, dies in hebdomada diſtincti proprijs nominibus ſuis. Itaq; ſeptenarium temporis, quod hebdoma-

da eſt,

da eſt, intra diem includere, eſt perpetuitatem notare, ſineq; interruptione cōtinuare. Similiter intelligitur locus ille. Septies in die cadit iuſtus. Prouerb. 24. Propter quod & Sancta mater Eccleſia ſeptem excerpſit pœnitentiales Pſalmos ex omnibus. 150. ad excitandos pœnitentes pro male actis veniam poſtulantes, inflammandosq; vt feruētius Dei miſericordiam petant. Nedum enim contextus eorum habet energiam quandam & vim ad affectum mouendū, ſi bene conſiderantur: verum etiā cauſæ motiuæ, quæ occaſiones præbuerunt autori eos componendi. Et inſuper is ipſe numerus ſeptenarius, multū ad propoſitum hoc cōfert: notans luctus perennitatem pro peccatis. Dicitur enim Eccleſiaſtici. 5. De propitiatu peccatorum noli eſſe ſine metu.

Quare ſeptē Pſal. Pœnitētiales Eccleſia deſignarit.

Septuaginta item illi famoſi anni detenſionis Iſrael & Ieruſalem in captiuitatem. de quibus Hieremię. 25. &. 29. & Danie. 9. myſtica ſignificatione pleniſſimi ſunt. Sic de ſenario numero in hydrijs. Ioan. 2. & ſexagenario in terræ fructu. Matth. 13. Sic de reliquis numeris ſimplicibus. De compoſitis etiam & in ſe ductis, itidem eſt in diuerſis locis deprehendere rationes myſticas. Nam vt gratia exempli de

Vnde ſeptuageſima.

Vnde ſexageſima.

vno dicamus, Ioannes in Apocalypſi. cap.7. tractans de ſeruis Domini, ciuibuſq́ cœleſtis Ieruſalem, duos ordines diſtinguit, quoſdam videlicet ſignatos, quoſdam cum palmis: pri mos dicit fuiſſe numero ſuo. 144 millia ex om ni tribu filiorũ Iſraël. Secundos verò dicit ſi ne numero. Ex hoc inquã loco arguitur myſtica ſignificatio numeri duodenarij, in quo ſuos conſtituerat Apoſtolos Dominus ad Iu daiſmũ. Item & binarij numeri, in quo Apoſtolos deſignauit ad Gentiles. videlicet Paulum & Barnabam: qui etiam baptiſmatis ſolemnia initiarunt Antiochiæ, vbi primum diſcipuli nomen acceperunt Chriſtianũ. Actuũ 11. & ibi ceptus fuit vſus initiandi baptizatos chriſmate ſacro. Patẽt hæc inquam: nam duodecim, per ſe ſumpti, ſiue in ſe ducti, faciunt excreſcentiam ad. 144. Ecce quomodo reſpondet numerus credentium, numero prædicatorum. Item binarius, principium eſt multiplicationum omnium: ideo non habet numerũ. Ecce habentur duo modi huius quintæ regulæ de tẽporibus. videlicet per Synecdochen, & per legitimos numeros.

Apoſtoli Iudæorum duodecim. *Apoſtoli Gentiliũ duo.*

Tertio etiã modo ſeruit hæc regula de temporibus, attendendo modũ cõputandi. vnde videli

Tertius modus cõputãdi per tempora.

videlicet incipit computus,& quo finiat: quia quandoq; diuerſi numeri de re eadem non incipiunt ab eodem principio,& ſic controuerſia quæ ſuboritur aduertentibus numerorum diuerſitatem, ſedatur. Dicitur de Abraham Gene. 15. quòd ſemen eius peregrinum futurum eſſet in terra non ſua annis.400.. Hic autem numerus annorũ ab eo tempore incipit, quo natũ fuit illi ſemẽ, filius videlicet Yſhac. Quando autẽ dictum eſt Exo. 12. quòd manſio filiorum Iſraël in terra Aegypti fuit. 430. annorum, incipit cõputus ab eo tempore quo dictum fuit Abrahę. Geñ. 12, Egredere de terra tua.&c. quod fuit annis.30. ante natũ Yſhac, vti liquet ex textu, ſecundũ ætatem quam habebat Abrahã quando egreſſus fuit de Chaldæa,& quando natus fuit ei filius Yſhac. Per hunc modũ etiã poſſunt cõcordari difficultates multæ ex numerorũ diuerſitate ſurgentes in libris Regũ,& Paralipomenon. Ex diuerſa ſcilicet aſſignatione annorũ regni alicuius regis: qui in vno loco dicitur regnaſſe plus, & in alio minus. Nam quando dicitur regnaſſe plus, tũc incipit cõputari annorũ numerus ex eo tempore quo patre ſuo regnante, ipſe fuit acceptus in deſignatũ Regem, ad regnandũ

poſt mortem patris: ac quàm diu viueret pater ad ei conregnandum. Quando verò dicitur regnaſſe minus, tunc computus incipit ex quo ipſe ſolus regnauit, patre defuncto. De ijs Richardus de ſancto Victore, in quodam tractatu de cõcordia iſtorum annorum fuſius proſequitur.

Richardus.

Quartus modus cõputãdi per tempora.

Quarto modo ſeruit regula iſta de temporibus ad intellectum Scripturarum, per conſiderationem phraſis Hebraicæ, cuius eſt peculiare, non curare minutias: vel in apponendo, vel in negligendo, vt propter hoc non dubitet dicere annos.30.qui verè non fuerunt niſi 27.vel econtra annos.34.dicat, qui vere fuerunt anni.30. Quãdo hæ minutię nõ ſunt quæ debeant integrum numerũ violare. Sic numerus eorum qui egreſſi ſunt de Aegypto, & ad bellum numerati, dicitur fuiſſe Sexcentorum millium armatorũ. Nũ.11.quum tamen conſtet ex Nume.2.d. fuiſſe Sexcentorum trium millium quingentorum quinquaginta.

Quintus modus per tẽpora cõputandi.

Quinto modo ſeruit hæc Clauis quandó tempus pro tempore ſumitur, vt præteritum pro futuro, ad cõfirmandam certitudinẽ euentus. vt Pſal.8. In omnem terram exiuit ſonus eorum. pro exibit. Eſaiæ.9.Paruulus natus eſt

nobis

nobis,& filius datus eſt nobis. pro naſcetur & dabitur. Gene.18. Poſtquam ſenui, fuit mihi voluptas. pro erit. Sic in Hebraico habetur. Apud nos autem habetur. Poſtquam conſenui,& Dominus meus vetulus eſt, voluptati operam dabo. In Pſal. quoq;.20. Deſiderium cordis eius tribuiſti ei. pro tribues. Pſal.30. Redemiſti me Domine. pro redimes. Ezech.13. vbi nos habemus. Et imber inundans in furore meo erit. Textus Hebraicus habet, Et imber fuit. pro erit. Abdiæ.1. Paruulum dedi te. pro dabo. Abacuc.3. Egreſſus es in ſalutem populi tui. pro egredieris. Similes quàm plures paſſim inueniuntur loci in Scriptura, vbi præteritum ponitur pro futuro.

Præterită. pro futuro

Sed & aliquando futurum poni pro præterito docet Rabbi Abraham, iuxta relationem Sanctis Pagnini in Iſagogis. vt Exodi.15. vbi nos habemus. Tunc cecinit Moſes. In Hebraico habetur. tunc canet Moſes. futuro tempore pro præterito, ſicut nos habem⁹. Et Deuter.4.g. Tunc diuidet. pro diuiſit. vbi nos habemus. Tunc ſeparauit tres ciuitates.

Futurum pro præterito. R. Abraham.

Quandoq; etiã vtitur præterito perfecto, pro imperfecto. vt Eſaiæ.6. Et commota ſunt ſuperliminaria, pro commouebantur.

Præt. perfectũ pro imperfecto.

T 5 Simili

Similiter habetur de pręterito perfecto prō imperfecto.. Gene.4. Quia virum occidi in vulnus meum. pro occidebam, id eſt, ſi quiſpiam vulnerabat, occidebam eum. vt exponit Rabbi Dauid in Michlol. Rabbi Dauid.

Præt perfectū pro plusq̄ perfecto. Quandoq; præterito perfecto pro plus q̄ perfecto. vt Geñ.2. Plantauit autē Dominus Deus hortū in Eden. pro plantauerat. & infra. Et germinare fecit. pro germinare fecerat.

Præt. pro Infinitiuo. Quandoq; vtitur p̄terito pro infinitiuo. vt Prouerb.19. vbi nos habemus. Doctrina viri per patientiam noſcitur. habetur in Hebræo: Intellectus hominis prolōgauit furorem ſuū, pro eo quod eſt. Intellectus hominis, ſupple eſt, prolongare furorem ſuum.

Similes innumerę reperientur in Scriptura temporis pro tempore aſſumptiones. De quibus Auguſt. lib.4. quæſtionū ſuper numeros, ęnarrans illud Num.9. Per præceptū Domini caſtra collocabūt filij Iſraël: & per pręceptū domini promouebūt, ait. Per verba pręteriti temporis, ſæpe futura prædicta eſſe nouimus: ſicut eſt, Foderūt manus meas, & pedes meos. Pſal.21. & Sicut ouis ad immolandū ductus eſt Eſa.53. & innumerabilia talia: vt autē narrator rerū geſtarū, verbis vtatur temporis futuri, August.

ſicut

ſicut hoc loco,difficilimè in Scripturis inue-
niri poteſt. Hæc Auguſtinus.

Ecce igitur iuxta Auguſt.paſſim obuium eſſe in ſcripturis,ſumi præteritum pro futuro. Sed futurũ ſumi pro præterito,licet quandoq; reperiatur:tamen raro difficilimeq́ reperitur.

Idem etiã Auguſt.enarrans Pſal.103.ait.Prę teritũ tẽpus pro futuro ſolet poni in Scripturis:ita prę uidẽte ſpiritu quę vẽtura ſunt,quaſi iam facta ſint,ſolemus legere. Inde eſt ꝙ illud in alio Pſalmo nouimus omnes,vbi tanquam Euangeliũ recitatur.Foderũt manus & pedes meos.&c. Omnia quaſi iam facta commemorantur,quæ vtique adhuc ventura cernebantur. Animaduertimus ſæpe prophetas præterito tẽpore verborũ dicere quæ ventura ſunt: In figura autem futuri dicere præterita, nõ facile occurrit legenti. Hæc Auguſtinus. Auguſt.

Sciendũ autẽ quòd,vt generaliter eſt conſiderare cõmune in oĩbus narrationibus Scripturæ,vbi vnum ponitur pro alio:vel de vno tranſitur ad aliud.&c. ad quę intelligenda ſeruiunt oẽs regulę iſtæ,ꝙ ibi nõ fit aſſumptio talis,vel trãſitus,ſine myſterio incluſo. Ita ſignificãtiſſimè in iſta regula quinta de tẽporibus, nunq̃ fit in Scriptura talis ſuppoſitio vnius Documentum notabile.

pro

pro alio, ſiue profundo myſterio: vti facile poterit hoc inueſtigāti conſtare, de trinitate dierum ſepulturæ Domini. Item de octonario & ſenario numero dierū intermediorū promiſſionis, & tranſfigurationis Domini. Item de duodenario in ſe multiplicato, faciente numerum. 144. cui ſi addantur. 9. reſultabit numerus 153. iuxta numerum piſcium à Petro captorū, Ioan. 21. Item de numero annorū quibus cœpit regnare Selomon habens iam filium Roboam. Similiter Achaz, in quibus notatur vtriuſq; intemperantia, vt notat Hieronymus in Epiſtola ad Vitalem, quæ incipit, Zenon nauclerus. De minutijs autem clariſſime patet, iuxta peculiares proprietates numerorum, vt eſt illud. Quadraginta annis proximus fui generationi huic. &c. quia notare voluit propheta tempus tributū pœnitentiæ populo illi ad condonandas noxas: quum tamen conſtet Pſalmū loqui de tempore commorationis in deſerto, quo peccatores occubuerunt. modo ab egreſſu ex Aegypto, vſq; ad mortem eorū qui numerati fuerant primo, nō fluxerant. 40. anni præciſſe. De quo vide Numeri. 14. Simile quoq; poteſt percipi in hac temporum permutatione. Quòd non ponitur præteritū pro futuro

Selomō & Achā in tēperantiſsimi.

Hierony.

futuro, in prophetia comminatiua, vti eſt illa. Adhuc.40.dies & Niniue ſubuertetur. Et illa etiam. Diſpone domui tuæ.&c. Item quando futurum ponitur pro præterito, ibi licet aduertere, textum illum eſſe figuralem: vt nedum percipiatur id de quo fundamentaliter loquitur fuiſſe iam factum: ſed ſuboleatur etiam id quod denotatur eſſe quandoq; futurum. Ione. Eſaie.

Aduertendum quoq; circa has numeri acceptiones, quòd Alfonſus Zamorenſis in cap. 5.lib.2.ſuæ Grammaticę Hebraicę, annotat iuxta Hebræos ſolitum eſſe accipi numeros à quinq; & infra, ad ſignificandum diminutionem: à quinq; autem & ſupra vſq; ad decem ad ſignificandum multiplicationem. Exemplum primi.3.Reg.17. En colligo duo ligna, id eſt, pauca. Similiter Eſaiæ.17. In ſummitate rami, quatuor vel quinq;.&c. Exemplum ſecundi. Prouerb.24. Septies in die cadit iuſtus. pro frequenter. Alfonſus Zamor.

Aduerte etiã quòd moris eſt Scripturæ accipere modum Imperatiuum pro Optatiuo, & econtra. De primo ait Origenes ſuper.2.cap. Epiſtolæ ad Romanos.& ſuper Cantica Cant. Hom̃.1. quòd quando Apoſtolus ad Romã.3. ait. Fiat autem Deus verax: omnis autem ho- Imperatiuus pro optatiuo & cõtra. Origen.

mo

mo mendax. & Matth. 6. Fiat voluntas tua. & Sanctificetur nomen tuum. & Pſal. 121. Fiat pax in virtute tua. & Cant. 1. Oſculetur me oſculo oris ſui. &c. ibi capitur Imperatiuus pro Optatiuo.

Auguſt. De ſecundo ait Auguſt. Sermo. 1. fer. 3. poſt dominicam Paſſionis. quòd in Pſal. 68. Fiat menſa eorum in laqueum: capitur pro indicatiuo ille optatiuus. Idem etiam accidit in Pſal. 67. Sicut deficit fumus, deficiant. &c.

Regula ſexta Ticonij. SEXTA regula Ticonij eſt, Recapitulationis, in obſcuritate Scripturarũ ſolerter inuenta. Sic enim quædam dicũtur quaſi ſequantur in ordine temporis, vel continuatione rerũ, à quibus cepit narratio, quum tamen reuocetur earum ad priora quæ prætermiſſa fuerunt narratio. vti Gene. 2. Et plantauit Dominus Deus paradiſum in Eden. &c. ita ibi videtur narrari, quaſi factum ſit hoc poſt conditũ hominem, & in paradiſo ſexta die conſtitutum: quũ reuera plantata fuerit paradiſus, lignaq́; omnia in ea poſita tertia die. Item Gene. 2. Iſtæ ſunt generatiões cœli & terræ in die quo creati ſunt: quum tamen iam narratio præceſſerit de creatione cœli & terrę. Item Gene. 10. dicitur: narrando generationes Noe. Hi filij

Cham,

Cham, in tribubus ſuis,ſecundum linguas ſuas in regionibus ſuis, & in gentibus ſuis. & infra de omnibus ſubſequitur. Hæ tribus filiorum Noe ſecundum generationes eorum, & ſecundum gentes eorum. Ab his diſperſæ ſunt inſulæ gentium ſuper terram poſt diluuium. Et erat omnis terra labium vnum. &c. Gene. 11. Hoc, inquam, quod dicitur. Et erat omnis terra labium vnum. recapitulatio eſt, qua id quod ante diſtributionem gentiū pro diuerſitate linguarum diſperſarū factum erat, narratur. Redit nanque narratio ad aperiendū quomodo ex vna lingua factæ ſunt tot tam differentes & variæ.

Simile quid eſt in Nouo Teſtamento. vt patet Lucæ. 17. Die qua exijt Loth à Sodomis, pluit ignem & ſulphur de cœlo, & perdidit omnes. ſecundum hæc erit dies filij hominis qua reuelabitur. In illa hora, qui erit in tecto, & vaſa eius in domo, non deſcendat tolle re illa. Et qui in agro, ſimiliter nō reuertatur retro. Meminerit vxoris Loth. &c. Hæc enim non deſcendere, & non reuerti, non ſunt intelligenda ad horam qua Dominus fuerit reuelatus: quia tunc non erit iam pœnitentiæ tempus, inſtante retributionis mercede, ſecūdum

vniuſ-

vniuſcuiuſq; acta & merita. Et tamen textus videtur innuere, quòd pro tunc ſit: quum dicat, in illa hora. vel ſecundũ aliam lectionem in illa die. Eſt ergo recapitulatio eius quod præcedens futurum eſt. Scimus enim ante aduentum filij hominis, iſta eſſe facienda: quoniam tempus omne, quod poſt aſcenſionem filij hominis Domini noſtri, pręcedit eius aduentum ad iudicium, inſinuatur nomine horę nouiſſimæ: quũ ſit vltima mundi ætas. Sic ait Ioannes cap. 2. Epiſtolæ. 1. Filioli, nouiſſima hora eſt.

Alias pręceſſurũ eſt

Sed conſiderandum, quòd ſicut hæc regula loquitur de recapitulatione, pari forma debet etiam intelligi de anticipatione, vt videlicet quandoq; narretur aliquid anticipando, antequam narretur illud, quod ipſum præceſſit: vt eſt Gene. 1. Et creauit Deus hominem ad imaginem ſuam. Ad imaginẽ Dei creauit illũ, maſculum & fœminam creauit illos. Et tamen in. 2. cap. infra, loquitur Textus de ædificatione fœminæ ex vna coſta Adæ. Itaq; hæc primi capitis narratio, erit per anticipationẽ, ſicq; in hanc reincidet ſextam regulam.

Regula ſeptima Ticonij.

Septima regula Ticonij, & vltima eſt, de diabolo & eius corpore. eſt enim ipſe etiam caput

impio

impiorum ſuo modo, qui quodam modo cor
pus eius ſunt, ituri cum eo in æternũ ignem:
ſicut bonorũ Eccleſia in perennia cum Chri-
ſto gaudia eſt itura, corpus eius myſticũ effe-
cta, cumq́ eo in ſempiternũ eſt permanſura.
Sicut ergo in prima regula ſupra dictum eſt,
quòd vigilandũ eſt in Scriptura, quũ de vna
eademq́ perſona loquitur, annotando quid ca
piti conueniat, quid corpori. Sic modo aduer
tendum eſt, quid propriè de Lucifero capite
malorum dicatur. & quid propriè de mem-
bris diaboli, hominibus ſcilicet nequam: ſi-
ue manifeſtè foras Eccleſiam ſint, vt pagani;
ſchiſmatici, hæretici, & ſimiles: ſiue occultè
foris ſint, quum nunc bonis permiſceantur
vſq; ad ſeparationem futuram piorum ab im-
pijs, in littore iudicij finalis. Sic habetur Eſa.
14. quum fiat ſermo de rege Babylonis, ſubdi
tur. Quomodo cecidiſti Lucifer, qui mane
oriebaris. &c. Vbi à mẽbro diaboli, rege vide
licet infideli, tranſitur ad diabolũ Luciferũ, ca
put ipſum omniũ hominũ malorũ. Simile ha-
betur Ezech. 28. Locutus eſt̃ de principe Ty-
ri, tranſit ad loquendũ de diabolo, dicens. Tu
ſignaculũ ſimilitudinis, plenus ſapientia. &c.

Hæ ſunt ſeptem Ticonij Regulæ.

Poſſunt autem addi duæ vel tres, quas & Auguſtinus locis diuerſis ponit: & ſunt ſequentes.

Octaua regula additia Auguſt.

OCTAVA regula, addititia quidem: ſed perquam neceſſaria, eſt de filio Dei, ac filio hominis. Hanc Auguſtinus ponit lib. 1. de Trinitate. cap. 11. ac. 12. Nam ſecundum formam Dei, æqualis eſt patri, & ſpiritui ſancto. Secundum formam ſerui hominis, minor eſt patre. Ioan. 14. Pater maior me eſt. Minor eſt etiam ſeipſo Dei filio. ad Philippen. 2. Exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens. Minor eſt etiam ſpiritui ſancto. Matth. 12. Qui dixerit blaſphemiam in filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit in Spiritum ſanctum, non remittetur ei. Item & ad hoc facit quòd in Spiritu ſancto operatus eſt virtutes. Matth. 9. Si ego in ſpiritu Dei eijcio dæmonia. Inſuper & quando recitauit Eſaiæ lectionem. cap. 61. Spiritus Dñi ſuper me, eo quòd ad Euangelizandum miſerit me. &c. Concluſit, dicens in ſe fuiſſe cõpletam prophetiã illam, vt patet.

Ita conſiliantur autoritates multæ quæ videntur contrariæ, quum vna cognoſcitur intelligi ſecũdum formam Dei: & alia ſecundũ

formam

formam ſerui. patet primo. Omnia per ipſum facta ſunt,& ſine ipſo factū eſt nihil. Itē in Symbolo Romano. Genitū nō factū. Contra. Ad Galatas.4. Factus ex muliere, factus ſub lege. Secundo. Ego & pater vnum ſumus.Ioan.10. Contra. Non veni facere voluntatem meam: ſed eius qui miſit me. Ioan.5. Tertio. Sicut pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & filio habere vitā in ſemetipſo. Ioan.5. Contra. Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem. Matth. 26. Quarto. Ipſe eſt verus Deus, & vita æterna. 1.Ioan.5. Contra. Factus eſt obediens vſq; ad mortem, mortem autem crucis. ad Philip. 2. Quinto. Ante omnes colles ego parturiebar. Prouerb.8. Et. Ante Luciferum genui te, Pſalm. 109. Contra. Dominus creauit me, in initio viarum ſuarum. Prouerb.8. Quoniam Ioan.14. Ego ſum veritas (ſecundū q̄ Deus) Ego ſum via (ſecundū q̄ homo) quia eſt primogenitus mortuorū.& ſic fecit iter Eccleſiæ ſuæ ad regnū Dei, ad vitam æternam. Nam & caput eſt, ad immortalitatem corporis ſui. Et eapropter dicitur creatus in principio viarū Dei, ad opera eius, quæ gratificationis & glorificationis ſunt: ad quæ etiam opus eſt ipſius creatiōis. Homo Chriſtus cōſtitutus eſt à Deo

initium meritoriũ ac executoriũ. Sexto. Dominus eſt gloriæ: quos vocauit, iuſtificauit: & glorificauit. ad Rom. 8. Contra. Non eſt meũ dare vobis. Matth. 20. Et hæc ſufficiant, quũ innumeræ poſſent adduci ſimiles autoritates.

Sciendum tamen ꝙ etiam in humana ipſius natura duplex conſideratur voluntas, ſcilicet libera, & naturalis, ſecundũ quas diuerſę autoritates cõſiliantur, quę diſſonare videntur. &c.

Reg. nona additi tia quoq;. Nona regula poteſt vocari Declaratoria, qua videlicet declaratur rei natura, vt eſt generatio Chriſti, quæ à patre procedit, vel ſimile quid. Et hæc ab Auguſt. habetur lib. 2. de Trinitate. cap. 1. & 2. (August.) Sunt nanq; in Scriptura autoritates multę ita ambiguæ, vt neſciamus an de natura in qua Chriſtus æqualis eſt patri intelligantur: an de ea in qua minor eſt. vt Ioan. 5. Sicut pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & filio habere vitam in ſemetipſo. & infra. Neq; poteſt filius à ſe facere quicquam: niſi quod viderit patrẽ faciẽtem. In hac enim autoritate ſi quiſpiam intellexerit quòd de humanitate loquatur Chriſti, ſecundum quam (Notabene) minor eſt patre, conſequenter dicturus eſt ꝙ prior pater ſuper aquas ambulauerit, ac alicuius alterius cæci nati oculos ſputo linierit ac

luto.

luto.quatriduanum etiam quempiam alterum ſuſcitauerit. & ſimilia. quia omnia hæc ſcimus feciſſe Chriſtũ. Quis autem ita delyrus, qui ita ſentiat? Per hanc igitur autoritatem (quũ multæ ſimiles ſint)liquido comprobatur huius nonę regulę rationabilitas,ſimul ac neceſſitas,qua cognoſcamus appoſitam fuiſſe clauſulam illam aduerſatiuã ſimul & exceptiuam, niſi quæ viderit patrem facientem, ad declarationem naturę precedentis,ab eo à quo procedit. Nempe operatio,actus ſecundus eſt, vt Metaphyſicè dicamus,ab actu primo procedens.ex eo enim quòd aliquid eſt, habet virtutem ac operatur. Itaq; quũ pater in diuinis non habeat filium à quo ſit:ſed tantũ habet filiũ cuius pater ſit:filius autem habet patrem cuius filius ſit,& etiam à quo ſit: dicitur enim de filio, quòd ſit Deus de Deo. lumen de lumine. Deus verus de Deo vero. & hoc,quia genitus eſt,non factus. Omnis enim filius habet à patre quòd ſit,& ꝙ filius eius ſit. Nullus autẽ pater habet à filio quòd ſit, licet habeat in eo quòd pater eius ſit. Sic igitur autoritas ſupraposita intelligenda eſt, nõ quòd prius fecerit pater opera, quæ videns filius, ſimiliter alia quædam faciat, vti pictor tabulas ab alijs

pictas tranſpingit, vel certè quamuis eadem faciat, diſſimiliter quidem facit, vti & manus eaſdem exprimit literas quas animus cogitauit, tamen diſſimiliter. Sed dicit Textus. Hæc eadem ſimiliter facit, vt notetur quòd eadem eſt & ſimilis operatio, patris & filij, inſeparabilis quoque ac par. Sed in hoc eſt aduertenda diſtinctio: quòd filio operatio illa à patre eſt, & à patre ſibi venit. Ideo igitur filius non poteſt à ſe facere quicquam: ſed quod viderit patrem facientem. Admirabilis autem Dei diſpenſatio in hoc ipſo verborum inuolucro dignoſcitur, quòd videndi ratione modum inſinuarit procedendi filij à patre, per videlicet modum notitiæ. Eſt ſiquidem Sapientia Dei genita filius, per intellectum procedens à patre. Siquidem pater intelligens ſe generat filium.

Simile quid habetur Ioan. 7. Mea doctrina non eſt mea: ſed eius qui miſit me. Hæc quippe autoritas, licet poſſit intelligi per octauam regulam ſuperius poſitam, quòd loquitur ſecundum formã ſerui, vt intelligatur ſic. Non eſt humanitus mihi conquiſita hæc doctrina: ſed diuina eſt. &c. Tamen aptius intelligitur per hanc nonam regulam, vt ſecundum formam

nam Dei intelligatur, ſic doctrinam Ieſu non eſſe eius, vt non ſit à patre. Nam ſic doctrina illa diuina eius ſecundæ perſonæ in triade ſacra eſt, quòd à patre habeat: qui prima perſona eſt. Sicut enim dicitur quòd pater dedit filio ſuo vitam, id eſt, genuit filium, qui vera vita eſt: ſic etiam dedit filio doctrinam, id eſt, genuit filium, qui vera diuina doctrina eſt. Itaq; mea doctrina non eſt mea: Sed eius qui miſit me. Idem eſt ac ſi diceretur. Ego non ſum à meipſo doctus: ſed ab eo patre qui me miſit.

In ſumma igitur. Quædam de Chriſto ponuntur in ſcripturis, loquentibus de patre & filio, vt notetur æqualitas filij cum patre. vti Ioan. 10. Ego & pater vnum ſumus. Et Philippen. 2. Quum in forma Dei eſſet, non rapinā arbitratus eſt, ſe æqualem Deo. Quædā vero notant quòd filius ſecundū formā ſerui minor eſt patre, id eſt, quòd aſſumpta humanitas, minor ſit. Ioan. 14. Quoniam pater maior me eſt. Item Ioan. 5. Pater non iudicat quenquam: ſed omne iudicium dedit filio. & ſequitur poſt. Et poteſtatem dedit ei iudicium facere. Quia filius hominis eſt: nolite mirari hoc. &c.

Quædam autem ita ponuntur in Scriptura, vt notetur proceſſio vnius ab altero, vti ſuprapoſitis autoritatibus commonſtratum eſt. Et hæc de iſta regula nona.

Sequitur decima & vltima regula.

Regula decima & additiria etiam.

Decima regula eſt punctuationis, & germanæ lectionis. Hæc ſumitur fermè ab omnibus Catholicis tractatoribus ſuper ſacros libros, ſignanter ſuper Ioannem. & notatur ab Auguſtino. 3. de Doctrina Chriſtiana. Sicut enim refert multū vbi ponatur narrationis interciſio per punctum, vel cōmam, vel virgulam: aut etiam notam phraſis, in ſignū interrogantis, aut alterius affectus dicentis. Sic permaximè refert, ꝙ ſuis proprijs literis ſcribatur ſcriptura, & non ponatur litera pro litera, vt c pro ſ: neq; ſcribatur dictio aſpirata ſine aſpiratione: vel econtra: aut ſimilia alia. Duo igitur comprehendit hæc regula. videlicet. Debitā punctuationem. & Germanam lectionem. Primū agetur de primo: poſt de ſecundo.

Auguſt.

De pūctuatione debita in ſcriptura.

De primo igitur, debita videlicet punctuatione, ſiue nota debita loco ſuo. Conſtat quantorum malorū occaſio fuerit malè ſciolis, punctuatio nō debita. Ioan. 1. quando legerūt. In principio erat verbum, & verbum erat apud

Deum,

Deum,& Deus erat. Verbũ hoc, erat in prin-
cipio apud Deũ. &c. pro eo quod legi debet.
Deus erat verbũ. Hoc erat in principio apud Arrij error
Deum.&c. Nempe hic Arrius propoſitũ ſun vnde cœpit
dabat hæreſis ſuæ, vt noluerit confiteri, Ver-
bum eſſe Deũ. De quo Auguſt.3.de doctrina Auguſt.
Chriſtiana.cap.2. Simile habetur Ioan.5. Si-
cut pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit fi
lio habere vitam in ſemetipſo. Et poteſtatem
dedit ei iudicium facere: quia filius hominis
eſt. Nolite mirari hoc.&c. Hic inquam lectu
ræ contextus non placet Ctheophilacto, neq;
Chryſoſtomo, neq; alijs multis: ſed debet ſic
habere. Sic dedit filio habere vitam in ſemet-
ipſo. & poteſtatem dedit ei iudicium facere. Et
ibi clauſula finiatur, mox incipiat alia. Quia
filius hominis eſt, nolite mirari hoc.&c. Et iſto
modo exponit etiam Auguſtinus. Auguſt.

Simile etiam legitur Ioan.8. Ego principiũ:
qui & loquor vobis, multa habeo de vobis lo
qui & iudicare.&c. Ita vt hic, principiũ, ſit ad-
iectiuum ſubſtantiuè captũ.& ſic ponatur poſt
eum cõma:& poſt li vobis ſequatur punctus.
& ſit iſta clauſulatio. Ego (ſupple ſum) princi-
pium: qui & loquor vobis. Sequiturq;. Multa
habeo de vobis loqui & iudicare, &c. At Ctheo

philactus,& Græci alij non ita legunt: ſed capiunt li principium aduerbialiter, vt valeat, pro in primis. Sicq̃ ordinant Textum. Ego principium (id eſt, in primis) qui & loquor vobis, multa habeo de vobis loqui & iudicare, &c. Ita vt totius contexturę ſit principale verbum, habeo, & ad ipſum totus clauſulæ reſpiciat ordo. Et appoſitio verborum illorum, qui & loquor vobis, habeat emphaſim ſuam, notans perſonæ qualificationem, quam ipſi ſpectantes, non reputabant. Et ſic tota eſt vnica clauſula, & non ſunt duæ. Veruntamen legi multos doctores primam contexturæ clauſulationem agnoſcentes ac legentes. Quin & ex ea ipſa argumentantes Chriſtum Dominum verum eſſe Deum. Et inde etiam diriuant acceptiones multas huius vocis, principium, videlicet. Principium, non de principio, quale pater in diuinis prima perſona eſt. & Principium de principio, quale filius in diuinis ſecunda perſona Chriſtus noſter eſt.

Simile Ioan. 7. habetur. Qui credit in me: ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent. pro eo quòd legi debet. Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura: flumina de ventre eius fluent. Ita quòd comparatio illa, aut de-

termina

terminatio:ſicut dicit ſcriptura, nõ ad ſequentia, ſed ad antecedentia cõbinetur. Nec oportet quęrere in Biblia vbi reperiatur fluenta ſcaturitura de ventre credentium: ſed oportet inueſtigare, quomodo in Meſſiam credendũ ſit per ſcripturas, id palam oſtendentes in Ceremonijs ac obſeruantijs vniuerſis, quę apud populum illum erant.

In Lucæ Euangelio reperitur etiam ſimile, vt alibi: maximè tamen capit. 23. Amen dico tibi hodie: mecum eris in paradiſo. pro eo quod debet legi. Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo. Ita quòd hodie cum ſequentibus conſtruatur verbis, Mecum eris in paradiſo, & non cum antecedentibus. Amen dico tibi, ſicut legere poſſent hęretici vel indiſciplinati.

In Marco etiam cap. 1. quod & Lucæ. 5. continetur. Volo mundare, pro eo quod legi debet duobus verbis puncto interciſis, ſic. Volo. Mundare. Ita quòd mundare ſit imperatiui, & non infinitiui modi.

Matthæi. 7. habetur. Qui ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, & ſic docuerit homines, minimus vocabitur in regno cœlorum, &c. vbi pũctus poſitus poſt ſic, vel demptus, facit

facit diſtinctiſſimam lectionem. Nam ſi dixerit Textus. Qui ſoluerit vnum de mandatis. & ſic, docuerit. &c. Senſus eſt. Negligẽs, aut præteriens mandatũ, & non purgans hunc neuũ, homines docens, minimus vocabitur. &c. Si autem ſic habeat. Qui ſoluerit vnũ de mandatis. & ſic docuerit. &c. ſenſus erit. Qui necũ negligens fuerit de mandato horũ minimorũ. & doctor fuerit ſimilis neglectus, minimus vocabitur. &c. qui ſenſus diuerſiſſimi ſunt.

Similiter cap. 16. Abi poſt me Sathana: ſcandalum mihi es. &c. pro eo quod legi debet. Abi poſt me, Sathana ſcandalum mihi es. Ita quòd Sathana non referatur ad Petrũ, nec ad verbum illud Abi, pertineat: ſed ad verbũ es, referatur, & vocatiuus ſit diaboli, ad eumq́ pertineat. Sic Hilarius legit. Sic ſecutus eum Eckius lib. 1. de Primatu Petri. cap. 14.

Hilarius.

Eckius.

In epiſtolis Pauli lectiones variæ.

In Epiſtolis quoq; Pauli ſæpe ſimile reperitur: præſertim, vt vnũ afferamus locum. 1. Corinth. 7. Qui autem cum vxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori. & diuiſus eſt. Et mulier innupta, & virgo cogitat quæ Dñi ſunt. &c. Sic habetur contextura vna: ſed debet habere ſic. quomodo placeat vxori. ibi punctus. & ſequitur. Diuiſa eſt mu-

lier & virgo. Deinde ſequitur. Innupta curat ea quæ Domini ſunt.&c. Itaq; li diuiſa,eſt adie ctiuum fœmininum, & non maſculinum.Ad mulierem reſpicit,nõ ad virum ſolicitum quo modo placeat vxori. Sicq; habet vera conte xtura. Iſto etiam modo ſecundo legit Hiero nymus ſæpiſſime:licet quandoq; primo modo legat: ſignanter lib.1.contra Iouinianum.

Hierony.

Sic eſt inſuper in Epiſtola Iudæ.1. Commo nere autem vos volo, ſcientes ſemel omnia. quòd Ieſus populũ de terra Aegypti ſaluans: ſecundo eos qui non crediderũt perdidit.&c. Pro eo quod debet legi. Ieſus populũ de terra Aegypti ſaluans ſecundo:eos qui nõ credide runt perdidit.&c. Sic quòd li ſecundo ad ſalu tem pertineat, non ad perditionem:vt innuat per circunciſionem primo factam ſub Moſe. Exo.4.per manũ Sephore ſalutem proueniſſe hominibus. Et ſecũdo per celebratam circũ ciſionem in Gilaad, ſub Ioſue per manus Sa cerdotum cultris lapideis,etiam proueniſſe ſa lutem illi populo. Non eſt autem intentio te xtus, quòd ſicut ſub Moſe primo perierũt ini qui, mari rubro ſubmerſi: ita ſecundo ſub Io ſue perierint peccatores Paleſtini, plurib' in terciſi prælijs. Primum intellectũ affert Hie ronymus

Duplex circũciſio celebris.

ronymus contra Iouinianū lib.2. Sufficiat hęc adnotaſſe de teſtamēto Nouo, quum in Veteri plures ſint loci, quàm hic adduci poſſint. In promptu eſt autē aduertere miram diuerſitatē in punctuando pſalmorū verſus & clauſulas in breuiarijs diuerſarum religionum, pręcipuè in Pſalmo. 118. Quod mihi ſane mirabilem ingerit ſcrupulū vnde hoc prouenerit, quum certum ſit hoc audaculorum temeritate cōtigiſſe pro libito punctuantium, nō conſultis doctoribus id tractantibus, ac Hebraica phraſi. In promptu eſt de Pſalmo. 50. adducere lectionem ancipitem ſecundum punctuationem in verſu illo. Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem vtiq; : holocauſtis non delectaberis: pro eo quod debet legi ſic. Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium dediſſem: vtiq; holocauſtis non delectaberis.

Variæ lectiones in pſalmis.

Sufficiant hæc de punctuatione.

CONSIDERANDVM eſt nunc de nota debita, loco ſuo poſita. videlicet, quando aliqua ratio dicitur interrogāter, ꝙ non legatur ſine interrogationis nota. vti ad Ro.8. Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus qui iuſtificat? Quis eſt qui condēnet? Christus Ieſus qui mortuus eſt? Hę inquā duę clauſulę Deus qui

De nota loco ſuo poſita in lectione ſacra.

qui iuſtificat, Chriſtus Ieſus qui mortuus eſt, niſi cū nota interrogandi legantur, videntur reſponſiones eſſe præcedentibus interrogationibus,& variant quam maxime textus ſententiam. Ita Auguſt. 3. de doctrina Chriſtiana. Et Sanctes Pagninus, multa de ijs cap. 39. Iſagogarum ad Sacras literas. Auguſt. Sanctes Pagni.

Sicut dictum eſt de interrogationis nota, poteſt de accentus nota dici, quæ mirū quàm variat. Quando e̅m non debita pronūciatione legitur textus, ſenſus alio torquetur quàm debeat. patet hoc ad Galatas. 5. Quæ prædico ſicut prædixi. &c. Niſi e̅m accētus illius verbi prędico, ſit in penultima, nō eſt ad intellectum textus. Namq; ibi prædico præſens eſt prædicendi, non prædicandi, vti per ſequens præteritum prædixi patet. Similia multa ſunt.

NVNC de ſecundo puncto huius decimæ regulę agendū, videlicet de germana lectiōe, qua non ponatur litera pro litera, ſed ſuis proprijs literis ſcribatur, ſuaq; propria ſcriptura, oratione ac dictiōe, vnde Hieronymus ſuper Ezech. ca. 40. ait. Diligentē autē & ſtudioſum lectorē admonendū puto: ſi tamē ſciētia ſcripturarū, & nō oratorū declamationib⁹ ducitur, vt ſciat oīa prope verba Hebraica & noīa quæ in De lectione propria textus. Hierony.

Græca

Græca & Latina translatiōe ſunt poſita, nimia vetuſtate corrupta, ſcriptorumq́; vitio deprauata. Et dum de inemendatis ſcribuntur inemēdatiora, de verbis Hebraicis, facta eſſe Sarmatica: imò nullius gētis, dum & Hebræa eſſe deſierint, & aliena eſſe non ceperint. Hæc Hieronymus. Vnde propter viciniam aliquorum nominum factum eſt, vt ab imperitis tranſcriptoribus vnum pro alio poneretur. Ita, quod etiam nunc in Typographis accidit: ex quo tam varia videntur exemplaria. Cuiuſmodi ſunt. Deligo, diligo. Ceruus & ſeruus. Solis & ſalis. voluntas, voluptas. fortem, fontem. exultationes, exaltationes. ſæculum, ſacculum. & ſimilia. In aliquibus codicibus legitur Gene. 30. de Lia. Diliget me, pro deliget me. vti notat Eraſmus in Scholio ſuper Hieronymi traditiones Hebraicas in Geneſim. cap. 30. Habetur Tomo. 3. Item Gene. 49. Nephtalim ſeruus emiſſus dans eloquia pulchritudinis. ſeruus ibi per ſ pro famulo, quū tamen per c literam Ceruus debeat ſcribi. pro animali quadrupede. Scioli tamen, quū videretur concinnior ſcripturæ cōtextus per ſ literam pro ſeruo famulo, ex ſubſequēti appoſitiōe, emiſſus, & ſequentibus, dans eloquia pulchritudinis:

Litera quādoq; ponitur pro litera.

quæ

quæ omnia famulo miſſo cõpetere dinoſcuntur, legerũt ſic per ſ, quum tamẽ germanior & verior ſenſus ſit per c, pro quadrupede, vti dictum eſt: quia ſic in Hebraica veritate habetur. Contra quoq; Iiob. 7. a. Sicut ceruus deſiderat vmbram. &c. quũ debeat legi Seruus pro famulo. vti Eugubinus in lib. Vtrum vulgata editio ſit Hieronymi. Itẽ Deut. 29. d. Sulphure & Solis ardore. pro Salis ardore. vt idẽ Eugubinus ibidem affert. Item Pſal. 41. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. pro fortem, per r quũ Græcè ἰσχυρός legatur, quod valet fortis. De quo Hieronymus ſuper eo loco. Sic enim verè explicatur ſenſus à Pſalmiſta intentus: licet videatur ſciolis arridere lectio fontem, magis quàm fortem, propter verbum illud. Sitiuit. & appoſitum illud, viuum. Item Pſal. 26. Videam voluntatẽ Domini. pro voluptatẽ. ſignificat enim delitias. Item Pſal. 149. Exultationes Dei in gutture eorum. pro exaltationes. De quo Sanctes Pagninus in Epiſtola ad Clementem PP. ſuper ſua translatione. Item Prouerb. 7. Secculum pecuniæ. pro Sacculum pecuniæ.

Auguſt. Eugubi.

San. Pag.

Notauimus vnum aut alterum locum, ne ieiunè dixiſſemus literã ſumi pro litera quando-

Difficilis lectio lib. Parali. & Hezræ.

doq;. Cæterũ in libris Paralipomenon ac Hezræ, inexplicabilis ſylua reperitur huiuſmodi corruptelæ ac inuerſionis. In Biblijs, ſignanter impreſſis ab imperitis Typographis: quod vnicuiq; compertum erit, ſi ad inuicem conferat diuerſos codices in his locis.

Aduerte circa lectiões has quæ à quibuſdã expungũtur.

In Nouo quoq; teſtamento eſt etiam ſimile reperire quippiã: nam Ioã. 21, habetur. Sic eum volo manere. Vbi in exemplaribus emẽdatioribus legitur. Si eum volo manere. Itẽ Ioã. 5. piſcinam, quæ Hebraicè vocatur Bethſaida, quinq; porticus habens. &c. pro eo ꝙ legitur purioribus codicibus, Betheſda. Item Ioan. 1. Hæc in Bethania facta ſunt. pro Bethabara. Lucę item. 15. Euertit totam domũ. pro euerrit. Item Lucæ. 5. Vade oſtende te Sacerdoti. pro oſtẽdere. Itẽ Marci. 11. Dixerit huic mõti, tolle te, & mitte te in mare. pro tollere & mittere, per paſſiuũ. Item Iacobi. 1. Patientia opus perfectum habet. pro habeat. Item, 1. Ioan. 5. Omnis iniquitas peccatum eſt, & eſt peccatum ad mortem. Vbi Græci habent. & eſt peccatũ non ad mortem. Item ad Gala. 2. b. Quibus neq; ad horam ceſſimus. Vbi Hieron. ait antiquitus legi in Latinis codicibus. Quibus ad horã ceſſimus, affirmatiuè. In quo ſenſu affir-

matiuo

matiuo Ambroſius quoq; legit. Itē ad Gala. 5.b. Perſuaſio hęc nō eſt ex Deo, qui vocauit vos. Hiero. tamē in cōmentarijs ſuis, ait legi ſeculo ſuo in Latinis codicibus affirmatiuè. Perſuaſio veſtra ex Deo eſt, qui vocauit vos. Ecce vt ſunt contrarij ſermones iſti: ſed non ſunt contrarij ſenſus. Nam ſecundum intellectum quendam ad horam ceſſit. & ſecundum alium quendam nō ceſſit Paulus. Secundū intellectū vnū perſuaſio eſt ex deo, & ſecūdū aliū nō eſt ex Deo. Itaq; quamuis affirmatio & negatio de eodē cōtrariari videantur. qatamē nō ſunt ſecundū idem, ſed ſecundū diuerſa nō cōtrariantur ſed ad inuicem cōpatiuntur ſeſe.

DIVERSE verò Catarinus Polytus in clauibus ſuis, cū alijs ſuprapoſitarū autoritatū etiā annectit locū Gen. 8. de coruo. vbi apud nos habetur, egrediebatur & nō reuertebatur: quū apud Hebræos legatur affirmatiuè. Egrediebatur & reuertebatur. Nec habet hæc nephas eſſe corrigere. ait eī cap. de cōmunibus regulis ad intellectū obſcuriorū ſcripturarū, eius libri. Nec debemus vel cōſuetudine vel quauis de cauſa defendere errores. Nihil enī abſurdi, nihil periculi accidit Chriſtianę fidei, ſi in huiuſmodi deprehēdatur antiquus interps Polytus.

 (quiſ-

(quiſquis is fuerit) aut erraſſe, aut ab inemendatis codicibus falſus fuiſſe. Non enim id fide recipimus: vt credendum ſit cuilibet interpretationi per omnia, quamuis maxime recepta ſit ab Eccleſia, etiam cum laude. Hæc ille. Sed vt ſe res habet in hoc, infra annotatione 10. tractabitur.

Adrianus — Adrianus etiam Finus lib.6. Flagelli cõtra Iudęos. cap.66. tractãs qua hora Chriſtus mortuus ſit. pro diuerſitate quę videtur inter Ioã. 19. & Mar. 15. Habetur enim apud Ioan. quòd erat hora quaſi ſexta. apud Marcũ verò. Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum. adducit Hieronymũ ſuper Pſal. 77. dicẽtem, Marcum ab alijs Euangeliſtis non eſſe diſcordem: quia error fuit ſcriptorum: quoniam in Marco, hora ſexta ſcriptum fuit: ſed multi epſilon Græcum putauerunt eſſe gamma: ſicut & ibi error fuit librariorum, vt pro Aſaph, Eſaiam ſcriberent. Scimus enim quia Eccleſia prima de imperitis congregata fuit gentibus: ergo quum legerent in Euangelio: vt impleretur quod ſcriptum eſt in Aſaph propheta: ille qui primus ſcribebat Euangelium, cæpit dicere: Quis eſt iſte Aſaph propheta? Non erat notus in populo: & hoc fecit, vt dum errorem emen

(Margin: Hierony. — Quandoq; volẽtes errorẽ emendare, errorem faciũt)

emen

emendaret, faceret errorem. Aliud etiam eſt ſimile in Euangelio ſecundum Matth. 27. quando Iudas retulit. 30. argenteos, & Sacerdotes noluerũt accipere, ne mitterẽt in Corbonam: quoniam erat precium ſanguinis. & emerunt inde agrum figuli, in ſepulturam peregrinorum: vt cõpleretur, inquit, quod ſcriptum eſt in Hieremia propheta: quod in Hieremia nõ inuenitur, ſed in Zacharia. Hæc omnia ipſe B. Hierony. Ex quibus verbis teſtatur Marcum ſcripſiſſe Euangelium ſuum Græcè, poſtquam ſcriptores putauerũt Epſilon eſſe Gamma. Licet enim Marcus dum eſſet Romæ cum beato Petro Euangelium ſuum ſcripſerit Latinè, provt narrabat beatus Petrus: tamen poſtea mortuo beato Petro idem Euangeliũ ſcripſit iterũ Græcè, in Aquileia. Hæc omnia Adrianus loco citato.

Marcus Græcè ſcripſit Euãg.

Scripſit etiam Latinè.

Aduerte autem quòd etiam ſuprapoſitę lectiones tollerantur ab Eccleſia, poſtquam non corrumpunt textus literalem ſenſum. vti & in Pſalm. 5. Dirige in conſpectu tuo viam meam. pro eo quod deberet dicere. Dirige in conſpectu meo viam tuam, vt Hierony. notat ad Suniam & Fretellam. & ſic de multis alijs. Nam ſicut idem Hieronymus limans Euangeliorũ

Tollerantur diuerſæ lectiones in ſcriptura.

Hierony.

X 3 tradu-

traductionem,quę ante eum in Eccleſia legē-
batur,reliquit intactum verbum illud Mani-
cabat. Lucæ. 21.g. Et cunctus populus mani-
cabat ad Dominū. propterea quòd noluit in-
nouare alia limatiori vocula, lectionem rece-
ptam,inoletamq́;, poſtquam non mutabat ſen-
ſum. Ita quoq; vſus Eccleſiæ ſe habet in ſimili
bus. Oportet autem in pſalmis qui de anti-
qua trãslatione ſunt aduertere dictionem pro
dictione poſitã. vt,autem pro &,ſicut Pſal. 49.
Holocauſta autem tua. pro. & holocauſta tua.
quia non tranſit negatio præcedens in verſu.
Non accipiam de domo. &c. in hanc ſecun-
dam clauſulam: de quo Adrianus. lib. 5. capi. 4.

Nunc legitur Manc ibat ad eū.

Dictio pro dictiōe in ſcriptura poſita.

Scis autem, quòd vbi dubium occurrit in
noſtra lectione Latina, in nouo Teſtamento,
recurrendum eſt ad Græcos, in veteri autem
ad Hebræos: de quo Hieronymus in prologo
ſuper Geneſim. Deſiderij mei. &c. Itē Augu-
ſtinus, vt alibi ſæpe, præcipuè tamen, in. 2. lib.
retractationū. vbi de libro quē ſcripſit de mori
bus Eccleſię. Si tñ codices puri haberi poſſint,
de quibus nō ſit ſuſpitio falſatos ab hæreticis
fuiſſe, aut à perfidis Iudęis. Nam & Hęreticos
falſaſſe Noui teſtamenti codices, illud probat,
quòd. 1. Ioã. 4. verba illa Omnis ſpūs qui ſoluit
Ieſum

Hierony. Auguſt.

Ieſum, ex Deo non eſt. mutata cauſatur Eraſmus in Annotationibus ſuper eam Epiſtolã & allegat hyſtoriã Tripartitã, iam olim dicentem locũ hunc falſatũ ab hęreticis. Itẽ. 1. Ioã. 5. Tres ſunt qui teſtimoniũ dant in cœlo, pater verbũ & ſpiritus. totam hãc clauſulam Græci hæretici abſtulerunt. De quo Eraſmus idem multa, Hieronymum referens. multaꝗ Politus in clauibus. Eraſmus. Eraſmus. Hierony. Politus.

Ambroſius etiã in cõmentarijs ſuper Epiſt. ad Ro. ca. 5. ſentit exẽplaria Latina correctiora eſſe exẽplaribus Grecis. ait enĩ. Græci diuerſos habẽt codices, qui ob ſtudiũ cõtentionis à ſe inuicẽ diſcrepãt. Latini autẽ quidam de veteribus Græcis translati ſunt quos ſimplicitas tẽporũ incorruptos ſeruauit. hæc ille. Quod autẽ Hebręos codices falſarint Iudęi, inde vel maximè patet, ꝙ Hiere. 23. a. Et vocabũt eum, Dominus iuſtus noſter. Iudæi peruerterũt in vocabit eum. vt nomen quadriliterum transferatur à vocato in vocantem. De quo Adrianus. lib. 3. cap. 6. Item Daniel. 9. Et non erit eius populus qui eum negaturus eſt. Iudæi hoc nõ legunt: ſed legunt ve enlo. Hoc eſt, & non ei. vt mutent inſigniter ſententiam textus, quo vrgentur. De quo Adrianus. lib. 5. capite. 5. Adrianus. Adrianus.

Item Danie.9. itidē, Et occidetur Chriſtus.

Adrianus. Iudęi legunt & ſcindetur Chriſtus. vt intelligant ſegregatum à populo. cōtra quod Adrianus eodem loco ſupra citato. Pſalmo item. 21. Foderunt manus meas. &c. Iudæi dixerunt, Quaſi leo manus meas & pedes meos. De quo Adrianus. lib.6. cap.64. Et de his ſatis hic, forte aliàs proſequendis fuſius.

Hebraica nomina quædā, cō gruè diuerſis literis ſcribi poſſunt.

Notandum autē quòd quædam ſunt, quæ congruè diuerſis literis ſcribi poſſunt: uti ſunt nomina propria Hebraica, ut Salomon, *&* Selomō. Ysbac, *&* Iſacb. Abraam *&* Abraham. *&* ſimilia. *Pro cuius intellectu explicatiori aduertendum, quòd ſicut in ſcriptura Gallicana & Germanorum multæ literæ congeruntur ad ſolum pronunciationis ſtridorem: ita quòd literarum earum ſonus omnis non profertur: ſed in pronunciando fit propter literas illas ſolus ſtridor quidam: taliter quòd ſi literæ illæ nō apponerentur in ſcriptura, non ſic pronunciaretur uox reſpondens illi ſcripturæ: ſicq; licet nō ſeruiant ad uoces plenas literæ illæ: tamen ſeruiunt ad pronunciationis modum, & non ſunt fruſtra. Ita in literis Hebraicis eſt, quòd multæ ſunt literæ ocioſæ ſed nullæ uacantes. Ocioſæ quidem ſunt: quia nō faciūt ad ſubſtantiam dictionis, ſed non uacant ab effectu aliquo, uel in ornando ſcripturam, ne colliſio quædam fiat literæ cum litera quodammodo, uel in denotando caſum uice articulorum, uel aliàs. De quibus* Alfonſus Zamorenſis *in primo libro artis grammaticæ Hebraicæ agit. &* Reuclin *quoq;.*

Alfonſus Zamor. Reuclin.

Item

Item ſunt quædam literæ Hebraicæ ſimiles in pronunciatione ſubſtantiali: quæ tamen differentiſſimæ ſunt in modo pronunciandi, uel gutture, uel palato, uel lingua, uel dentibus, uel labijs: ſecundum quæ diuerſiſſimè ſignificant: ut in hoc nomine hearim, cuius ſi. a. litera ſit gutturalis, ſignificat montes: ſi autem ſit minus gutturalis ſignificat ciuitates. Poteſt *ſimile quiddam hic noſtræ uernaculæ linguæ adferri* Valentinæ *quidem ſic.* Deu Deu deu *corones. quod Latinè dicimus,* Deus *debet decem coronas. Vbi tres illæ dictiones ſecundum uariam pronunciationem linguæ differenter ſignificāt.* Item *&* lingua *Caſtellana Hyſpanienſi.* Dios *di os alabança. quod Latinè dicimus.* Dedi tibi Deus *laudem.* Item *ſunt quidam puncti inuenti ad notandū, literā infra quam ponūtur ſi colligitur cum præcedenti uocali, uel ſi per ſe ſonat.* Et *ſic quando poſt uocalem ſequūtur duæ conſonæ, quandoq; primæ ſupponitur punctus ille qui dicitur* Seba, *ad colligendū eam cum præcedente uocali.* Nunc *ad propoſitum.* Quando *nomē ex una natione transfertur ad aliam: iuxta propriā uniuſcuiuſq; linguæ phraſim tranſiens, aliter ſcribitur & aliter pronunciatur. patet de eodem nomine* Salomō, *quod ab* Agarenis *&* Mauris *in* Hyſpania *degentibus pronunciatur* Çuleymen. Turcis *autē* Silim. Item Abraham, Abraim, *uel* Braim. Ioannes, Yeye. *& ſimilia.* Nec *mirū ſi translata nomina aliquid amittant natiuæ pronunciationis: quum &* Ioſephus *lib.7.belli* Iudaici.*cap.* 18. *non ueritus ſit* Dauid *nomen in* Leobij *cōmutare.* Quod *ſi ſeruari nitatur natiuus pronunciationis tenor, deficienti-*

Lodoui cus Luitthovuichus.

Ioſephus.

 bus lite

bus literis ad ſufficiendũ id quod in natiuis fiebat per ſtri dorem, uel modum pronunciationis gutturalem, faucialem, uel linguæ, dentium, aut labiorũ, oportet ut aliæ literæ pro alijs ſubſtituantur. Exemplum eſt in literis Gallicanis, in quibus ſæpe uocales duæ conglutinantur, ut in pronuncian do formetur ſonus, quaſi diphthongi, incipiendo ab una, & ea ſuppreſſa, finiendo in alia. ut quãdo dicitur. On les uend au palais es boutigues de Iehan tresbault & treſpuiſſant libraire. Ibi ſcribitur palais cum a & i adiunctis, quum tamen ſonet a in dicendo, palas. Similiter boutigues, ſcribi tur per o & u: in pronunciando uerò ſonat o, dicendo, bo tigues. Similiter tresbault & treſpuiſſant, ſcribuntur, pri mum per a & u. & ſonat ſolum a. ſecundũ per u & i. & ſonat ſolum u: ſic tresalt & trepuſſant. Et ſimili modo eſt in alijs ſcripturis, ita quòd peculiari proprióque exercitio egeat, qui literas Gallicanas uult legere, rectéq; pronũcia re. Quia oportet multas literas ſupprimere, & ex diuer ſis literis quendam ſonũ confuſum formare. In literis etiã Germanicis idem eſt: ubi quandoq; aggerantur quinq; lite ræ conſonantes uni uocali, quum tamẽ nequeant omnes ſuũ officium peragere, ſed oporteat quaſdam eſſe ocioſas, ad ſo lum ſtridorem ſeruiẽtes, ut quando ſcribitur Schneuueyſer, pronunciatur, neuiſer, cum quodam ſtridore tamen.

Apud Hyſpanos quoque deeſt character ſignificans ny: nam ſcribunt Señor, per n literam cum apice: quæ tamen non habẽt uere talem poteſtatẽ. Voluit quãdoq; Nebriſſen ſis figuram inuẽtare talis poteſtatis, & nõ fuit exauditus.

Sic He

Sic Hebraice ſcribitur Salomon literis quatuor, uidelicet litera Sin, ualente noſtrā literam ſ, ſed ſuppoſita quadam nota e uocalis, quæ dicitur ſeba apud eos, ſonat ſe: poſtea ſcribitur lamed litera, ualens noſtram l: ſed ſuprapoſita nota cholem, quæ eſt punctus ſupra literam, faciens uicem o uocalis, ſonat lo. Scribitur poſtea mem litera, reſpondens noſtræ literæ m: & ſimiliter apponitur ſupra eam literam nota cholem ſupplens uicem o. ſicq; ſonat mo. Sequitur poſt het litera, quæ noſtro h reſpondet in notam aſpirationis, & à præcedente colligitur ut ſonet Selomoh.

Sed quoniā apud nos illa nota Seba, quam diximus ſuppoſitam primæ literæ Sin, quæ figuratur duobus punctis: tranſit quandoq; ad aſpirationem, quandoq; ad uocalem a. quandoq; ad uocalem e. Inde eſt quòd nos pronūciamus Salomon, & aſpirationem illam ultimam conuertimus in n finalem. Et ubi pronunciant illi Selomoh, proferimus nos Salomon. Item ſcribunt Hebræi Aleluya, per Het literam ſuppoſita uirgula pathach: & ualet a. Deinde ſequuntur duo Lamed: quorum primo ſupponitur ſeba. Deinde ponitur Vau. & poſt Iod, cū ſuppoſito chames. Et finaliter He litera: ut totū ſcribatur ſic Alluia. Sed quoniam apud nos non bene ſonarent duo l l, conuertitur ſeba punctus ſuppoſitus primo l in e, & dicimus Alleluia, duobus tantum l in dictione. Sic ſcribūt Hebræi Baaſa, per beth literam reſpondentem noſtro b, ſed per ſubiectionem pathach uirgulæ, ſupplentis officium a uocalis, ſonat beth illud, ba: ſequitur poſt litera Hain: quæ reſpondet noſtris ha, ſed ſup-

ponitur

ponitur ſeba, quæ ſignificat deberi conſtrui cum præcedēti beth. & ſic ſonat Bab, uel Baba. Sequitur poſt ſin, litera reſpondens noſtro ſ, & ſubijcitur ei Chames, nota ſupplens a uocalem, & ſic ſonat ſa. Poſt quam apponitur Aleph ocioſa, quæ non profertur. & ualet ſic tota contextura ut ſonet Babaſaa: ſed nō proferimus niſi Baaſa. Ad hūc modum in Hebraicis nominibus eſt reperire literas multas ocioſas, ſed tamen non uacantes: quia licet non proferantur ſignant tamē aliquid. & ſunt notæ uel generis uel caſus, uel accentus, uel alicuius alterius: de quo longū eſſet nūc tractare: conſultò remittimus ad peritiores linguæ Hebraicæ.

Eapropter moderni translatores Bibliæ, & ſcriptores Hebraicè periti, ſæpiſſimè referunt Hebraiſmos in nominibus proprijs, quæ in ſacris literis ſcribuntur, ut Parhoh, pro Pharaho. Ysbac, pro Iſach. & Moſch, pro Moyſes. & ſimilia.

Fortè hinc deriuata eſt lectio illa Ioan. 5. Bethſaida, pro Betheſda. Nam ex quo Hebraicè Bethzeda, uel Bethſeda, inuerſa litera: legitur quandoq; aut pronūciatur pro Bethezda, aut rectius Betheſda. Factum eſt, ut ex Betheſda, ortum Bethſeda, dederit nobis Latinum Bethſaida, e litera in ai uerſa, ſicq; Bethſaida habeamus, uti ſupra dictum eſt. Videtur autem Hieronymus hanc nominis tranſcriptionem admittere, Libro de Hebraicis locis. ubi Betheſda nominat eam.

Ireneus. Aduerte autem diligenter, quòd licet Ireneus dicat lib. 1. contra Valentinum. cap. 13. & lib.

lib. 2. cap. 40. quòd argumentatio à literis frigidiſſima eſt. Intelligendum eſt de literis Græcis, ad quas translatæ ſunt Scripturæ Veteris Teſtamenti: non autem de literis Hebraicis, quæ primæuæ ac natiuæ ſunt. Nam & de nomine Abraham cõmune documentũ eſt, appoſitam literam Het, quæ vna eſt de quatuor literis facientibus nomen Domini quadrilitterum: quod myſterijs plenum eſt, & multarum dignitatum argumentum. Valet igitur argumentatio à literis Hebraicis, licet non valeat à Græcis, nec multo magis à Latinis. Et hæc ſufficiant de literis nominum, & correſpondentia earum.

Argumentatio à literis frigida.

Eugubinus aliter ſentit.

HIS igitur regulis decẽ, quaſi decem clauibus ad aperiendum Scripturę ſacræ ſenſum obſcurum, poterit quis apprimè iuuari in ſtudio ſanctarum literarum. Vnde Hieronymus ad Paulinũ. de Inſtitutione monachi, ait. Totũ quod legimus in diuinis libris, nitet quidem & fulget, etiam in cortice, ſed dulcius in medulla eſt. Qui edere vult nucleũ, frangat nucẽ. Reuela (inquit) Dauid oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. Si tantus propheta, tenebras ignorantiæ confitetur: qua nos putas paruulos & pene lactantes inſcitiæ no-

Hierony.

ćte cir

Nõdũ vetus teſtamentũ velatum eſt, ſed nouum etiã eſt obſcurũ difficileq́ intellectu.

œ circundari? Hoc autem velamen, non ſolum in facie Moyſi, ſed in Euangeliſtis, & in Apoſtolis, poſitum eſt. Turbis Saluator in parabolis loquebatur: & conteſtans myſticum eſſe quod dicebatur, aiebat. Qui habet aures audiendi, audiat. Niſi aperta fuerint vniuerſa quæ ſcripta ſunt ab eo, qui habet clauem Dauid: qui aperit, & nemo claudit: claudit & nemo aperit, nullo alio reſerante pandentur. Quum igitur ſtudioſus quiſpiam nactus fuerit codicem emendatum atq; correctum, diligenter, attentéque lecta Scriptura, aduertendo fluxum orationis, conſideratis antecedentibus & conſequentibus. Item & ſi in margine, loci aliqui citantur in concordiam. eis conſultis poterit ſecundum has Regulas mirabiliter adiuuari. vt DEVS & Dominus noſter, infundat verum ſenſum, ab SPIRITV SANCTO intentum: niſi malitia obſtet prauæ conſcientię, in quam non intrat Sapientia. Oportet autem præuia oratione muniri, ad aggrediendam lectionem Spiritus ſancti.

Modus ſtudẽdi in ſacris codicibus.

Hoc autem vltimo pretermittendum non putamus, vt moneamus lectorem Sacrarum literarum, reperiri quaſdam orationes ab He-

Orationes

bræis

bræis vocatas, decurtatas: quæ ad ſui explica- tionem egent aliquibus verbis, quæ ibi non exprimuntur, ſed tamen neceſſariò ſubintel- liguntur. Et eſt hic modus Hebræorum, qui- dam quodammodo Laconiſmus. Talis eſt. 2. Regū. 5. Et dixit Dauid in die illa. Qui per- cuſſerit Iebuſeum. &c. ita in Hebraico. & non fit mentio de premio, nec in generali, nec in ſpeciali: & tamen præintelligitur, vti. 1. Para- lipome. 11. & in noſtra translatione habetur ipſomet capite quinto, Secundi Regum, ſic. Præpoſuerat Dauid premium. &c. Similiter Nume. 20. b. Corruerunt proni in terram, cla- mauerúntq; ad Dominum, atq; dixerunt. &c. Et non ponitur in Hebræo, quid dixerunt: licet habeatur in translatione noſtra. videli- cet. Domine Deus audi clamorem populi hu ius, & aperi eis theſaurum tuum, fontem aquæ viuæ. De quo etiam Toſtado ſuper Gene- ſim. capite. 4.

quædam ſunt trūcate in ſcriptutis.

Toſtado.

In Nouo quoque Teſtamento habetur Lu cæ. 19. ſimile, ſcilicet. Quia ſi cognouiſſes & tu, & quidē in hac die tua, quę ad pacē tibi, nūc autem abſcōdita ſunt ab oculis tuis. &c. Quæ ratio truncata prę ſingultibus ac fletu, ita ſcri- bitur Hebraiſmo iſto vt multis verbis egeat,

ſupplen-

ſupplentibus truncationem & interciſionem. De neceſſitate quidem. Et tamen nullum eorum verborum in ſe habet. Et hæc ſufficiant de Hebraiſmo iſto: & conſequenter de octaua Annotatione.

ANNOTAT. IX.

De Translatoribus ſacræ Scripturæ, & eorum translationibus.

POST ea omnia quæ ſupra dicta ſunt Annotationibus quinta & ſexta de Scriptoribus, ac translatoribus librorũ ſanctorum, aduertendũ eſt, quòd quũ populus Aegyptiorũ, eo tempore quo Hebræi apud eum cõmorabantur, habuerit ſcripturas, & quidem autoritate publica receptas, vt ex Manethone eſt videre, non eſt credibile fuiſſe Hebręos ſine literis, ſine ſcripturis. Dicitur eñ de Moſe quòd fuerit doctus in omni doctrina Aegyptiorum. Sic ait Stephanus, Act. 7. Et eruditus eſt Moyſes omni

Hebręi in Aegypto habuerunt ſcripturas

omni ſapientia Aegyptiorũ.ergo erant iam libri ac literæ, quibus continebantur ſapientiæ Aegyptiace traditiões. Item dicitur Exo.7.&.8. quòd malefici multa incantationibus ſuis effecerunt. Ergo libri erant & literæ, quibus ars magia & præcepta continebantur maleficiorum: quorũ pars magna figuris literas inſcriptis, operatur. Sed de ijs iam ſupra annotatione 6. egimus. Credibile igitur fit, iam tunc Iudæis literas ac libros fuiſſe, Nondum tamen religioſe venerabantur eos, quum nõdum de manu Domini ſuſcepiſſent. Sequutum fuit autẽ ꝙ inſtante Moſe libertatẽ, populus durius à Pharahóne afflictus fuerit, & propterea Moſes librum Iiob ſcriſperit, ac legendum tradiderit multitudini afflictæ. vti tradunt Iudæi. Sic & Origines ſcribens ſuper Iiob, in principio. ſic Hieronymus in commentarijs ſuper Iiob cap. 3. ac. 32. Poſt hęc egreſſis ab Aegypto Hebræis, datæ fuerunt Tabulę duę, ſcripte digito Dei, decem mandata, in Sina. Exo. 31. d. & Deut. 9. b. Datæ inquam fuerunt à domino duę illæ Tabulæ, ſcriptæ digito Dei: intus & foris, continentes mandata quæ præceperat Dominus toti multitudini, audientibus omnibus. Sed has proijciens Moſes, quando de

Liber Iob primũ ſcriptus à Moſe. Origenes. Hierony.

Duæ tabulæ prima ſcriptura poſt Aegyptum.

monte deſcendit poſtquam peccauerat populus, in terram colliſit, & confractæ ſunt. Poſt quæ, ad præceptum Domini, dolauit ſibi Moſes duas alias Tabulas ad inſtar priorũ: & ſcripſit in eis Dominus quæ in alijs ſcripta prius fuerant. Exo.34.a. & Deut.10.a. Itaq; primas Dominus dederat, ſecundas Moſes ſibi dolauit. De quibus Adrianus Finus lib.1.cap.13. Flagelli cõtra Iudęos. Licet dicat cap.42.lib.4. quòd Moſes ſecũdas tabulas & dolauit & ſcripſit. In quo grande nimis myſteriũ includitur prætereundæ primæ legis à Deo datæ Iudæis: manſuræq; ſecundæ à vero Moſe Chriſto legislatore, in tabulis ſecundis figuratæ.

Aliç duç Tabulæ ſurrogatæ in locum priorum.

Adrianus.

Post hæc ſcripſit Moſes in libro, & literis exarauit quæ Dominus dictauerat in Oreb, vt patet Deuter.5.a. & in Syna. Nume.26.in fine. Poſt hæc addidit Moſes ſcripturæ quam ſcripſerat in Syna, alia etiam quæ Dominus poſt annos multos ei mãdauerat de nouo in Campeſtribus Moab, vt Nume.33.f. & Deut.29.a. Itaq; ſemel locutus eſt Dominus ad populum audientibus cũctis verba Decalogi. Sed Moſes poſtea accepit Tabulas.& deinde ea quæ Dominus dictauerat incepit ſcribere ad radices Syna, & cõpleuit in campeſtribus Moab.

Lex ſcripta poſt Tabulas.

Quæ

Quæ fuerunt longo quadraginta annorũ ſpacio intercedente: loquente Domino multiplicatis vicibus Moyſi.

Cæpit igitur populus habere poſt receptũ librum Iiob ad legendum in Aegypto, etiam librum Legis, ſeruatis interim tabulis in Tabernaculo, intra Arcam, ad hoc ipſum fabrefactam. Siquidem completo libro legis vniuerſæ, Moſes multiplicauit exemplaria, ac diſtribuit vniculq; tribui codicem vnum: vnde diſcere poſſent Domini legem, ac meditari, iuxta quod dictum fuerat populo. Deute.6. Cuſtodi omnia mandata & præcepta Domini. &c. Hæc meditaberis domi tuę ſedẽs, & ambulans in itinere, dormiens atq; conſurgẽs. &c. Quæ compleri non poſſent, niſi libros haberent in promptu, hæc ipſa continentes, vbi diſcerent: ſicut præceptum eis erat inſuper Deut.32.g. Habetur autem hæc codicũ multiplicatio ex Deut.31.b. Vbi dicitur. Scripſit itaq; Moſes legem hanc & tradidit eam ſacerdotibus filijs Leui, qui portabant Arcam fœderis domini, & cunctis ſenioribus Iſrael. Ibi notatur quia & tribuum primoribus datum fuerit exemplar, & ipſis Leuitis ſeorſum exemplar, à quo tranſcribendũ eſſet regi nouiter in trono regni po

Populus poſt librũ Iiob habuit legem ſcriptam.

Iudæi libros habebant legis, in quibus ſtudebant.

Reges Iudęorũ trãſcribebant legẽ à codice Leuitarum.

ſito, exemplar aſſidue legendum ſibi: vt ſecundum illud iudicaret. Deut. 17. Codicem vero primarium, ac prothotypũ, quem ipſe Moſes ſcripſerat, dedit Leuitis vt reponerent intus tabernaculum, in arcæ latere. Deut. 31. f. vbi dicitur. Tollite librũ iſtũ & ponite eũ in latere Arcæ fœderis Domini Dei veſtri. &c. Et in vnoquoque ſeptimo anno legebatur Lex toti multitudini: quia erat annus quietis. Deu. 31.

Adrianus. Adrianus autem Finus. lib. 9. capite. 2. Flagelli contra Iudęos, opinatur raro fuiſſe lectam legem hanc Iudæis. Quod ſi de publica functione intelligat, concedimus: ſin autem de priuata lectione, negamus.

Libri legis multiplicati ſecundũ tribus & familias. Habuerunt itaq; Hebræi codices legis multiplicatos, per tribus & familias, cognationes ac domos: vt aptius poſſent memoriter retinere, ac diſcere Dei legem. Sed & Leuitę qui ſecundum legem iudices futuri erant plebis, à Domino aſſignati ad iudicandum ſecundum legem, multiplicauerũt ſibi codices legis multos. Neq; enim aliter fieri potuiſſet rectum iudicium, niſi in prõptu eſſet legis codex in cauſis ancipitibus conſulendus. Imò vnuſquiſq; iudicũ habebat ſibi familiarem legis codicem ſuamet manu tranſcriptum. Nam vt Hebræis

puerũ

puerulis primæ literę tradebantur diſcendę in Tabula Decalogi conſcripta: vt ita Domini mandata memoriæ mandarentur, nulla obliuione delēda. ita Leuitis futuris Iudicibus aut Sacerdotibus, tradebatur in cartis legis principium diſcendum (excepto primo capite Geneſis) & conſequutiue, vt prouectior efficiebatur continuaturus erat legis tranſcriptionem, quoad vniuerſæ legis codicem manu propria ſcriptum haberet completum. Generaliter autem omnibus Hebræorum pueris, tradebatur ad diſcendum Canticum Moyſi. Audite cœli quę loquor. &c. Deu. 31. & 32. Sic vulgatū fuit inter omnes Hebræos, vt in choreis can tarent illud. Cantilenę vulgares apud Hebræos.

Sunt igitur hæ primæ inſtitutiones populi Hebraici, vt poſt Iiob habuerit legem in codicibus multiplicatis. Poſt hæc Ioſue addidit ſcribere librum ſuum. Poſt quem Samuel ſcripſit etiam librum Iudicum, & Ruth hyſtoriam. Item librum quem Iudæi ab eius nomine, dicunt, Samuel. & Dauid compleuit eum, nos autem dicimus primū & ſecūdum Regum. Sed ij libri poſt legis librum, non ita erant in frequentia hominum, vt inuulgati eſſent, ſicut Lex. Venit autem Dauid & compoſuit Pſal- Tertio inuulgari pſalmi Dauidis.

Tertio inuulgati Pſalmi Dauidis.

mos ſuos, ad honeſtandas Ceremonias diuini cultus, ordinauitq́ primo ad Samuelis monitum, mox Dei, ordines multos cantorum & cantatricum, qui Pſalmos illos pro diuerſitate feſtorũ decantarent: ſicq́ inuulgati fuerũt, vt nemo non ſciret, ac memoriter retineret.

Quarto pſalmi aliorum.

Poſt hæc fuerunt etiam Pſalmorum cõpoſitores Aſaph, & filij Chore, Moyſes quidam, & alij. Horum opera ad Dauidis Pſalmos adiuncta, facta ſunt poſtea in vnum Pſalmorum volumen ab Hezra.

Quarto inuulgatæ parabolæ Salomonis.

Poſtea viri ſapientes collaterales Salomonis, collegerunt Salomonis parabolas, Eccleſiaſten, & Cantica Canticorum.

Succedentibus autẽ temporibus, ſucceſſerunt quoq́ Prophetæ multi. Eſaias ſcripſit librum ſuum. Hieremias quoq́ ſuũ, cum Trenis. & Tertium ac Quartum libros Regum. Ezechiel, & alij, ſicut iam ſatis ſupra dictũ eſt, ſcripſerunt prophetias. Et iſti quidem locis diuerſis, vti ſupra quoq́, facta diſperſione Iudęorum bello Chaldaico ac Perſico.

Varia iuxta tempora fluctuatio legis, ac librorũ ſanctorũ.

Aduerte autẽ, quòd ante prædictam diſperſionem, quæ pro peccatis eius gentis cõtigit, præceſſerat iam in eo populo, ſecundum Regum diuerſitatem, & variam fortunam: etiam

circa

circa legẽ ac legis libros, varia quoq; fluctuatio. Nam ſub regibus pijs, bene erat legis obſeruationi, ac legis libris, vti maximo religionis illius fundamẽto. Contra ſub regibus impijs, malè erat & legis obſeruantiæ, & libris religionis: propter quod & ira Dei excanduit ſuper populum illum nequam: iuxtaq; delictorum qualitatem fuit & cenſura, & modus punitionis: quod palam fiet diſcurrenti Regũ tempora, regnantium ſuper Iuda & Iſraël.

Fuit enim tempus religioſiſſimũ ſub Dauid. Fuitq; ſub Salomone religioſum: quo maximè deferebatur libris legis.

Fuit ſub Roboam tempus mixtũ, partim religione ſeruata, partim abuſibus multis vigentibus. 3. Reg. 14. b. Nam licet à quibuſdam religioſe ſeruaretur lex: tamen increbuit licentia volentibus ædificare Aras, Statuas, & Lucos: ſuper excelſa loca, ad Salomonis exemplum. Inſuper cæpit abominatio effœminatorum Sodomiticorum in Iuda. Væ terræ cuius Rex eſt puer.

Poſt hæc, fuit tempus melioris religionis ſub Abia, Aſa, & Ioſaphat. de quibus. 3. reg. 15.

Succeſſit tempus peſſimũ ſub Achab, cui inuerecũdè idololatra peſſimus fuit: filiumq; ſuum idolo conſecrauit per ignem. 4. Reg. 16.

Sub hoc credibile ſit incluſum fuiſſe librũ intra cuiuſdã alueũ parietis, legitima cõtinentẽ, quę regi ſeruare præcipiebantur. Liber inquã Deuteronomij, qui erat à Regibus tranſcribendus, ſumpto exemplari à tribu Leuitica. Hic erat illemet qui per manus Moyſi datus fuerat Leuitis, vt ex eo tranſcriberetur exemplaria Regibus. 2. Paral. 34. c. Concluſus autẽ fuit intra parietem, ne pereunte religione periret: ad tempora meliora ſeruatus. Hic ſub rege piiſſimo Ioſia inuentus eſt in ſarciendo reficiendoq; Templi ruinas. De quo. 4. Reg. 22. &, 23. capitibus.

Incluſus liber legis intra tẽpli parietem, ne periret.

Succeſſit poſt Achab religionis obſeruantia ſub Ezechia de quo 4. Regum. 18.

Fuit autem ſub Manaſſe, peſtilentiſſimum tempus, quo perſequuta religio fuit, & idololatria indicta. Hoc tẽpore libri perire ceperũt, neglecta prohibitaq; patria religione: fractis iam animis piorũ, tot perſequutionibus ſceleratorum Regũ. Quum enim labefactari cepiſſent ſub Achaz, fracti ſunt ſub Manaſſe, qui gladio & igne ſęuit in ſeruantes mores patrios. vti fieri cõtigit Diocletiani temporibus, qui ſacros libros exuſſit. De quo Euſebius lib. 8. hyſt. Ecclesia, capite. 1. Propter quod & promiſcua

Euſebius.

multi

multitudo laxis habenis in idololatriam irrupit. Ecce hic librorum ſanctorũ cladem maximam. Iam enim non erat libros legis publice ſeruare, ſed neq; licebat priuatim oſtẽdere nec quenquam dicere. Eſt apud me codex legis, quin propter hoc ipſum proſcriberetur. Perijt ergo ſolemnitas illa vſq; ad id tempus ſeruata cuſtodiẽdi libros legis in Templo veneratione publica, exedra propria ad hanc cuſtodiam deputata. Verum tamen nec in iſta malorum colluuie, ſic perierũt legis libri, quin apud multos illæſi ſeruarentur priuatæ codices ſacri: in populo tenaci paternarum traditionum.

Sequutum poſtea bellum Chaldaicũ, Templi incendium, rerumq; Iudaicarũ maxima permutatio. Tũcq; abſorpſit flamma vorax multos de ſuperſtitibus libris ad priores calamitates. vnde inuulgatum eſt (neſcio tamẽ quo authore) quòd perijt Lex: nullo legis codice remanente: ita vt neceſſarius fuerit Hezras ad reparandum eam: reſtituendo videlicet legis codices, quos memoriter tenebat, ſcribendo de nouo: quum nuſquam inuenirentur ſcripti. Quod examinandum videtur, vtrum videlicet ſic potuerit fuiſſe.

Perierunt libri legis Chaldaico incẽdio

Primum quidem mirũ eſſet, ſi homo quan-

Quomodo Hezras legẽ potuit reparare, examinatur.

tumuis memoriæ tenaciſſimę, poſt annos. 116. totam tęneret memoriter Bibliam, aut Moyſi pentateuchum.

Nam certum eſt quòd Hezras venit in Hieruſalem, iam Templo conſtructo. patet Hezrę. 7. quòd venit ſub Artaxerxe, poſt conſtructum Templum. Fluxerant autem à tranſmigratione, primum anni. 70. quibus durauit tranſmigratio. 2. Para. vltimo. Item anni præter iſtos. 46. quibus ædificatio Templi ſecundi durauit: cœpta ſub Cyro: ſub Dario Artaxerxe completa. anno eius. 6. vt patet. 1. Hez. 6. vti & Iudæi Chriſto Domino dixerũt, Quadraginta & ſex annis ędificatũ eſt templũ hoc. Ioã. 2. D. Omnes autem anni hi ſimul ſumpti faciunt prædictam ſummam. 116. annorum. Quomodo igitur poteſt ſtare, quòd Hezras memoriter tenens legem, nullo adiutus codice, reſtitueriteam ſola memoria in ſcriptis? Nam licet

Plinius.

Plinius. lib. 7. naturalis hyſtoriæ. cap. 24. multa mirabilia de viris præſtãtibus memoria deſcribat, nullum tamẽ eorum poteſt huic poſitioni ſuffragari, vt homo quiſquam poſt. 116. annos tot retinere potuerit libros memoriter.

Pereunte Ieruſalem non periet

Præterea tranſmigratis Samaritis in Hala & Habor fluuijs Gozan, adductisq́ eorum loco

loco colonis in Samariam, de Babylone & Cutha, ac alijs prouincijs, propter leones à Domino immiſſos in aduenas illos, coacti ſunt legitima legis ſuſcipere à Iudæis.4. Regum.17. Suſcepta igitur lege Moyſi, non dubium quin & inſcriptis eam ſuſcepiſſent. Fuit autem hoc ſtante Iuda & Ieruſalem pacifice ſub Ezechia. Igitur quamuis tempore incendij Hieroſolymitani arſiſſent omnes libri legis in Ieruſalem inuenti, manſiſſet tamen ad minus vel liber aliquis inter Samaritanos: qui diuiſi per Samariã, ac ciuitates olim poſſeſſas ab Iſraelitis, diuerſos codices ſuſceperant legis Moyſi: quum aliàs inter ſe non conuenirent, ſequentes vnuſquiſq; patrios Deos ac mores.

runt legis libri apud Samaritanos.

Quanto magis, quia inter tot legis Doctores, Sacerdotes, ac Leuitas, & etiam ſeculares principes populi illius Ieroſolymitani, quãdo ante exuſtum Templum tranſlati fuerant in Babylonem, Ioakin, & iudices, ac principes, & omnes optimates terræ.4. Reg.24. Conſtituto Sedechia in regem, nõ potuit tãtus inter illos omnes fuiſſe neglectus, vt non ſecum multos aſportarent codices legis. q̃ ſi pro tunc non aſportaſſent, poſtea quum eſſent iam in Babylone, recolentes ea quæ prædixerat Hieremias

Populus in Babylonem captiuus ductus libros legis habuit

capite

capite. 25. eſſe in eorum oculis iam completa, & ſcientes quia propter eorũ peccata euenerant eis omnia illa dura: quum plurimi eorum potentes eſſent & erratorũ pœnitẽtes, perſtante adhuc Ieruſalem ſub Sedechia, non eſt dubium quin voluerint habere legis codices: & quum potuerint, quòd de facto habuerint.

Ergo quamuis in Templo, vltima ruina codices arſerint: tamen extra Templũ reperti inter prædam, ſeruati ſunt: vt exiſtẽtibus in Babylone venundarentur, precio magno diſtrahendi. Vel certe ſi omnes codices Ieruſalem reperti, exuſti ſunt, pro odio gentis in nationem prauam, iam ante tempore multo habiti erant ab eis, qui pacificè in tranſmigratione cõmorabantur. Quomodo enim Iudaicè viuentes, ortas inter eos quęſtiones decidere potuiſſent Iudices à Regibus cõceſſi, ſine legis libris? De hoc in hyſtoria Suſannę. Accedit ad hæc, quòd tempore reductionis populi in Ieruſalem ad Templum reſtituendum, quando omnium redeuntium habita fuit communis cura, vndiq; donaria corradere ad reparandũ Templum, ſimul ac ornandum, ex omnibus tam Iudæis quàm gentilibus: quomodo neglectum fuit ſtudium codicum legis, ſine qua

non

non erat Templum ſanctum? Siquidem ſancti-ficatio Templi, olim Arca erat fœderis, ſecundum quòd fœdus continebat. Quod in mandatis decem implicabatur: explicabatur verò in lege declarante ac exprimente quomodo ſperandum eſſet de Deo, quomodo etiam ei ſeruiendum. Namq; pactum proprium erat inter Deum & ſemen Abrahæ, quòd Dominus eſſet Deus eius. Ita quòd populus coleret eũ; Deum ſuum proprium. Et Dominus curam populi quoque peculiarem haberet. Gene. 17. Nec iſta latebant eos qui reuertebantur ad terram ſanctã. Quomodo igitur potuit fuiſſe talis legis perditio, aut neglectus? Inter eos præcipuè qui ab initio captiuitatis, expectarẽt poſt. 70. annos reditũ ad propria, iuxta Hie. 25. Et erant annuatim ſupputantes reſiduum tempus vſque ad liberationem ſuam, quam præſtolabantur. Mihi igitur videtur ridiculum commune iſtud dictum de reparatione legis facta ab Hezra, eò modo quo vulgo dicitur: præcipuè quum legerim Hierony. prologum Galeatum, ſuper libros Regum, dicentem q̃ Hezras in reparando legem contulerit editionem ſuam cum libris legis Moyſi, quos habebant Samaritę, eiſdem literis Hebraicis ſcriptos,

Sanctificatio templi in quo cõſiſtebat.

Fœdus & pactũ dñi quod.

ptos quibus ſcripſerat Moyſes. Ergo exemplaribus vſus eſt Hezras in reparando legem? Videndum igitur quæ & qualis exiſtimanda ſit huiuſmodi Legis reparatio. Ad quod.

Reſolutio difficultatis. Aduertendum, ab initio ita diligentiſſime obſeruatam legis tranſcriptionem à Leuitis, qui futuri erant Iudices in cauſis omnibus, quòd etiam abbreuiaturas ac lineas, & literarũ numeros diligentiſſimè emulari, habitum fuerit pro neceſſario. Maximè autem Sacerdotibus ſupremis, quibus omniũ Iudiciorũ delegabatur in lege cognitio ac deciſio. Itaq; ſicut ex aduertentia .72. literarum in illis tribus verſibus Exo. 14. quarum conbinatione .72. nomina excipiebantur Domini, apta mirabilibus effectibus, vti dilucide Galatinus tradit. lib. 2. ca. 17. operis ſui. Ita quoq; aliàs erãt loci multi obſeruabiles in lege, ſecundum mutationem narrationis, quæ duplicabatur, aut modũ quo verbum narrabatur: aut ſimilia. De quibus tradebatur à Sapientibus verbo, informatio: & hæc non omnibus, neq; ſemper: ſed tantum dignis, ætate maturis, & ſecundum tẽporis & horæ ac loci delectũ: cum circũſtantijs ad rem facientibus. Fortaſſis autẽ in locis illis codicũ quibus hæc ipſa myſteria continebantur propter

Galatinus

pter memoriam erant appoſitę marginales notæ, libris qui ſacratiores habebantur, ſicq; vel in Templo vel in Synagogis ſeruabantur, vel certe religioſis locis à pręcipuis ſacerdotibus. Sic tamen, quòd ſcripturæ Sanctæ non intelligantur in codicibus ſcriptę more noſtro: ſed in cartis, vti ſcribi ſolitæ ſunt res ad memoriã ab ſcribis publicis ac notarijs. Dicebantur tamen pergameneæ cartę illę legem cõtinentes, quandoq; codices. Hinc eſt, quòd inuulgatũ eſt Cabaliſtis duplicem legem fuiſſe datam Moyſi: videlicet in ſcripto, & verbo. Quia ea quæ iuſſus fuit Moyſes ſcribere, ſic ſcripta ſunt inſtigante ſpiritu Dei, vt myſterijs redundent: in delectu nominum, verborum, contextus literæ, modi narrãdi, formę etiam ſcripturæ, ac ſimilium. Ad quę omnia, profundiori intellectu opus eſt. Et hic vocatur Lex verbotenus tradita. Cæterũ, ſi autumẽtur Cabaliſtæ aliter rationem legis huius verbotenus traditæ, vt ſcilicet alia ſit, & diſtincta à lege ſcripta, ingenue diffitemur & abnuimus hoc: neq; cum ipſis conuenimus, propter argumenta plura conuincentiaq; ac fortiſſima, quibus etiã Adrianus Finus Ferrarienſis in Flagello ſuo contra Iudæos nobiſcum ſentit. lib. 9. cap. 2.

Cabaliſtarum traditio de duplici lege, ſcripto, & verbotenus tradita.

Refelluntur Cabaliſtæ.

Adrianus Finus.

9.capite.2.Poſſemus autem de ſupradictis aliquot exempla hic ponere,fuſiusq́ꝫ comprobare. Sed breuitati ſtudentes tangemus ſolummodo locos,in quibus erit apertiſſime id notare. Primum obſeruatus fuit nominum delectus.Gene.11.in Sarai,quę ſic vocatur in ſcriptura,loquente de ea,vt vxor erat Abrahæ: quãdo vero meminit de illa,vti filia erat Arã, tunc nominatur Ieſcha. Similia ad hęc paſſim reperiuntur in Sacra ſcriptura loquente de eadem perſona,ſub nominibus diuerſis.Secũdo obſeruatus fuit verborum delectus, quibus res aliqua narratur.Gene.21. de amandatione Agar & eius filij è domo Abrahæ, impoſito aquæ vtre cum panibus,ſcapulis Agar.de quo ſatis ſupra.Tertio quoque obſeruatur contextus literæ. Gene.2. Loquutus enim de conditione cœli ac terræ, & hominis plaſmatione Moſes,iterum redit ad opus tertiæ diei,dicẽs. Plantauerat autem Dominus Deus paradyſum. &c. Quæ recapitulatio, non ponitur ibi ſine myſterio.Quarto,modus quoque narrandi obſeruatur.Gene.24.aliter enim textus narrat acta ab Eliezer ſeruo Abrahæ, & aliter ipſe ſeruus recitat parentibus Rebeccę. Quę non ſine myſtica cauſa ita digeruntur.Quinto,obſeruatur

Notatus in lege delectus nominum.

Notatus verborum delectus.

Notatus contextus

Notatus narrationis modus

Notata ſcripturæ forma.

ſeruatur etiã forma ſcripturæ, vt Gene.23. ali- ter ſcribitur Ephron ante pactam pecuniã pro ſepulchro,& aliter poſt pactam pecuniam. Se- xto obſeruatur, quot & quibus ſcribatur lite- ris, vti in nominibus Domini eſt aduertere, ſi videlicet ſit nomen.4. literarum, vel.6. vel. 12. vel.42. vel certe trium literarum. De qui- bus ſatis dilucide Galatinus lib.2.operis ſui a- git,& moderniores tractatores. Apparet igitur ſatis aperte ex his, quòd codices ſacri, licet eſ- ſent multi apud Iudæos, non tamen erant om- nes æquè obſeruationis, & conſequenter, neq; autoritatis ad omnia. Quia ad decidendas cõ- trouerſias in aliquibus ſubtilibus, vbi ex ſcri- pturæ modo penderet difficultas, non erant autẽtici codices ſeculares ad id definiendum, ſed recurrebatur ad ſacros codices Templi, & Leuiticæ tribus: quaſi correctioribus, exactio- ribus, & purioribus. Et ſic quamuis poſt de- ſtructionem Templi & Ieruſalem, manſerint exemplaria legis multa, puriores tamen illi codices prothotypi, quum (in exedra ad hoc ipſum deputata ſeruarentur in Templo) cum ipſo Templo arſerunt. Neq; potuit apponi cu ra, vt quoquo modo ſeruarentur, ingruente ſubita calamitate præter omnem expectationẽ.

Notata ſcripturæ forma.

Notatæ literæ ac earum nu- merus. Galatinus

Exedra in Templo ad codices ſeruandos.

Z Perſua-

Perſuaſum enim erat Iudæis, impoſſibile eſſe, vt Templum illud periret. Et hoc nō tantum propter Arcam fœderis, quantum propter exauditam orationem Selomonis. de quo. 3. Reg. 8. & 2. Para. 6. Quòd autem ſacri codices ſeruarentur in Templo exedra propriè ad hoc deputata, inde patet, quòd in Templo erat locus triplex ad iudicium aſſignatus, videlicet in Porta atrij, & in ipſo Atrio, & in Palatio dolato, vbi ſuprema cauſarū cognitio erat & deciſio. De quibus Galati. lib. 4. ca. 5. Si ergo ibi fiebat cauſarū deciſio, ſequitur quòd ibi habebatur codicū legis copia, ſine qua fieri rectè nequibat. Conſentit his Figuerola valētinus lib. ſuo primo contra Iudæos, parte prima.

Triplex in Templo iudicū tribunal.

Galatinus

Figuerola

Quando igitur reduces Iudæi ędificarunt Templum, antequam Hezras veniret in Ieruſalem, habuerunt quidem legem & legis codices tranſcriptos, non à ſacris illis exactiſſimis exemplaribus, ſed à vulgaribus, vnde cōtigit quòd diebus illis non erat decidere cauſas intricatas indies ſuborientes, quod erat graue malum. Hezras autem hoc intelligens Dei motus ſpiritu, voluit huic tanto periculo ſuccurrere, & poſuit in corde ſuo ire Ieruſalem, ac legis ſyncerum intellectum docere iudices conſti-

Ante Hezræ aduentum, reduces Iudæi habebāt libros legis, ſed non puriores.

conſtitutos per prouinciam, vt eſt hoc excipere, ex libro Hezræ. cap. 7. vbi dicitur. Hezas autem parauit cor ſuum, vt inueſtigaret legem Domini, & faceret & doceret in Iſrael præceptum & iudicium. &c. Et idem colligitur ex Epiſtola Artaxerxis data in cõmendationem Hezræ. Venit igitur Hezras & fortaſſis conſiderans, quòd maximo labore parum proficeret, ſimulq; præcauens in futurum, ne quid ſimile poſtea cõtingeret, ac ſuo contigerat tempore, alias excogitauit literarum figuras, characteresq; ſpecialiores in poteſtate ad reddendum voces ſingularius, propriusq; ſub eiſdem nominibus â Moſe acceptis. Nam priſcę literæ quibus & Samaritę vtebantur, ad æquiuocas ſignificationes communes erant, dum ſcriptura voces reddebat, ſimiles quidem in vocalibus literis, at in pronunciatione multo diſſimiles: dum alia labijs, alia lingua, vel dentibus, alia gutture, faucibus alia pronunciabatur, quibus in pronũciando differentijs, æquiuociſſimè ſignificare neceſſum eſt. Sic ait Beda, ſuper eo loco Hezræ. 7. Et ipſe ſcriba velox. Ferunt quoq; pro certo Hebræi, quòd Leniores literas excogitauit ſub nominibus earum, quas ante habuerãt, quibus velociſſime

Hezras ad emẽdationem legis lectionem literas nouas inſtituit.

Beda.

Z 2 tantam

tantam librorum copiam quæ cõſumpta erat, reficeret. Ideò non ſolum ſcriba, ſed velox etiam nominatur. Priores autem literæ remanſerũt apud Samaritas, quibus illos quinq; libros Moyſi, quos ſolos de ſcriptura ſancta receperant, ſcribere ſolebant. Hæc Beda.

Hierony. Facit quoq; ad propoſitum hoc, quod refert Hieronymus, ſuper Ezech. 9. in loco illo. Signa Thau, in frontibus, dicens, quòd Thau vltima Hebraici alphabeti litera apud Samaritas, vti etiam tempore ſuo erat apud eos in vſu, habebat crucis figuram, admodum Taph Græci, Sic. T. Quum autem notum ſit, in Hebraico alphabeto, quo nunc vtimur, non eſſe hanc qua figuratur forma thau, ſed iſtam ת quæ differentiſſima eſt ab illa, in aperto eſt, differre multum literas Hebraicas vſuales, ab illis priſcis, quæ apud Samaritas manſerunt.

Ireneus. Hebrai ex primæ literę decẽ tantum numero fuerunt. Ireneus autem li. 2. contra Valentini heræſes. cap. 41. ſic inter cætera ait. Ipſæ enim antiquæ & primæ Hebræorum literæ & ſacerdotales nuncupatę, decem quidem ſunt numero: ſcribuntur autem quęq; per quindecim, nouiſſima litera copulata primæ. Et ideo quidem, quædã ſecundum ſubſequentiã ſcribunt, ſicuti & nos: quædam autem retrorſum à dextra parte in

ſiniſtram

ſiniſtram partem retorquentes literas. &c. Hæc Ireneus. Ecce quomodo olim vſus erat tantum. 10. literarũ ſacerdotalium, & erat vſus ſcribendi à ſiniſtra in dexterã redeundo à dextera in ſiniſtram, ad modum arantiũ, vnde & in crebuit vſus dicendi, literis exaratum eſt hoc, pro ſcriptum. Sic etiam refert hyſtoria Scholaſtica, ſuper Iudith. cap. 5. Quænam autem fuerint illę decem literæ ſacerdotales, non eſt pręſentis conſiderationis. Igitur Hezras adinuentis. 22. literarũ characteribus, cœpit legem Moyſi reſtituere, ſcribens illam characteribus illis nouis. Ad quod ſemel introducendũ vſui, neceſſaria erat Regia autoritas, quaſi ad innouandam rem tanti momenti. Scripſit igitur, & vbi quicquam viſum eſt, illuſtratione aliqua decorandum, non veritus eſt id apponere: nõ quaſi extraneum, ſed genuinum, inter ſcribendum. Sic ait Beda, ſuper loco citato proximè. Scriba velox in lege Moyſi appellatur Hezras quia legem Moyſi, quæ cõſumpta erat, refecit & etiam (vt communis fama eſt) omnẽ ſacræ ſcripturæ ſeriem, quam ignis abſumpſerat prout videbatur legentibus ſufficere, ſcripſit. Et nonnulla (vt referunt) quæ oportuna putabantur adiecit. De quibus eſt illud. Et non ſurrexit

Quare literis exaratũ dicatur, quod ſcriptũ eſt.

Hyſtor. Scholaſti.

Hezras etiam in lege ſcripſit quæ videbantur oportuna.

Beda.

rexit propheta in Iſrael, ſicut Moyſes, quem noſcet Dominus facie ad faciē.&c. Quæ verba dicere non poterat, niſi qui diu poſt Moyſen vixiſſet. Et in lib. Samuelis, olim in Iſrael, ſic loquebatur vnuſquiſq; vadens conſulere Deū. Venite eamus ad videntem. Qui enim propheta hodie dicitur, olim vocabatur videns.&c. Hæc Beda, vides igitur quomodo inſeruit quæ putauit oportuna.

Hezras legem continenter ſcriptā diſtinxit in libros.5.

Fecit etiam præter hoc aliud diuinitus illuſtratus. Nempe diſtinxit legem continuam, continenterq; ſcriptam, in libros & capitula: & addidit ſcripturæ Moyſi, verſus octo vltimos in lege, ſumptos à libro Ioſue. Decurtās videlicet librum Ioſue, & amplians vltimam legis ſectionem à ſe factam, quintum, ſcilicet, legis librum: vſus eſt autem mirabili conſilio, in diuidendo libros, & capita aſſignāda. Nanq; ad numerum myſticum diſtinxit legem, & aſſignauit. & in eis principijs narrationis intercidit, quibus myſticè multa congereret. De quinario numero, vt ſupprimamus quæ multa

Ireneus.

notat Ireneus lib.2. ſupracitato. cap.42. ſufficit hoc adducere, vt ſciamus tabulas illas duas Moyſi à Dño datas inſcriptas ſingulas quinq; mandatis, vnde potuit oluiſſe, in quinque partes

partes numerata hominis integralia membra externa,Caput,venter,femora,pedes,quorum inſtrumenta manus,digitis.5.conſtant à natura ſic inſtituta. Sed & ſenſus quinq; ſunt, quibus humana mouetur ratio, vnde operationes emanant digne ac indigne:propter quę & Seruator, plagarū tantum quinq; ex millibus quibus ſauciatus eſt,retinuit cicatrices,ſeruauitq; inſignia redemptionis, ex Euangeliſtis. Et Eccleſiæ contradidit,quaſi panibus quinq;, millia quoq; hominum quinque ſaturaturus. Ecce de librorum numero,Cæterum de inciſione ad capitula,ſic peritiſſimi Hebræorū dicunt. Quid eſt q; ſæpe in ſcriptura ponitur in medio capituli,vel fine,quod in pricipio poni debebat,vt Exo.15.Dixit inimicus,perſequar. &c.Leui.9. Facto octauo die,vocauit Moyſes. &c.Item.14.ſi fuerit plaga lepræ.&c. Numer.7. Factum eſt autē die quo cōpleuit.&c.Deu.29. Vos ſtatis hodie coram Domino.&c.hæc omnia inquiunt, & ijs multa ſimilia, melius fuiſſent poſita in principio capituli,quàm in medio vel fine, digna enim erant vt ponerentur ac ſcriberentur,in principio rationis.Sed ideo non eſt factum, vt doceatis, quia in lege non eſt principiū,neq; finis,aut vltimū.Non enim

Quare in libros qnq; præcipuè.

Quare ſic hezras capitula diſtinxit legis.

eſt principium, nec vltimum in lege.

Lex Moyſi, ab Hezra in codicis formam redacta.

Redegit igitur primus Hezras legem, in formam codicis diſtincti per libros ac capitula. Et eapropter nomen indidit ei, Hames, id eſt, quinq;, vel quinariū, quū prius ſolū diceretur Thorah, id eſt, Lex. Præterea, appoſuit huiuſmodi quinq; libris legis (quos proprijs nominibus nominauit, vti ſupra dictum eſt, Annotatione prima) librum Ioſue cōſequutiue. Deinde librum Iudicum. Contulitq; editionē ſuam cum libris Samaritanorū, vti ſupra dictū eſt.

Nechemias vndique ſacros codices cōparauit.

Poſt hæc, ſuperueniens Nechemias religioſus vir, potentiſſimus ſimul apud regem Perſarū, ac ditiſſimus, opera eius ac impenſis vndiq; corraſi redemptiq; Sacri codices Hebrçorū vatū, ad manus Hezrę peruenerūt, quo Hezras ipſe expurgans inuectis mendis ab imperitis tranſcriptoribus, ſcripſit Canonē illis à ſe nouiter inuētis literis, ſeruauitq; in tranſcribendo myſteria prioribus illis incluſa literis, diſtinguēs per ordines. Fecitq; elenchū prophetalium librorū & agiographorū.

Primus Canon ſacrorū voluminum ab Hezra deſignatus.

Tunc enim primum apud Hebræos cœptus eſt haberi Canon ſcripturarum ſacrarum, illis nouiter inuentis literis. Et inde eſt quòd Eſaiæ. 7. Ecce virgo cōcipiet. &c. in dictione Aalma, ponitur

in medio

In medio dictionis .m. clauſum Hebraicum, ſic. ם. quod non ſolitum eſt poni niſi in dictionis fine. Ponitur autem ibi in grande miraculum in medio, cum inuentum fuerit ad dictionem concludendam, vt hoc ipſo, notaretur id, quod literis priſcis ſignabatur, ſecundū quòd Eſaias ipſe vel certè exceptor notarius eius Baruc ſcripſerant. Notatur autem per hoc .m. clauſum in medio dictionis poſitum virginis illius ſuperilluſtris abſconſionem, inſcrutabilis ignotęq; dignitatis eſſe prærogatiuā. Idem quoq; habetur in eiuſdem Eſaiæ. cap.9. in verbo. Multiplicabitur, vbi textus dicit. Multiplicabitur eius imperium: quod Hebraicę dicitur Lemarbe, ibi enim illa dictio mar, ſcribitur cū m. clauſo: quod in fine dictionis poni conſueuit, nunc autem in mēdio dictionis eſt, pro eo quod ſic debebat ſcribi mar, cum .m. aperto. Deſignat vtiq; formā imperij à Meſſiah multiplicandi, inauditam orbi, incredibilemq; futuram. Et proſperitatem eam, quam imperio ſuo eſſet illaturus, repugnantibus etiam gentibus non eſſe viſam ſeculis huius mundi. Sicq; inenarrabilē, de qua pręſtaret magis ſilere q̄ loqui. De ijs Adrianus Finus multa lib.2.cap.7. Sic itaq; Nechemias curauit codices congre-

Clauſum m in dictionis medio poſitū locis duobus tantū.

Adrianus.

gare, vti habetur. 2.Machab.2. vbi ſic textus. Interebantur autem in deſcriptionibus & cōmentarijs Nechemiæ, hæc eadem, & qualiter conſtruens bibliothecam congregauit de regionibus, libros & prophetarum & Dauid, & Epiſtolas Regum, & de donarijs. &c. Hezras vero germanam reſtituit lectionem, ac in formam codicis redegit Canonem ſcripturarum Sanctarū, diſtinguens inter libros & libros, ratus hanc eſſe congruam rationem ad ſeruandas ſanctorū ſcripturas, ne ſimili caſu poſtea perirent, fortaſſis irreparabiliter. Sic habetur Nechemiæ.8. Attulit Hezras ſacerdos, legem coram omni multitudine virorum & mulierum. Et legit in ea aperte. & infra. Et legerunt in libro legis Dei, diſtincte & aperte ad intelligendum, & intellexerunt cum legeretur. &c.

Figuerola Quibus verbis, ſicut Figuerola Valentinus refert parte.1.contra Iudæos.cap.1. Rab Hen aua, intelligit quatuor, videlicet. Textum, Expoſitionem textus. Comprobationē eius per verſuum contexturam, & Punctuationem. Di xit enim ſic. Quid eſt hoc quod ſcriptum eſt Nechemiæ.8. Et legerunt in libro legis Dei, expoſite, & poſuerunt intellectum, & ad verterunt in legēdo, ſubdit. Et legerūt in libro legis

Dei,

Dei, hoc eſt Mikra, id eſt, textus. Meſeras, id eſt expoſite, hoc eſt Targum. Et poſuerunt intellectum, iſti ſunt verſus. Et aduerterunt in legendo, hęc ſunt punctuationes pauſarum. Alij autem dicunt, hæc ſunt Maçoret, id eſt, quod ſcriptum eſt, in marginibus ſcripturæ Sacræ Hebrǽ, oſtendens in quot locis eſt illud vocabulum ſcriptum, aut ſi eſt diminutum, aut completum, vel diuerſificatum in punctuatione, vel quomodo legi debeat. Hæc illi.

Hæc eſt igitur illa reparatio celebris Sanctę ſcripturę ab Hezra facta, quę à quàm plurimis allegatur, à paucis autem vel intelligitur, vel declaratur.

Sed & ad decorum, auctoritatemq́ conciliandam tractationi ſcripturarū, adinuenit ligneum quendam gradum ſiue cathedram, ad quam erat aſcenſus per gradus quoſdam, quomodo vſus erat olim Machometanis apud Hyſpaniam, Alfaquinos legere çunā ſuam. Hezras cathedrā ligneā initiauit ad exercitiū doctorū ſiue ſcribarum

Cœpit itē in vſum ponere ordinarias legis lectiones in Templo, vt habetur Nechemię. 8. vnde dimanauit etiam vſus legendi legem omni ſabbato in Synagogis. Lectiones in ſabbato in Synagoga.

FACTA IGITVR legis reparatione placuit mitti exemplar fratribus in Chaldea cōmo-

commorantibus, propter quod ab Aman poſtea dictum fuit Aſſuero in Iudæorum ſuggillationem, vti eos nouis legibus. Heſter. 3. vbi ſic. Eſt populus per omnes prouincias regni tui diſperſus, à ſe mutuo ſeparatus, nouis vtẽs legibus & Ceremonijs. &c. Fortaſſis autẽ propterea dicitur à ſe mutuo ſeparatus, quia ad nouam Hezrę legis reparationem & codicum ſacram compilationem, quæ nuper aduenerat in Chaldeam, religioſi Hebræi, volentes quæ ex conuictu cum gentilibus interciderant reſarcire, de patrijs obſeruantijs, voluerunt reſtituere aut nouare quicquam in vſum ſeruandum: quod alij non ſuſcipientes, diuiſionem fecerunt inter ſeſe, vnde nactus anſam Aman, machinatus eſt internitionem omni ei genti.

Prima legis translatio in chaldaicã linguam.

Alij vero dicunt, tunc factam fuiſſe Chaldaicam trãſlationem. Ita quòd exemplaria miſſa in Chaldeam, erant duplicia, videlicet ita vt ab Hęzra literis nouis facta fuerat in Hebraico idiomate. Et verſa editione tota ſacrarum ſcripturarum literis Chaldaicis, ſermoneq́ꝫ Chaldaico, in vſum communem. Quum codices Hebraici futuri eſſent in vſum Synagogę, vnde multitudini tantæ gẽtis illius, eſſet in promptu ſacros codices intelligere, ſimul & memo-

rię

tiæ mandare. Siquidem erant multi in Chaldea nati, quibus nō erat ita facilis vſus linguæ Hebreæ: conſequenter autem nec literarum Hebraicarum priſcarum, multo autem minus futura erat eis ad literas nouiter ab Hezra inuentas facilis inſtitutio, non habentibus præſto inſtitutores. Quod certè rationi conſentaneum eſt.

Fuit autem hoc annis ferme.45.vel.50.antè Hyſtoriam Heſter, quo tempore ſub Dario Longimano Templum fuit completum. Sed & ſunt qui dicant, textum Hezræ.7.huic poſitioni reclamare, ſic intelligentes Hezram accepiſſe ab Artaxerxe Epiſtolas commendatitias vt eundem putent Aſſuerum, de quo in libro Heſter. Quomodocunq; autem hoc fuerit, certum eſt ante hyſtoriā Heſter, factam fuiſſe hanc tranſmiſſionem editionis Canonis ſcripturarum ſanctarum. Quod perſpicuum erit inſpicienti Elenchum Regum Perſarum.

Fuit igitur tam vulgata lex iſta felici adinuentione literarum, vt multiplicatis exemplaribus, quantumuis poſtea ſeuitum ſit ab Antiocho Epiphane contra legis libros, nō perierint, vt.1.Machab.1. Sed perſtiterint numero integro ad tempus reſtitutionis legis per

Aſſamo-

Aſſamoneos, qui & Machabæi, poſt crudeles perſecutiones à gẽtilibus inflictas. de quo 2. Machab. 2. Vide autem ſcitu dignum vt quamuis etiam apud gentiles idololatras eſſet inuulgata legis notitia, ſicut eſt ex Auguſtino deprætendere, libro Confeſſionũ, vbi Platonẽ notat hauſiſſe ideas intelligentiasq; ſuas ex libris Moyſi, tamen abſtinuere ab ijs quæ legis huius ſanctæ erant, vti Ioſephus meminit capi. 2. libri. 12. Antiquitatum. Nam quum Theopõpus, voluiſſet inſerere hyſtorijs quas ſcribebat, legem ſanctam, verſus fuit in amentiam per. 30. dies. Itẽ & Theotecus poëta alius, quum ſimile quid facere vellet in Tragœdijs ſuis, meminiſſe videlicet de aliquo ſanctæ legis in Dramatibus, cæcitate percuſſus fuit. ambo autem ad ſe reuerſi & in preces ad Deũ conuerſi, conualuerunt. Idem refert quoq; hyſtoria Scholaſtica. cap. 7. de Diuerſis.

Auguſti.

Emulati autẽ ſunt in eo, q̃ leges in tabulis inſcripſerũt, vti Moſes leges in tabulis ſuſceperat.

Hyſt. Sch.

De tranſlatione. LXXII.

LXXII tranſlatio

POST HAEC fuit tranſlatio Septuaginta duorum interpretum ſub Ptolomeo Philadelpho, vt ait Ioſephus. 12. Antiquitatũ capite. 2. licet Hyſtoria Eccleſiaſtica lib. 5. cap. 8. referat ex Ireneo fuiſſe ſub Ptolomeo Lagi filio.

Dicit

Dicit autem Ioſephus in prologo libri de Antiquit. quòd ſolum libros legis Pentateuchū videlicet, tranſtulerūt. Sic etiam ait lib. 12. ca. 2. De quo meminit etiam Scholaſtica. capi. 7. de Diuerſis. & Hieronymus, eius eſt opinionis, vt non ſinguli ſeorſum in cellulis ſingulis diuiſi tranſtulerint, ſed facta collatione inter ſe, communi deliberatione decreuerint, ordinari translationis contexturam. Contrariæ autem poſitionis Auguſt. eſt, Ireneum ſequutus, vti refert Euſebius, vbi ſupra. Ait autem Auguſt. lib. 18. de Ciuit. Dei. cap. 43. Spiritus qui in prophetis erat quando illa dixerunt, idem etiam erat in Septuaginta, quando eadem interpretati ſunt. Itaq; nedum ſpiritu ſancto afflatos exiſtimat Auguſt. ſeparatim in idem & eodem modo coincidiſſe tranſferendo, verum etiam in transferendo multos profundos ſenſus, declaraſſe eoſdem, qui olim abſconditi fuerant.

Vtrū lxx. conferētes an ſeparatim trāſtulerint.

Euſebius.

Theodoritus autem eius eſt opinionis, vt dicat ſeparatos tranſtuliſſe, non collatione inter ſe facta. Addit, fuiſſe hoc ante ſeruatorem, annis. 301. Augu. Eugubinus in tractatu, vtrū vulgata editio ſit Hieronymi, hoc latius. Contra, Hieronymus in prologo ſuper Pentateuchum, qui incipit. Deſiderij mei. &c. inter alia inquit.

Theodoritus.

Eugubi.

Hierony.

inquit. Et neſcio quis primus autor, Septuaginta cellulas Alexandriæ mendatio ſuo extruxerit, quibus diuiſi eadem ſcriptitarint. Cũ Ariſteus, eiuſdem Ptolomei hyperaſpiſtes, & non multo poſt tempore Ioſephus, nihil tale retulerit, ſed in vna Baſilica congregatos, cõtuliſſe ſcribant: nõ prophetaſſe. Aliud eſt enim eſſe vatem, aliud eſt eſſe interpretem. Ibi ſpiritus ventura prædicit, hic eruditio, & verborũ copia, ea quæ intelligit transfert. &c.

Ita etiam ſentit Hieronymus de interpretibus, vt ignorarint ſenſum illum indiuidualem prophetarũ, quem nos habemus Chriſto iam paſſo. Ita quòd non fuerint ſpiritu prophetico dotati. Quòd ſi quando aliter ſcribit in Epiſtolis, id certè agit eorum opinioni deferens ad quos ſcribebat. Subſcribit ijs Adrianus Finus lib. 2. cap. 9. Specificans verſum illum Tecum principium in die virtutis tuæ. &c. Pſal. 109. tanquam imperfectè à Septuaginta traductum, errore inquit generationem humanam, in verbis illis notatam. De matrice auroræ tibi ros adoleſcentiæ tuæ, ad generationem diuinam tranſtulerũt, dicentes, In ſplendoribus ſanctorum, ex vtero ante luciferum genui te.

Adrianus.

Cæterum vtrũ ſolum Pentateuchũ tranſtulerint,

lerint, an etiam prophetas cum eo, an totam Scripturam, dubium eſt. Ioſephus, vt iam diximus, de ſolo Pentateucho ſcribit. Hyſtoria autē Scholaſtica. cap. 7. de Diuerſis. ait, quòd Septuaginta ſimul tranſtulerūt primū legem, Pentateuchū videlicet: ſed poſtea regreſſi ad Iudæam, ad propria: iterū euocati à Ptolomęo particulariter eorum aliqui, vel certe ſponte ſua ipſimet reuerſi, tranſtulerūt Prophetas & Pſalmos. Inter Prophetas autem annumerantur Hyſtoriales libri, quos Regū dicimus, & Salomonis. Hieronymus autem in ea præfatione ſuper Pentateucho, quæ incipit, Deſiderij. &c. ita tractat vt videatur ſentire, tranſtuliſſe Septuaginta & Prophetas & Prouerbia: quia quædam iſtorum librorū allegat teſtimonia. & ait in translatione Septuaginta hæc non cōtineri. Innuit ergo Septuaginta tranſtuliſſe Prophetas ac Prouerbia. Amplius autem in præfatione ſuper Eſaiam, quæ incipit. Nemo quum Prophetas. apertius hoc idem tradit, dicens, in Eſaia noluiſſe Septuaginta interpretes, perſpicuè, fidei ſacramenta pandere gentilibus. Chryſoſtomus quoq; contra Iudæos, ait, Septuaginta translationem, in Templo Serapis repoſitam, & ibi vſq; ad tempora ſua libros

Vtrū lxxij ſolam legē tranſtulerint, an aliam ſcripturam.

Hierony.

Chriſoſto.

Editio 70 ſeruata in templo Serapis.

bros Prophetarũ ſeruatos illius trãslationis.

Hierony. At Hieronymus videtur mutaſſe ſententiam in Commentarijs ſuper Ezech. cap. 5. vbi inter alia dicit. Quanq̃ & Ariſteas, & Ioſephus, & omnis Schola Iudæorũ, quinq; tantũ libros Moyſi à .lxx. trãslatos aſſerãt. Et infra cap. 16. ait. Eruditi ſolos quinq; libros à .lxx. interp̄tatos probant. Videntur autẽ hęc cõtraria poſſe conſiliari. Veriſimile eſt enim Septuaginta interpretes, quando primum acciti, ſimul intenderunt translationi, non fuiſſe interpretatos niſi legem tantũ, Tum propter breue tempus, quo Ioſephus tranſlationẽ ſcribit cõpletam, videlicet dies .70. Tum etiam quia ad transferendam legem erant acciti, quæ data fuerat dictante Deo, ipſi legislatori Moyſi: vt patet ex narratione Ioſephi. veruntamen ſicut ait Scholaſtica vbi ſup. Euocati poſtea particulariter quidam eorũ, aut omnes forte, aut certè ipſi ſpõte ſua reuerſi, Prophetales, Pſalmorumq; libros reliquos tranſtulerũt: quod vero ſimillimum eſt, ex eo quòd cupidiſſimus ampliandi Bibliothecam Alexandriæ Ptolomæus, illos primum acciuerat: poſtquam autem eorũ ſapientiæ experimentum habuerat, & ab eis reſciuerat, pręter legem illam, etiam alios libros

eſſe

eſſe in gente eorũ,quis dubitet voluiſſe ipſum etiam illos alios libros per eorũdem interpretationẽ habere:ac de facto id curaſſe, vt tranſferrentur.Comprobatur autẽ hoc,ex eo quod in prologo libri Eccleſiaſtici ſcribit Ieſus ben Syrach, videlicet, ſe in Aegyptũ deſcendiſſe, tempore Ptolomæi Euergetis,qui ſucceſſerat prædicto Philadelpho,& inueniſſe ſuorũ plurimos libros,quorum vnus fuerat auus ſuus.

De tempore autem quo facta fuit iſta tranſlatio,non concordat Euſebius cum Theodorito,vti ſup.Nam Theodoritus dicit fuiſſe annis.301.ante Seruatorem.Euſebius autem ait annis.280.videlicet Olympiade.124.quũ Seruator natus fuerit Olympiade.194. vbi ſunt 280. anni excreſcentiæ à facta translatiõe vſq; ad Chriſtum. Sic Cratander ſuper translatione ex Septuaginta. *Quo tempore tranſtulerũt Septuagin.*

Facta igitur translatione de Hebraico in Græcum, vſi ſunt ea qui in Alexandria commorabantur Iudæi,&in alijs Aegypti locis,& qui in Antiochia: ac omnes qui ſub Ptolomęi ditione degebant. Sed & extra Ptolomæi dominium, vbicunq; diſtracti fuerant,qui à Ptolomæo Lagi filio capti fuerant,direpta Ieruſalem die Sabbati,qua pro diei religione iner- *A quibus recepta fuerit editio Septuag.*

mes Iudæi, male in poteſtatem gentium redâ ĉti fuerant, & in orbem totum venundati.

Septuag. trãſlat. po ſuerũt nomina libris legis.

Nominabantur autem codices ſacri, nominibus à Septuaginta inditis, pro materia de qua tractatur in libris. Intitularunt enim primum Legis librum, Geneſeos. ſecundũ Exodus. tertium Leuiticu. quartũ Arithmu. quintum Deuteronomiu. Similiter & alios libros nominarunt nominibus quæ adhuc retinent Grçcæ editiones. vti ſupra Annota. 1. actũ eſt.

Translat. 72 vſa primũ Eccleſia.

Hac etiam Græca translatione vſa eſt ſancta Mater Eccleſia in prima ſui fundatiõe, per Apoſtolorũ prędicationem. Nam & Apoſtoli hac vſi ſunt: quod patet ex loco Eſaię. 55. b. citato à Luca Act. 13. Habet em̃ Eſaię textus Hebraicus. Miſericordias Dauid fideles. Septuaginta vero traduxerunt. Sancta Dauid fidelia. vti Lucas refert. Patet etiã ex loco Pſal. 8. citato à Paulo ad Hebr. 2. Habet enim textus Hebraicus. Minuiſti eum paulò minus à Deo. vti Hieronymus ad Sophronium, vertens Pſalteriũ traducit. Septuaginta verò habent. paulò minus ab Angelis. De quo Adria-

Adrianus.

nus Finus lib. 3. cap. 10. differit. Paulus item in ea Epiſtola ad Hebræos omnibus teſtimonijs vtitur iuxta Septuaginta. vti deducit

Adria

Adrianus idem lib.4.cap.24. Quo autem conſilio Septuaginta interpretes aliqua myſteria occuluerint, nõ reddentes omnino germanũ propriumq́; textus Hebraici ſenſum, aperit Hieroymus in prologo ſuper Geneſim, dicẽs. Iudæi prudenti factum dicunt eſſe conſilio, ne Ptolomeus vnius Dei cultor, etiam apud Hebræos, duplicem diuinitatem deprehenderet: Ideo vbicunq; ſacratum aliquod ſcriptura teſtatur de Patre & Filio, & de ſpiritu ſancto, ipſi. ſcilicet. LXX. aut aliter interpretati ſunt, aut omnino tacuerunt, vt & Regi ſatisfacerent, & arcanum fidei non vulgarent. Hæc ille. Quare 72 myſteria multa oc-culuerint. Hierony.

Propter hoc autem Septuaginta factum, moderniores Iudæi, auſi ſunt præter fas Sacrum textum inuertere: immutationes quaſdam facientes in locis quibus vrgebantur à noſtris, rati ſe tantæ autoritatis, quantæ Septuaginta. Huiuſmodi autem ſcribarum immutationes vocatas tiqqim çofrim, notat Figuerola Valentinus cap.3. partis primæ libri ſui cõtra Iudços. Dicit autẽ quatuor modis factas fuiſſe, videlicet, poſita dictiõe vna pro alia. ſecũdo poſita litera pro litera. tertio, quando vnũ ponitur in textu & aliud legitur pro eo. quarto, quando alijs literis ſcribitur dictio & alijs pro- Iudæorũ neotericorum temeraria audacia. Figuerola Quatuor modis ſcripturę corruptæ à modernis.

1 nunciatur. De prima adducit primo illud

Dictione vna pro alia.

Gene. 18. Et Abraham adhuc ſtabat coram Domino. Nam in Bereſſit Rabba habetur ex Moſſe Hadarſan, quòd aptatio Iudæorum ſit, non enim ſic erat ſcriptum, ſed ſic. Et Dominus adhuc ſtabat coram Abraham. Dixit enim Rabbi Simon. Diuinitas ſtabat & confortabat Abraham, ſicut dictum eſt. Pſalm. 17. Et humilitas vel manſuetudo tua nutriet me, vel multiplicabit me. Dixit Rabbi Berekia, Quæſiuit Abraham pater noſter ſtare. Gloſa. inconueniens reputans quòd ipſe ſederet, & Deus ſtaret. Dixitq; ei Deus ſanctus & benedictus. Sede, optimum quoq; ſignum eſt hoc filijs tuis, ipſi enim erunt adhuc ſedentes, & ego ſtans coram illis, ſicut dictum eſt. Pſal. 81. Deus ſtetit in Synagoga Deorum.

2 Item Nume. 11. Si inueni gratiam in oculis tuis, & non videam bexaati, id eſt, malum ſeu afflictionem meam, tiqqim çofrim eſt. Non enim erat ſcriptum, meum, ſed betaateka, id eſt, malum tuum.

Item Iiob. 7. Quare me poſuiſti contrarium
3 tibi, & ero aaleka, id eſt, ſuper te ad onus. Sic
enim erat, ſed loco eius poſuerunt tiqqim ço-
frim, aalay, id eſt, ſuper me.

Item

Item Iob.32.Et impiabunt Elohim,id eſt, 4
impiè condemnabunt eum. Vbi Iudæi,loco
Elohim,ſcripſerunt Iob,noſtra tranſlatio ha-
bet.Sed tantum modo condemnaſſent Iob.

Item Pſalm.21.Circundederunt me canes, 5
foderunt manus meas. Vbi loco, caru,id eſt,
foderunt,poſuerunt,caari,id eſt,ſicut leo.

Item. 2.Regum.17.forſitan reſpiciet Deus 6
beono,id eſt, humilitatem vel manſuetudinē,
vel afflictionem ſuam, & reddet mihi bonum
pro maledictiōe vel blaſphemia ſua. Nunc Iu
dæi,remouerunt beono,&ſcripſerūt ibi beeni,
id eſt, oculum meū.Gloſa Rabbi Salomonis,
id eſt,in lachrymas oculi mei.

Itē.3.reg.22.Non eſt nobis pars in Dauid,re 7
uertere ad leelohe ka.i.ad deos tuos.Loco cu-
ius poſuerunt leohaleka.i.ad tabernacula tua.

Item Tren.3.Memoria memoraberis,& hu 8
miliabis vel inclinabis, vel exinanies, aaleka
napſelia,id eſt,ſuper te animam tuam.Vbi mu-
tauerunt in, aalay napſi,id eſt,ſuper me animā
meam,vel me ipſum.

Item Ezech.8.Et ecce ipſi mittētes fœtorē 9
alapi, id eſt, ad naſum meū.tiqqim çofrim eſt.
mutauerūt enim naſum meū, in naſum ſuum,
ſcribentes Elapā,pro alapi,id eſt,ſuū pro meū.

10 Item Abacuc. 1.c. Nunquid tu ab antiquo Domine Deus ſancte meus lotamut, id eſt, non morieris. Vbi, deleuerunt Lotamut, & ſcripſerunt lonamur, id eſt, non moriemur.

11 Item Hieremiæ. 2. Et populus meus mutauit quinodi, id eſt, gloriam vel honorem meũ, in id quod non prodeſt, mutauerunt & poſuerunt, quinodo, id eſt, gloriam vel honorem ſuum.

12 Item Oſeæ. 4. Sicut multitudo vel incrementum ſuum, aut ſicut Dominus aut magiſter ſuus, ſic peccauerunt mihi, quinodi, id eſt, gloriam meam in ignominiam commutabo, Remouerunt quinodi, & poſuerunt, quinodo, id eſt, gloriam ſuam, loco eius.

13 Item Malachiæ. 1. Et dixiſtis, quanta laſſitudo vel vilitas, vehi pahtem oti, id eſt, expirare me feciſtis, remouerunt inde, oti, id eſt, me & poſuerunt, oto, id eſt, eum. Textus autẽ noſter habet. Et dixiſtis in quo deſpeximus nomen tuum.

Qui fuerũt vocati Sofrim. & quare.

Ex hoc vocati ſunt viri congregationis magnæ, ςofrim, id eſt, Numerantes. Ipſi enim numerauerunt literas quæ ſunt in lege, & quęſierunt eas & expoſuerũt. Huc vſq; in Bereſſit raba, id eſt, expoſitiõe magna ſuper Geneſim.

Simile

Simile quoque habetur in libro Cifre, ſuper illud Numeri. 10. vbi ſcriptum eſt. Surge domine, diſſipentur inimici tui, & fugiant odientes te. Dicitur enim. Et nunquid habet odientes, qui dixit, & factus eſt mundus? Sed annūciat ſcriptura, quòd omnis qui odit Iſraël, pro eodem eſt, ac ſi odiat Deum: ſicut dictū eſt Zachariæ. 2. Qui tangit vos, tangit pupillam oculi ſui. Rab Yehuda. pupillā eeno, id eſt, oculi ſui, non fuit dictum, ſed pupillam eeni, id eſt, oculi mei. Ex quo in lege ſcriptū eſt, bene poteſt dici. cōtra ſurſum loquitur ſcriptura. Sed pronominat ſcriptura moderna, id eſt, loco illius aliud ſcripſit. Itē dixit R. Rahmon Treno. 3. Memoria memor eris, & tabeſcet ſuper me napſi, id eſt, anima mea. poſitum eſt loco napſeca, id eſt, anima tua, quod ſcriptum fuerat. Hæc de prima immutatione, qua dictio pro dictione ponitur.

Secūdo modo immutatio fit, qua litera ponitur pro litera, aut poni fingitur, quo fit, vt ex ſcribarū præſumptione aliter legatur quàm ſancti patres tradiderunt. Exemplum huius. Micheæ. 1. In Gad nō annūcietis ploratu, ne ploretis in domo, vel de intus ad humū, vel puluerē: aut in humo vel puluere hic pallaſti,

Secundus modus corruptendi poſita litera pro litera.

 id eſt,

id eſt, inuolui me, vel inuolutus ſum. Scribæ vero corruperũt, ac poſuerũt hic pallaſſi, id eſt inuolue te, vel ſis inuoluta. fœmininum.

2 Item Oſeæ.9. Væ eis bicuri mehem, id eſt, incarnatio mea ex eis. Sic enim erat punctuatum, Scribæ vero poſuerunt punctuantes, becuri mehem, id eſt, in receſſu meo ex eis. vnde bicuri, id eſt, incarnatio mea. eſt vna dictio deriuata de bacar, quod eſt caro. & ſcribitur cum ſin, aſperè ſonante. beçuri autem, id eſt, in receſſu meo. eſt duplex dictio be, & çuri. & ſcribitur cũ çamach, alia litera alphabeti propinquum ſonum, ſed nõ figuram habente cũ ſin aſperè ſonante. vnde volunt quòd ibi Sin ponatur pro çamach. Et ideo Rabbi Selomõ ibidem ait. Beçuri eſt de illis in quibus ſcribitur Sin, & legitur çamach. Rab. quoq; Kimhi in libro Sarraſſim idem ait. Faciunt autẽ hoc ad declinandum diuinam incarnationem peruerſiſſimi hominum.

Nec Moſes, nec Hezras punctuarunt ſcripturã. Inuẽtores pũctorum Hebraicorũ Nafrali

Sciendum autem quòd Moſes legem nõ punctuauit, nec Hezras: unde nec Iudæi habent eam punctuatam in rotulis. Sed duo Iudæi, quorum unus dictus eſt Nafrali, alter Benaſſer, totum Vetus Teſtamentum punctuaſſe legũtur. Quæ quidem puncta, cum uirgulis ſuis loco uocalium communiter habentur. Hæc autem punctuatio longè poſt Septuaginta

tuaginta interpretes. Hinc creditur quòd in pluribus Scri- & Ben
pturæ locis, aliter legerint, quàm nũc punctuata ſunt: quem Aſſer.
admodum Pſal. 109. editio Septuaginta habet, ymmcka, ne
diuat, id eſt, Tecum principium, uel principatus. Sic enim
legerunt ipſi in Hebraico. Nunc autem in punctuata editio-
ne legitur, ammeka nedauot, id eſt, populus tuus ſponta-
neus, uel principes. Similiter Pſal. 119. Quia apud te pro-
piciatio eſt. Septuaginta ita transferentes legerant, Lema
anthorah, id eſt, propter legem tuam. At ſequentes Çofrim,
ſeu Scribæ aliter, uidelicet, Lemaan tiuuare, id eſt, ut ti-
mearis. Et ſic in locis multis reperietur ſimilis deprauatio.

CAVSA *qua Moſes & Prophetæ ſancta ſua ſcripta non punctuarunt, fortè iſta eſt, ut una & eadem dictio exiſtens æquiuoca ſecundum ſui naturalem ſcripturam ſic uel ſic legibilis, diuerſas pariter eliceret ſententias ueritatis. Quum etiam una & eadem dictio uno tantum modo lecta, etiam per æquiuocationem uocis, diuerſas interdum ſententias cõtineat, quæ omnes ſi ueræ ſint, à nullo alio quàm ab ſpiritu ſancto, qui prima ueritas eſt, dicimus poſſe perueniſſe. Et hinc eſt quòd nulla canonis translatio potuit perfectè ac totaliter plenè intellectum canonis explicare. Et hæc de ſecunda immutatione, qua litera ponitur pro litera.* QuareMoſes nõ punctuauit legem.

Tertio modo, mutatio fit, quãdo vnũ legitur in Textu, & aliud extra legendũ deſignatur, aut ad expreſſionem turpitudinis euitandam, aut propter duplicitatẽ literæ repertam. Exemplũ. Eſaiæ. 36. Num ad dominũ tuum & Tertius modus corruptionis quãdo vnũ legitur in textu, aliud notatur in margine.

ad te

ad te miſit me Dominus meus ad loquendũ verba iſta, nónne magis ad homines iſtos ſedentes ſuper muros ad comedendum horehem, id eſt, ſtercus ſuum: & bibendum ſciamehem, id eſt, vrinam ſuam. Gloſa Rabbi Selomonis. Horehem eſt ſtercus egrediens de foramine inferiori. ſed lingua curiali & pulchra correxerũt Sapientes, vt legeretur. extra, çoatam, id eſt, egeſtionem ſuam. Sic enim decreuerunt Rabbotemi, quòd ſcripturæ ad vituperium incurialiter ſcriptæ, curialiter legerentur ac vrbane. Et vbi intra, ſciamehem, id eſt, vrinam ſuam, extra poſuerũt legendum, memeraglehem, id eſt, aquas pedum ſuorum.

2 Item Deut. 28. c. vbi ſcriptum eſt, bappoli, id eſt, cũ ani doloribus. Extra in margine libri poſuerunt legendum, batte horim, id eſt, cum emorroydibus, vel diſſynterijs.

3 Item ibidem, vbi Moſes ſcripſit, alius yſgalenna, id eſt, conſtrupet eam. Exterius legendum poſuerũt, iſcauenna, id eſt, iaceat cum ea. Gloſa R. Selomonis. Yſgalenna, eſt exagitatio coitus concubinæ. Et iſto modo in cæteris multis conſimilibus fit, ad inurbanitatem declinandam.

1 Exemplum ſecundi, videlicet, propter pluralitatem

ralitatem, aut duplicitatem literæ. Pſal. 9. Non
eſt oblitus clamorem aamyim, id miſerorum,
vel pauperum. Extra ſcriptũ eſt aanauim, id
eſt manſuetorum vel humilium.

Item Pſal. 10. & 21. Et anima ſua non viuet. 2
Scribitur interius, lo, cum aleph, id eſt, non.
Exterius verò ſcribitur, lo, cum vau, affirma-
tiuè, id eſt, anima ſua ipſi viuet.

Item Pſal. 99. Scitote quoniam Dominus 3
ipſe eſt Deus, ipſe fecit nos. ſequitur velocũ
aleph, id eſt, & non ipſi nos. Exterius vero,
lo. cum vau, id eſt, & ipſi nos ei.

Item Iob. 13. Et ſi occiderit me non ſpera- 4
bo. Interius eſt, lo, cum aleph, id eſt, non. Ex-
terius vero, lo, cum vau affirmatiua, id eſt, ſi
occiderit me ei, in eo ſperabo.

Item Iob. 41. Non parcam ei. &c. Hebræa. 5
Non tacebo mendacia ſua. & eſt ibi, lo, cum
aleph, negatiua, id eſt, non. Exterius verò, lo,
cum vau affirmatiua, id eſt, ei tacebo menda-
cia ſua. Huius autem farinæ multa in ſcriptu-
ra, ſuperq́ ſatis inuenientur. Et hæc de tertia
immutatione çofrim ſufficiant.

Quartus modus corruptionis, quãdo aliter ſcribitur, & aliter pronũciatur.

Quarto modo immutatio fit, quando per literas quibus dictio naturaliter ſcribitur non pronunciatur: ſed alijs ſcribitur, alijs pronunciatur.

ciatur. Exemplum, nomen quatuor literarum הוהי ſemper proprijs literis ſcribitur:tamē quia illegibile eſt, aliud nomen loco eius exprimitur. Si enim ipſum per ſe ſolum ſcribatur loco eius hoc nomen Adonai pronunciatur, quod ſignificat Dominus. Sicut ſcribitur in Maceqta qiddußin p eq aaçara yohaçin. Rabbi Auma obiecit. Scriptum eſt Exo.3. Hoc eſt nomen meum. & ſcriptū eſt ibidem. Hoc eſt memoriale meū. Dixit Dominus ſanctus & benedictus, nō legor:ſed ſcribor. Scribor em̄ per iod, he, vau, he. Et legor cum aleph, deleth, nun, iod. Adonai. Si verò nomē quadriliterum, huic nomini Adonai immediatè coniungatur: loco nominis quatuor literarū exprimitur hoc nomen Heloim, hoc eſt, Dominus Deus, ne bis Adonai Adonai dicatur. Sicut Ezech.16. Hęc dicit Adonai Iehoua, transfertur ſic. Hæc dicit Dominus Deus.

Si verò nomen quadriliterum immediatè ſibiipſi iungatur, vtrobiq; loco eius Adonai pronunciatur. vt Exo.34. vbi Moyſes Deum inuocans, bis ſine medio nomen explicat quatuor literarum. loco vero eorum bis Adonai pronunciatur. vbi Latinè ſic legitur, Domine Domine. &c. Et hæc de quarto modo immutandi

mutandi ſcripturam per tiqqim çofrim.

Quando autem hæc Scribarum immutatio patrata ſit, patet quoniam diu ante beatum Hieronymum. Cuius ſignũ eſt, quòd in locis multis Moyſi, & cæterorũ prophetarum procuſdubio veritatem plenam myſteriorum ipſe tranſtuliſſet, niſi ante eum inde abolita fuiſſet. Porro nec alibi de iſtis, ipſe mentionem fecit. Ex ijs enim quæ ad Oceanum ſcribit, videtur nunquã legiſſe Thalmuth. Labore inquit preciоq; Barrabbanum nocturnum habui præceptorem, timebat enim Iudæos & mihi alterum exibebat Nicodemum. Itaq; ſicut habuit inopiam præceptorum Iudæorum, ſic forte habuit & librorum. Præterea nondum tempore ſuo conditũ fuerat Thalmuth. Quoniam Hieroſolymitanum conditum fuit. 300. annis fere poſt ſecundæ domus deſtructionem factam per Titum. Igitur. 374. annis ab Incarnatione Dominica. Fuit autem Hieronymus tempore Damaſi PP. annis ab Incarnatione Domini. 368. vt patet in hyſtorijs Martinianis. Et Thalmuth Babylonicum, conditum fuit poſtea annis. 100. quare mirum non eſt ſi Hieronymus iſta non inuenit. In duobus tamen locis videtur fuiſſe vitiatam Scripturam Hebraicam in punctuan

Quando ſcripturæ facta fuerit huiuſmodi immutatio.

Hierony. ad Oceanũ Schedulæ. Tom. 2.

Quando conditum Thalmuth Hieroſolymitanum.

Quando Thalmuth Babylonicum.

punctuando poſt Hieronymum, quum aliter nunc habeat, quàm Hieronymus tranſtulerit, videlicet Eſa. 11. Et vocabitur nomẽ eius Admirabilis, Conſiliarius. &c. ibi eſt Scriptura, quæ ſecundum vnam punctuationem poteſt legi iſto modo, vaiqqare, id eſt, & vocabitur. Et poteſt legi iuxta aliam punctuationẽ vaiqqra, id eſt, & vocabit. Iudæi dimiſſa prima amplexati ſunt ſecundam. Simile accidit Hier. 23. Et vocabitur nomen eius Adonai, iuſtus noſter. Ibi ponitur ſimilis dictio, quæ indifferenter poteſt punctuari vaiqqra, id eſt, & vocabit. & vaiqqare, id eſt, & vocabitur. Iudæi punctuant nunc primo modo: nos ſecundo, Targum autem vtrobiq; cum Hieronymo cõcordat. Nam in primo habet & vocabitur. In ſecũdo, & vocabũt: quod idem eſt ꝙ vocabitur.

Primus Chaldaicus interpres poſt Hezram.

Hanc autem Tiqqim çofrim factam fuiſſe ante Saluatoris aduentum, imò & ante Ionathan ben Vziel, primum Chaldaicum interpretem: inde colligimus, quòd prædictus Ionathas iſtam tiqqim çofrim proſequutus eſt in ſua translatione, præterquam in duobus locis prædictis.

Hæc omnia Figuerola Valentinus vbi ſupra. De quibus etiam Porchetus in libro de victo

victoria contra Hebræos. Sed cõtra iſtam Figuerolæ opinionē, quòd ante Seruatorem facta fuiſſet Scripturarū mutatio per tiquin çofrim, & ante Ionathan quoq; ben Vziel, videtur eſſe Hieronymus in cõmentarijs ſuper caput.6. Eſaiæ. vbi ait. Quòd ſi aliquis dixerit, Hebræos libros poſtea à Iudæis eſſe falſatos, audiat Origenē quid in octauo volumine explanationum Eſaiæ huic reſpondeat quæſtiunculæ, quòd nunquam Dominus & Apoſtoli, qui cætera crimina arguunt in Scribis & Phariſæis: de hoc crimine, quod erat maximū, reticuiſſent. Sin autem dixerint poſt aduentum Domini Saluatoris, & prædicationem Apoſtolorum libros Hebræos fuiſſe falſatos, cachinnum tenere non potero: vt Saluator, & Euangeliſtæ, & Apoſtoli ita teſtimonium protulerint, vt Iudæi poſtea falſaturi erant. Hæc ille.

Arguitur cõtra Fig. opinionē.

Hierony.

Origenes.

Præterea, Dominus Scribas & Phariſæos ad Scripturarū lectionem reuocabat. Ioan.5. Scrutamini ſcripturas, qa vos putatis in ipſis vitam æternam habere: & illæ ſunt quę teſtimonium perhibent de me. Item is ipſe, incipiens à Moſe & om̄ibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus ſcripturis quæ de ipſo erant. Lucæ.24.

Argu. 2.

Præterea, Matth.23. Super cathedrā Moyſi ſederunt Scribę & Phariſęi: Omnia ergo quæcunq; dixerint vobis, facite & ſeruate. &c. Si ergo Dominus hortatur plebes ſeruare traditiones ſcripturarum, quæ legebantur in cathedris, quomodo ſcripturę falſatæ iam putabuntur à nobis? Falſatas ſcripturas docuiſſet Dominus ſeruare? Abſit. Habent, inquit, Moyſen & Prophetas, audiant illos. Luc. 17. Voces Prophetarum per omne ſabbatum leguntur, ait Stephanus Actuū. 13. Apoſtoli etiā in illo ſacro conſilio Act. 15. dixerunt. Moyſes enim à temporibus antiquis habet in ſingulis ciuitatibus, qui eum prędicent in Synagogis, vbi per omne ſabbatum legitur. Ecce habes Scripturæ lectionem approbatam, vbi nulla mentio de falſificatione. Ex quibus cōcludi videtur quòd nedum talis falſatio nō fuit ante Seruatorem ac Apoſtolos, ſed multò poſt.

Reſpōſio. Sed quoniam re oculis ſubiecta conſultis codicibus Textualibus Hebraicis, & Targū Ionathæ, ac Hebręorū quorundam dictis conſtat fuiſſe ante Ionathan aliqua ſic mutata, vti Figuerola docet, reſpondendum eſt ad argumenta duabus concluſionibus.

Prima cōcluſio. Prima Concluſio. Iudæi cōtemporanei Ser-

uatoris

natoris noſtri, errabant in intellectu ſcriptu-rarum & vero ſenſu: iuxtaq; errores ſuos con-dentes leges ac traditiones, miſerè populum à vera ſeruitute Domini alienabant.

Iudæi cæci ſenſum ignorãtes ſcripturæ.

Hæc concluſio probatur pro prima ſui parte, quòd errarent à vero intellectu Scripturarum, ex multis locis Prophetarum & Euangeliorum. Ad cuius clariorem notitiam, Conſiderandum (vti Origenes tradit Hom. 11. ſuper Numeri) quòd omne Synagogæ exercitium, omniſq; ſcriptura eiuſdem, in quinq; reſoluebatur, videlicet. Legem, Mandatum, Præceptum, Iuſtificationes, ſiue iudicia, & Teſtimonia. De quibus Pſal. 118. totus agit.

Hiero. quoque ſuper Amos. 2. in verbo. ſup 3. ſcelcribus Iuda

Circa legem errabant Iudæi, neſciẽtes ſcripturas; Matth. 22. non intelligentes reſurrectionem mortuorum, ibi intimari: vbi quàm ſæpiſſime dicitur Deus eſſe Abrahã, & Iſhac, & Iahacob. Siquidem propoſita quæſtione de nupta ſeptem fratribus ſucceſſiuè mortuis, cuius eſſet futura vxor, ſi reſurrectio futura eſſet.

Error in lege.

Reſpõdit Dñs. Neq; nubent, neq; nubentur in reſurrectione. Præterea. Si crederetis Moyſi: crederetis forſan & mihi. Ioã. 5. Vbi Lyranus notat in ſcripturis clariſſimè legi & tempus aduentus Meſſiah, & locum natiuitatis, &

modum, de virgine ſcilicet: modumq́; conuerſationis, & mortis. Ecce vt in fide errabant, legem ignorantes, ſenſumq́; Scripturæ alior-ſum detorquentes, quàm phraſis clamabat.

Error in mãdatis. Circa mandata quoq; errabant Iudæi, quia irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram. Matth. 15. Peruerterãt ſiquidem mandati de honore parentum intelligentiam, argutantes, priora eſſe donaria ad templi vſus, ſubuentione parentũ, quamlibet calamitoſorum, quum templi Dominus pater verior ſit quocunq; carnali progenitore.

Error in præcepto. Circa præceptum (quod Sabbati obſeruantiam cõtinebat) errabant etiã, vt patet Matth. 12. vbi Dominus refellit prauam emulorum ſuorum, quòd in ſabbatis curaret obſeruantiũ pertinaciam, ex eo quòd Sacerdotes in Templo Sabbatũ violarent, & ſine crimine eſſent. Item ex eo quòd in foueam ouem deciduam Sabbato vnuſquiſq; ſine peccato tollit. itaq; licet & Sabbatis bene facere, & animas ſanare. & mederi corporibus.

Error in iuſtificationibus Circa iuſtificationes etiam (quæ in purificationum legitimarum obſeruantijs, cæteriſq́; legalibus ritibus conſiſtebant) errabant miſere, putãtes eas ex ſeipſis ſolis poſſe iuſtificare

reos.

reos. Vnde & ſummopere adnitebantur oſten tare harum ceremoniarum eſſe obſeruatores, multiplicantes lauacra, & manuum,& vtenſi lium omnium, rati propterea iuſtificari. Contra quod Baptiſta inuectus. Matth. 3. & Luc. 3. Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fu gere à vẽtura ira. Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Dominus etiã Matth. 5. & 7. Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorũ, non intrabitis in regnum cœlorum. Item Matth. 6. Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus. &c. Item. 23. Væ vobis cæcis, qui mundatis quod de foris eſt calicis & paropſidis, intus autem pleni eſtis rapina & immunditia. &c.

Circa teſtimonia ſimiliter errabant (erant autem comprobantes pactum diuinum, rerũ euentus) Ioan. 12. Cùm autem tanta ſigna feciſſet coram eis, nõ crediderunt in eum: vt ſermo Eſaiæ impleretur, quem dixit. Domine quis credidit auditui noſtro. &c. Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum. &c. Error in teſtimoniis.

Itaq; conſtat erroneos habuiſſe ſcripturarũ circa ſupradicta quinq;, intellectus, cõtemporaneos Chriſto Iudæos. Propter quod & monuit Dominus diſcipulos ſuos cauere à fer-

mento Phariſæorū.quod eſt doctrina. Matth. 16, Mar.8.& Luc.9. Patet igitur prima pars concluſionis.

Iudæi iuxta errores ſuos leges condiderunt.

Secunda pars concluſionis,quod ſecundū prauum intellectum ſcripturarū condiderint traditiones ac leges iniquas ſcribæ.deducitur ex eo quod Dominus ait. Cæci ſunt,& duces cæcorum. Matth.15,vbi notatur peruerſa doctrina eorū. Item ibidem. Irritum feciſtis mandatū Dei propter traditionem veſtram. De quo Burgenſis in prologo Bibliæ,reſpōdens obiectioni cuiuſdā fratris Minoris, multa tradit. Argumentabantur malis ſylogiſmis Scribæ,dandum eſſe propter quamcunq; cauſam libellū repudij,ſic deducentes. Deut. 24. Si homo exoſam habuerit propter fœditatem vxorē, dimittet. Eſt enim quælibet fœditas potens cauſare odium. Sed quæcunque cauſa valens ad odium, æqua eſt cum fœditate. quælibet ergo cauſa in homine diſplicente & ab vxore abhorrente.ſufficiens eſt ad diuortium. Ecce libelli repudij regulam ſtabilitam & legem: ſed iniquam.

Vide Burgen. ſcilicet ſuper Deut.24. & Matth. 19.

Præterea de vſuris legem tulerant, iuſtificantes eas quæ cum incircunciſis exercebantur. Sic enim argumētabantur. Deut.23. Non

fœnera

fœneraberis fratri tuo ad vſurã, pecuniã, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, ſed alieno. Debẽtur nobis huius terrę omnia bona. poſſumus ergo quomodolibet ea nobis vindicare: ſed per vſuram poſſumus ea acquirere: poſſumus igitur vſuris comparare. En vt cauponabantur verbum Dei, aquam miſcentes vino. Propter quod iam olim miſerat Dominus virgam ſuã, videlicet, Sennacherib, ſuper iniquos legislatores. Eſaiæ. 10. Væ qui condunt leges iniquas, & ſcribentes, iniuſtitias ſcripſerunt. &c.

Secunda concluſio. Mutationes factæ ante Chriſtum, extendebant textus ſententiam ad ea quæ vtilia commodaq; moribus pro tempore exiſtimari poterant. Illæ autem quæ poſt fidei catholicæ prædicationem à Rabinis factæ ſunt, ad ſubuerſionẽ veri ſenſus pro Chriſtiani dogmatis odio, factæ ſunt. Secundæ cõcluſio. Non omis mutatio in lege intollerabilis eſt.

Huius cõcluſionis pars vltima, primo (quia facilior eſt) ſic deducitur. Tempore Hieronymi habebatur Eſaiæ. 11. in textu Hebraico. Et vocabitur nomen eius Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis. &c. Vbi eſt ſcriptura quæ ſecundum vnam punctuationem legitur iſto modo. Vaiqqare, id eſt, Et vocabitur. Secun-

dum quam lectionem cõprobatur quòd Meſſiah ſit Deus: quia dicit Textus eum vocandum eſſe Deum, nomine propriè ad Deũ pertinente. Et ſic legit Targum cõcordans cum Hieronymo. Sed quoniam moderniores Iudæi vrgebantur autoritate iſta, aliam in legendo punctuationem tenuerũt, videlicet, legentes, vaiqqra, id eſt, & vocauit. vt transferant nomina illa, Admirabilis, Conſiliarius, Deus. &c. ad vocantẽ Deũ: nõ ad vocatũ Meſſiam.

Quare Rabini textũ peruerterunt.

Simile habetur Hiere. 23. Et vocabitur nomen eius Adonai, Iuſtus noſter. &c. vbi vaiqqare, id eſt, vocabitur, permutant in vaiqqra, id eſt, vocabit. vt effugiant Chriſtiana dogmata, argumentaq; concludentia aduerſus prauitates ſuas. Vtrobiq; tamen in Targum legitur ſicut Hieronymus tranſtulit, & nos habemus. Iudæorum autem codices vtroq; loco falſatæ leguntur. Et ſic quod in duobus adduximus exemplis, licet experiri locis alijs multis in Hebraico textu modernorũ Iudæorum.

Nota impiã Iudæorum temeritatem.

Ad tantam autem dementiam poſteriores Iudæorum Rabini deuenerunt, vt ad ſuas falſitates palliandas, in plerisq; locis Thalmuth, multa ſacræ Scripturæ verba aliter legere præcipiant, quàm à ſanctis patribus tradita ſunt.

De qui-

De quibus vnus eſt in Maceqta bakot, in pereq harroe. Qui cognouerit puellam deſponſatam in ſomnio, ſperet cōſequi legē. Sic enim dictū eſt Deut. 33. Legem præcepit nobis Moſes hæreditatem. non legas Moroſa, id eſt, hæreditatem: ſed Moroça, id eſt, deſponſatam. Contra hos prophetauit Hieremias. 8. Quomodo dicitis, Sapientes nos ſumus. & lex Domini apud nos eſt. veruntamen, leſſequer, id eſt, ad fraudem, vel falſum, vel mendacium, egit ſtilus falſus ſcribarum. Vide Adrianum Finum libro nono flagelli ſui contra Iudæos de falſitate ſcripturæ legis in Thalmuth.

Nunc primam concluſionis partem proſequamur: vbi oportet oſtendere permutationes factas ante Chriſtum, propter imbecillitatem ingeniorū pro tempore illo, tollerabiles quandoq; fuiſſe. Id autem ſic deducitur. Si Septuaginta interpretibus nō vertitur in calumniam quòd locis quibuſdam myſteria occuluerint, ne illegi homini paterēt archana fidei, quæ in ſcandalū illi forent. Licuit identidem & poſterioribus Scribis ſapientibus, loca myſteriorū ſignare. ne fierent in ſcandalum genti aliàs ad idololatriam pronæ. Quantūuis eñ aliter legere docerent, quàm textus haberet, Quædam textus mutatiōes ante Chriſtū tollerabiles.

non tamen de textu quicq̃ eradere temerariè auſi fuerunt ante Seruatorem. Ideoq; in communi ad vſus promiſcuę multitudinis ſcriptura, fluxus orationis ſecundum aptationes tiquim ſofrim procedebat. In ſacratioribus vero libris, textus purus habebatur, cum marginalibus aptationibus tiquim ſofrim. Remittimus autem prudentes & ſcientes ad vniuſcuiuſq; loci aptationes, lectorem amicū, vt ipſe huiuſmodi noſtræ adnotationis faciat experimentum: vt animaduertat non ſine cauſa potuiſſe tunc fieri: propter quod Dominus verbum nullum de mutatione tali tiquim ſofrim fecit aduerſus ſcribas & phariſæos.

Ex ſupradictis, conſiliantur autoritates, quę videntur in Euangelijs pugnare. vti ſunt, quę dixerint ſeruate & facite. &, cæci ſunt ac duces cæcorum. cauete à doctrina phariſæorū. Nam quantum attinet ad ea quæ in cathedris legebantur, quæ ad iuſtificationes pertinebant, in legalibus expiationibus, & ſimilibus, quamuis grauaretur in bonis, plebs, iuuabat tamen vel ſic obedire presbyteris. Cæterū extra iuſtificationes, in his quę ad mandata, pręceptū legem ac teſtimonia pertinebant, cæci erant & cauendi ſcribæ cum phariſæis. & de ijs ſatis.

Igitur

Igitur redeundo vnde digreſſi ſumus, editionem Septuaginta interpretum retinuit Sancta mater Eccleſia, Gręcam quidē ipſam Grææ prouinciæ, vti patet in operibus Dionyſij. Nam meminit Pantheræ, quod habes Oſeæ 5. in editione Septuaginta. Apud noſtram autē editionem nuſquam. Latinæ autem prouincię tranſlationem ab hac editione Græca, vti Auguſtinus ait lib. 18. de Ciuitate Dei. ca. 42. Hæc igitur prima nobis computatur editio, videlicet, quia licet Chaldaica illa præceſſiſſet interpretatio, vna vel plures, videlicet primum ab Hezra, poſt à Ionatha: tamen nihil ad nos de illa. Agetur autem poſt, quis fuerit primus autor Latinæ tranſlationis, ac cæterarum poſteriorum ex Græca Septuaginta.

De Secunda editione in Græcum.

Secunda editio in Græcũ ita facta fuit, iuxta Theodoritum. Aquila quidam Sinopeus è Ponto, quum eſſet prophanus, baptizatus eſt Hieroſolymis. Quumq́ in prophanorum gentiliumq́ moribus iterũ volutaretur, obiurgatus eſt à pręconib⁹ gratię. Propter quod affectus dolore, tanquam canis ad proprium vomitum eſt reuerſus. Execratusq́ Chriſtia- *Secunda editio. Theodoritus.*

nifmum,

niſmum,& ad Hebræos ſe recipiens, interpretatus eſt & ipſe diuinas ſcripturas, ſub Adriano Imperatore leproſo, poſt editionē Septuaginta, anno. 430. doloſo ac peruerſo animo. Hæc Theodoritus.

Hic Aquila verborū proprietati quàm maximè inſiſtens, quandoq; verborum portenta excogitauit: propter quod irridetur à Hieronymo, libro de optimo genere interpretandi. Ita quòd abſurdum exiſtimat, nimis inſiſtere proprietati verborum, vt inde veſtigetur ſenſus eruendus, renitente interim ac reclamante contextu lectionis. Negat autem Fabius à nomine duci idonea argumenta: quamuis valeant in exhortando, veluti, ſi quis Carolum Imperatorem noſtrū exhortetur ad ſuſcipiendam expeditionem aduerſus Turcas, & dicat. Carolus es, Carolum agas oportet. Sic in diuinis literis, valet quidem à nominibus ſumptus ſenſus myſticus, in Moralibus præcipuè. At non vniuerſaliter. Sed cum modis ac formis, ne quid nimis. In literali autem ſenſu, nō ita. Abſurdum enim eſt, vt ex nominibus Latinis aut Græcis, ad quæ translata eſt Scriptura, quæratur argumentum. Sed neq; vniuerſaliter in Hebræis id quærere licet. Sed tantum

Hierony.

Q. Fabius Mar.

in locis

in locis aliquot, vbi & veneranda religione ſubolentur incluſa myſteria, & perſcrutata fru ctuoliſſime eruuntur, quemadmodum ſupra dictum eſt, de M clauſo. De quo Alſonſus Zamorenſis in Epiſtola quam ad Hebræos Romæ cōmorantes. cap. 4. Item & de dictiōe illa nazijr, quæ ſignificat Nazarenū, in Eſaiæ. 11. Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. Ibi verbū, flos, dicitur Hebraicè Niçah, quod non ſignificat Nazarenū, ſed florem. Tamē in illo verbo Hebraico niçah, erat nota cōprehendens etiam ſignificationem nazir, id eſt, Nazareni. Adducitur autem hæc Eſaiæ autoritas à Matthęo. cap. 2. ſic completa, vt quaſi de Nazareno loquatur. Sic ait Adrianus Finus. lib. 2. cap. 11. Item lib. 6. ca. 18. quū tamen Septuag. non tranſtulerint Nazarenus, ſed flos, ſicut in editiōe vulgata habetur Eſaię. 11. Hęc iuxta Hieronymū, de optimo genere interpretandi. Alijs tamē aliter videtur. videlicet, quòd Matthæus loco adducto, nullum ſpecialiter prophetam referat dicentem, vocandum Meſſiah Nazarenum: ſed generaliter cōmune Prophetarū dictum: vocandum ſcilicet Meſſiah ſanctum, quod per verbū Nazarenus ſignificatur: propter quod non

Alfon. Zamor.

non dixit Matthæus, vt adimpleretur quòd dictum eſt per prophetam, quaſi in ſingulari: ſed per prophetas, quaſi in plurali. Habetur autem quòd ſanctus dicẽdus eſſet Meſſiah Pſal. 131. Super ipſum efflorebit ſanctificatio mea. Danielis etiam. 9. Vngatur ſanctus ſanctorũ. &c. Hæc Aymo refert Sermone de Sanctis Innocentibus. Et Burgenſis Additione. 2. ſuper Matth. 2. Et hæc de ſecunda editione.

Aymo. Burgẽn.

De Tertia editione, in Græcum.

Tertia editio in Græcum.

Tertia editio fuit Symmachi. De quo Theodoritus ait. Is cum eſſet Samarites, magiſtratuum honorũq; cupidus, plenuſq; faſtu: nec à propria gẽte ad honores aſcitus, refugit ad Iudæos: iteratoq; circunciditur. Et ad euerſionem Samaritarum ſcripturas & ipſe interpretatus eſt, ſub Seuero. Hæc Theodoritus.

Habes igitur Symmachũ, bis circunciſum, nunquam Chriſtianum: qui & edidit ad euerſionem ſuæ gentis libros Sacros. Diſcrepant enim libri Samaritarũ à libris Iudæorũ: multaq; vel minus erant, vel plus quàm in Hebraica lectione, vt interdum oſtendit Hieronymus, quale illud eſt. Dixitq; Cain ad Abel. Egrediamur foras. quod non eſt apud Hebræos: ſed erat in libris Samaritanorum. Vt

enim

enim eorum ſcripturas,quos oderat,oſtende ret eſſe mendaces,tranſtulit ad Grçcos,oſtendens quantum errarent in Scripturis Samaritç. Hæc de tertia editione.

De editione Quarta, in Græcum.

Quarta editio fuit Theodotionis,de quo ait Theodoritus. Is erat ex hæreſi Marciani Pontici,& in euerſionē ſuę ſectę edidit ſcripturam ſub Comodo Imperatore. Hęc Theo. Quarta editio. Theodo.

Itaq; has editiones,licet quandoq; Grçci ſcriptores in interpretando ſiue declarando textu, citent,& cōbinent, ac conferant cū editione Septuaginta,ſicut & Hieronymus nō infrequenter facit, tamen nunq̃ eas ita amplexi ſunt, vt editionem Septuaginta relinquerent. Quod ſatis perſuaſibiliter Aug. Eugubinus tractat,in eo quem edidit libello, vtrum vulgata editio ſit Hieronymi. Hæc de.4.editione. Aug. Eug.

De editione.5.6.&.7.

Sequutę ſunt has quatuor editiōes alię quoque tres:quarum duarūquum ignorentur autores,a prima editione Septuaginta interpretum, vocatę ſunt Quinta,& Sexta. Poſt has Luciani Martyris,ſeptime nomen ſortita eſt, de quibus Theodoritus ſic. Editiones 5.6.&7. Theodo.

Quinta

Theodoritus. Quinta editio in dolijs eſt reperta ſub Caracalla Imperatore in Hierico. Similiter & ſexta in dolijs eſt reperta abſcondita, ſub Alexandro Mammeę Imperatore in Nicopoly Aquilonari. Hęc ille.

S. Lucianus doctor inſignis ac martyr. Septima editio eſt Sancti Luciani, magni illius militis ac Martyris, qui ſuperiorib⁹ editionibus inſiſtēs, tum & Hebraicis ſe tradens, diligenter quę deeſſent, quęq́ redundarent, & quę á cathalogo veritatis procul eſſent, correxit in proprijs ſcripturę locis. Edidítq́ Chriſtianis fratribus. Quę editio poſt eius certamen & martyrium, deſeruente Diocletiani & Maximiani inſania, reperta eſt propria manu ſcripta in Nichomedia, ſub Conſtantino Imperatore, apud Iudęos, in turri parua marmorea calce illita. Hęc Theodoritus.

Suidas. Suidas autem ſcribit Lucianū tranſtuliſſe, obuiamq́ ire voluiſſe corruptioni á temporibus, crebrisq́ tranſcriptionibus, tum malis hominibus, in exemplaria illate. Eumq́ fuiſſe Syrum, ex Samoſatis.

Reſolutio translatio nū ſcript. Ecce igitur editiones omnes Grecas ex Hebraico ante Hieronymū. Itaq́ (quantū ſciam⁹) Sacre ſcripture ante Hieronymum verſe fuerunt de Hebraico in Chaldaicum, ter. Et de

Hebraico

Hebraico in Græcum, ſepties. Translatæ ſiquidem fuerunt in Chaldaicum, primo, ſtatim poſt Hezræ legis reparationem: vt dictum eſt ſupra. Secundo, ab Ionatha, parum ante Chriſtum. Tertio, ab Ankelos, parum poſt Chriſtum: vt iam ſupra Annotatione. 5. dictum eſt. In Græcum vero, primo à Septuaginta interpretibus. Secundo, ab Aquila. Tertio à Symmacho. Quarto à Theodotione. Quinto, & Sexto, ab incertis autoribus. Septimo vero, à Luciano.

De Origene.

Fuit autem Origenes temporibus Alexandri: qui ſtudioſiſſimus Sanctarum Scripturarum primum, editionem Septuaginta interpretum ſcribens, infarciensq́ in ea Theodotionis editōnem, aſteriſcis & obelis repleuit. videlicet vbi quid Theodotionis habebat pluſquam Septuaginta, ibi aſteriſcū ponebat: notam videlicet illuſtrationis, qua fiebat magis perſpicua ſentētia, quàm Septuaginta trāſtuliſſent, vbi verò ipſorum Septuaginta editio, in quoquam reddundabat, habens videlicet plus quàm Theodotio vertiſſet, ibi iugulū ſupponebat obelum. Sic autem ait Hierony- (Origenis ſtudiū in ſcripturis ſacris.)

mus in præfatione ſuper Hezram, quæ incipit, vtrum difficilius.

Poſt hæc, vſus eſt meliori conſilio: videlicet vt intactas quatuor editiones, quæ pro tunc habebantur, in eadem carta ſcribens, vnam è regione alterius, ſingulam columna ſingula. Tetraplas fecit, Sic ait Hieronymus, in præfatione ſuper Paralipomenon, quæ incipit. Si Septuaginta. Aut certè. Tantus & talis.

Poſtea vero ad emulationem Origenis ardente diuinarum literarū ſtudio, publicatisq; Quinta editione ac Sexta, quæ tunc innotuit, etiam Origenes has addens prioribus de Tetraplis Exaplas fecit, id eſt, libros ſex colūnis in vnaquaq; carta, continentes editiones ſex.

De editione Latina.

Editio Latina. NVNC AD noſtram Latinam translationem veniendum eſt. Certum eſt autem ante Aquilæ editionem fuiſſe fundatam Latinā Eccleſiam: quia quamprimū in Antiochia ceptum fuit nomen Chriſtianum. vt Actuum. 11. Eccleſia ſuſcepit magnū incrementū. Ibi ordo decātandi laudes diuinas ab Apoſtolis inſtitutus: vti credibile fit. Nam ex eo quod Auguſt. ait dici Chriſtianos à Chriſmate, & ex eo quòd

in

In Actis legitur, Antiochiæ primùm ceptum hoc nomen, combinantes hæc, dicimus, ibi primum fuiſſe inſtitutum vngere Baptizatos Chriſmate ſancto. Quum etiam ibidem, Petro in cathredam exaltató, ornatum ac ſplẽdorem ſuſcepiſſe ſanctum Euchariſtiæ Sacramentum intelligamus. Conſequens eſt, vt lectiones ſanctarum ſcripturarum accitas ad vſum Eccleſię exiſtimemus. Licet nondum vſus orandi alternatim introductus fuiſſet in Eccleſia, quum poſtea Flauianus & Deodatus Hieronymo ſynchròniomi id præſtiterint, choros pſallentium, in duas partes diuidentes.

Decor & ornatus ſacramentalium, in ſacramentis Baptiſmi & altaris quando & vbi cœpit

Qui choros cantantium diuiſerunt.

Fuit igitur vſus ſanctarum lectionum in Eccleſia Græcâ.

At Petrus veniens Romam, nutuq; diuinó in eam tranſferens Apoſtolicám ſedem, vt Ioan. Eckius latè proſequitur in ſuo de Primatu Petri tractatu, tranſtulit etiam ordinẽ, lectiones ſanctas recitandi auribus Latinis. Itaq; inſtituta ac fundata Eccleſia Romana diſperſisq; per Italiam Apoſtolicis fundatoribus: commorantibus in Hiſpania Iacobi diſcipulis Cæſarauguſtæ, Tarraconæ, Toleti, Illiberi, Compoſtellæ, ac finitimis regionibus mari mediterraneo, neceſſe fuit, ad ſacramen-

Eckius.

torum communionem & vſum Latinas lectio nes fuiſſe, in ijs prouincijs, quæ Latinam linguam recipiebant, Græcam autem non ita. Tranſlatum igitur fuit Teſtamentum vetus in Latinum: tranſlatum quoq; temporis diſcurſu & nouum, quod Græcè primū editum eſt, propter eius linguæ communitatem, maiori fermè parti gentium Chriſtianarum. Dictum eſt autem Annotatione. 6. Marcū Latinè edidiſſe ſuum Euangelium.

Quis fuerit primus interpres latinus ſacræ ſcripturæ.

Quis autem fuerit autor eius editionis dè Græco in Latinū, nō conſtat. Quicunq; autē is fuerit, certū eſt, ipſum tranſtuliſſe de Septuaginta editione: quū adhuc aliç trāslationes nō eſſent, quç poſt latinam editionē factæ ſunt, de Habraico in Græcū. Nam prima earū poſt editionem Septuag. fuit Aquilæ, anno ab incarnatione Chriſti. 124. vbi vides, q̄ nō ſic potuerit fuiſſe vt ijs temporibus Eccleſia Latina, non habuerit ad vſum Latinam editionem.

Quādo Eccleſiæ diſtributæ fuerint. & Epiſcopatus.

Veruntamē opinātur quidam, quòd quum temporibus Conſtantini fuerint Eccleſiæ diſtributæ, aſſignatiq; limites Epiſcopatuum per orbem Romanum, vti conſtat factum in Hyſpania, ex libro Chronicon Inclyti Regis Alfonſi, quando in nobili Illiberitana ciuitate,

Alfonſus Rex.

quæ

quæ nunc Granata dicitur, celebrato Conſi-lio, multa circa decorum Eccleſiaſticũ ſancita ſub eo Imperatore Conſtantino fuerunt. Ce-ptus ordo cantandi pſalmos per horas diei diſtributos, ceptusq́ʒ veſtium linearum alba-rum ſuperpelliceas vſus, donante Conſtanti-no ad decorẽ Eccleſiaſtici cõuentus, quumq́ʒ tunc fuerit Luciani editio etiam inuulgata: correctiſſima quidem ac terſa. ſed & ſanctiſſimi Chriſti martyris, quòd pro inſtituendo cleri ritu in cantando laudes diuinas horatim in Eccleſia, facta fuit de nouo alia Latina transla-tio, ab illa Græca Luciani editione: ſaltim libri Pſalmorum, ordinatione Conſtantini ſimul & Syluestri. Conſequenter dicunt, manſiſſe in Eccleſia Lucianæ editionis translationem La-tinam in pſalmis, vſqʒ ad præſens.

Quãdo de cus Eccleſiæ ceptũ.

Editio pſalmorũ quę in vſu eſt, de Luciani trãſlatione.

Hoc autem quum non poſſit ſtabiliri per collationem editionis noſtræ quam in Pſalmis habemus, cum ipſa Luciani editiõe, quæ nõ ha betur: nec etiam ex ſcripturis id aſſerentibus quæ indubiè ſint, tamen ſic opinantes conan-tur id coniecturis ſuadere, videlicet, quia hæc qua vtimur translatio Pſalmorum, nõ eſt Se-ptuaginta interpretum, quod infra tractabitur, ergo eſt alicuius alterius editionis Grecanicè.

de nulla autem potuit haberi ſine ſuſpitione aſſertio,niſi de Luciani editione,vt transferretur in vſum tunc inſtituendum.ergo relinquitur quòd ſit Luciani.Solus enim Lucianus peritiſſimus ſimul & ſanctiſſimus.Reliqui perfidi omnes & animo malo

Fortaſſis autem verum fuerit,quòd Antiochena Eccleſia ſuſceperit editionem Luciani,quo tempore reuelata fuit ſub Conſtantino.

Hierony. Nam & Hieronymus ait in prologo ſuper Paralipomenon.Si Septuaginta.Quod Alexandria & Aegyptus.in Septuaginta ſuis Eſychiũ laudat autorem. Conſtantinopolys, vſq; Antiochiam Luciani Martyris exemplaria probat, mediç inter has prouinciæ,Paleſtinos codices legunt,quos ab Origene elaboratos, Euſebius & Pamphilus vulgauerũt.Totus q; orbis hac inter ſe tripharia varietate compugnat. Hæc Hieronymus. Itaq; in Eccleſijs legebantur in diuinis officijs lectiones,de editione Septuaginta emendata cum editione Theodotionis, admixtis aſteriſcis & obelis opera Origenis.vt alibi etiam ait idem Hieronymus,ſignanter in prefatione ſuper Hezram,

Scrupulus notandus. quæ incipit. vtrum difficilius.Quod certè mirum eſt,Sumpſiſſe videlicet ſanctam matrẽ

Eccleſiam

Eccleſiam ad legendũ in templis, hæretici ho minis additiones, aſteriſcis notatas, ad editionem Septuaginta. Sed quoniã ex crebra tranſlatione, tranſcriptionéue exemplariũ, in pleriſq; locis corrupta ſcriptorũ vitio reperiebatur ipſa editio, æquanimiter id paſſa eſt, curante Origene, vti ſupradictum eſt. Sic enim ait Hieronymus ad Suniam & Fretelam. Quia enim editio illa κοινὴς, cõmunis videlicet, corrupta fuerat, Origenes primum exaplis vſus eſt. Dein Euſebius Cæſarienſis, omnesq; Eccleſiæ tractatores hanc in ſuis tractatibus ſecuti ſunt, quaſi incorruptã Septuaginta tranſlationem, ſeu malis, reſtitutam.

Diluitur.

Hierony.

Exaplarũ introductus vſus in eccleſia.

Sed & ipſe idem Hieronymus, in trãſferendo libros, quos tranſtulit in latinũ, hanc eandem Septuaginta editionem in exaplis Græcis ſequutus eſt. Et hinc eſt, quòd transferens latinam editionem ab hac exaplarum editiõe, iuxta Septuaginta correcta, inuenit multa diſcrepantia ab editiõe latina vulgata, quę olim facta fuerat ab illa cõmuni editiõe Septuaginta in exemplarib⁹ priſcis, nõ omnino ſynceris.

Recepta nanq; editiõe latina, quicunq; eius fuerit autor, de græco transferens in latinum, poſtquam aliæ natæ fuerũt mundo translationes

Vnde diuerſæ locorum eorũdẽ citationes apud Doctores.

nes Græcæ ab Hebraico factæ: fuerunt etiam multi Latini vtriuſq; linguę aliquantum periti inter Chriſtianos, tēporibus illis duris perſequutionum, qui voluerunt vertere in latinum, illas nouas translationes Gręcas factas ab Hebraico. Fueruut autem hi plures quàm recenſere ſit hic propoſitum. vnde factum eſt, quòd pace data Eccleſię, inſurgentibus doctoribus plurimis, tam inter Græcos, quàm inter Latinos, ſuper textū Bibliæ ſcribentibus, generaliter vel particulariter, vel certè de rebus alijs agentibus, ſeu homilias facientibus ad mores Chriſtianorum componendos, diuerſe tractarūt eaſdem autoritates. ſecundum videlicet diuerſas translationes. Quo fit vt videamus etiam nūc in libris iſtorū qui manſerunt, tam diuerſe referri autoritates & locos ſacræ ſcripturę: dum vnus ſequutus fuit editionem vnam, & alius aliam, quæ plures fuerunt ac diuerſæ. Patet hoc primū de loco illo Ezech. 18. Quacunq; hora peccator ingemuerit, vita viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius quas operatus eſt, nō recordabor. Sic enim legit & tractat Haymo, ſermone Septuageſimę. & Dñicę. 3. poſt Pentecoſten. Sic Auguſtinus in locis multis. Sic Fulgentius

Haymo.

Auguſt.

tius Epiſtola.7.ad Venantiam, de recta pœnitentia. Theodoritus quoq;, & alij pleriq; docto res. Hæc inquam loci eius relatio dedit anſam Scholaſticis Doctoribus, qui poſt venerunt, ad multos ſyllogiſmos cōponendos, faciendo vim in verbis illis, quacunq; hora. & in verbo, ingemuerit. Sed alij Scholaſtici quibus placitum aliorū nō placuit, ad translationes alias recurrentes, & nō inuenientes ſic literam textus habere, deſtruxerunt priſcorum poſitionē, & aliā conati ſunt ſtatuere. Videſūt nanq; ſic habere apud nos iam vulgatam editionem. Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iuſtitiam, vita viuet & nō morietur.

Secundo patet propoſitū, præcipuè in Pſalmis, qui vt frequentius in Eccleſia decantantur, ita multiplicatis tractatoribus cōmentati ſunt. In quibus cōmentarijs, mirum quàm diſcrepent aſſumpti textus. Itaq; diu penſata diſcrepantia, ſæpiusq; ab Epiſcopis tractata, relata eſt ad Pontifices ſummos.

De beato Hieronymo.

Tandē iniunxit Hieronymo Damaſus PP. vt interpretaretur de Græcis exemplaribus primum, *Hieronymi labores in editionibus ſcripturæ.*

primum, teſtamentum Nouum: vel certè diſcuſſis translationibus, vtra verior eſſet decerneret. Hieronymus autem conſultis exemplaribus Græcis, translationem antiquam reſtituit: locis tantū quibuſdam immutatis, vbi non poterat diſſimulari. Cęteris autē vti prius manebant, intactis: quantūuis potuiſſent limatiori, politioriq́ latinitate reddi. vti gratia exempli, verbū illud eſt, manicabāt, apud Luc. 21. cap. in fine. de his autem ipſemet Hieronymus ſcribit in ea præfatione. Nouum opus. quam ad Damaſum ſcribit ſuper quatuor Euangelia.

Recognouit igitur Teſtamentum Nouum Hieronymus, & ad Græca exemplaria, in quibuſdam reſtituit locis, ab imperitis trāſcriptoribus vitiatis, vbi non poterat id diſſimulari. Nec auſus eſt nouare quicquam in cōmuniter recepta lectione: quamuis in aliquibus exemplaribus aliter inueniret. vti de loco illo Matth. 13. patet. vt adimpleretur quod dictum erat per Prophetam. Nam aliter in aliquibus codicib⁹ legebatur, videlicet, quod dictū erat per Aſaph prophetā. De quo ipſe Hierony. ſuper Pſal. 77. ſi modo cōmentaria ea Hiero. ſunt. Agit de his Adrianus Finus. lib. 6. cap. 26.

Hierony.

Adrianus.

Vetus

Vetus autem Teſtamentũ bis tranſtulit totum, licet aliquot libros ter aut quater refinxerit. De quibus dicendũ eſt in præſentiarũ.

Primũ quidem tranſtulit Vetus teſtamentum è Græco in Latinũ: quia codices latini locis pleriſq; corrupti erant vitio tranſcriptorũ, temeritateq; imperitorũ. Dicit enim in Epiſtola ad Lucinium Beticũ, quæ incipit. Nec opinanti mihi, ſe emendaſſe diligentiſſime editionem Septuaginta. & etiam Nouum teſtamentum, Græcę reddidiſſe autoritati.

Prima translatio Hiero. de Græco in Latinum.

Tranſtulit autem è Septuaginta editione, collatis interim, & textu Hebraico, & editionibus Theodotionis (vti Origenes fecerat) & Symmachi: apponens illi translationi obelos & aſteriſcos: videlicet vbi editio Septuaginta amplius habebat, quàm in textu Hebraico cõtinebatur, ibi Hieronymus tranſferebat quidẽ quę Græcè habebantur à Septuaginta, verum ſupponebat illi redundantiæ, obelum. At vbi quippiam editio Theodotionis lucidius habebat: idipſum immiſcebat Hierony. ſed affigebat ibi aſteriſcũ: notam videlicet appoſitionis de alia translatiõe. Id autẽ notum eſt, ex appoſitis præfationibus ſingulis penè libris Canonicis, in quibꝰ horũ obelorũ & aſteriſcorũ mẽtio fit.

Poſt

Secunda tranſlatio de Hebraeois in Latinum.

Poſt hæc, quoniam nondũ plenè ſatis factũ erat ſtudioſis, Noui Teſtamẽti loca ad veteris teſtamẽti libros, referentibus, vt ipſemet Hieronymus repetit, proferens illud. Ex Aegypto vocaui filium meum, & ſimilia: vertit totum Teſtamẽtum ex Hebraico in Latinum. exceptis libris Baruch, Sapientię, & Eccleſiaſtici, ac Hieremiæ Epiſtola.

Aug. Eug.

Dę quibus Auguſtinus Eugubinus, in tractatu, vtrũ vulgata editio ſit Hierony. rationem reddit, videlicet quia ſicut in prologo Galęato recenſens canonem librorum ſanctorum apud Hebręos, hos libros dicit eſſe extra Canonẽ, non curauit eos transferre, ſed manſerunt ex antiqua translatione.

Hierony.

De his autem duabus Hieronymi translationibus, poteſt clariſſime certitudo haberi, ex Epiſtola qua Hieronymus reſpondet Auguſtino, quæ incipit. Tres ſimul Epiſtolas, vbi dicit, ſe primum tranſtuliſſe è Gręco, poſt vero ex Hebraico. Item aduerſus Ruffinum ſcribens, ſic ait. Ego ne cõtra Septuaginta aliquid ſum loquutus, quos antę annos plurimos, diligentiſſime emendatos, meæ linguę ſtudioſis dedi? &c. ſequitur poſt. vnde me putabam, benè mereri de latinis meis, & noſtrorum addiſcendum animos concitare, quod etiam Græci

verſum

verſum de latino poſt tantos interpretes non faſtiunt, inde in culpam vocor. &c. Eſt autem hoc in.2.lib. Apologiæ. Tom.2.vbi habes, & quòd Hieronymus verterit editionē Septuaginta in latinum, & quòd editionem quam fecerat de Hebraico in latinum, Græci verterint de latino in Græcum.

Tranſtulit autem Pentateuchum ad rogatum Deſyderij de Hebraico in latinum, vti notatur in præfatione, quæ incipit. Deſyderij mei. Vbi ſe excuſat, quòd non ad iniuriam Septuaginta id faciat.

Tranſtulit & Ioſue, & Iudicum, Euſtochio virgine efflagitante, vt ex præfatione illa eſt deprehendere, quæ præponitur libro Ioſue, & incipit. Tandem finito. vbi etiam meminit de libro Ruth, & Heſter, verſis ex Hebraico in latinum ſermonem.

Tranſtulit & libros Regum, ad ſanctarum Euſtochij ac ſociarū rogatum, vt in præfatione quæ incipit. viginti duas literas, poteſt clariſſimè percipi. Tranſtulit inquam de Hebraico in latinum. Meminit etiam de hoc ipſemet Hieronymus libro.2. Apologiæ aduerſus Ruffinum. Et eſt in.2. Tomo.

Tranſtulit Paralipomenon de Hebraico in latinum

Latinum ad inſtantiam Chromatij epiſcopi: vt ex præfatione quæ ipſis libris præponitur cõſtat, incipit, ſi Septuaginta interpretũ, vt Eraſmus reſtituit, vel vt corrupte habetur in Biblijs vulgatis. Tantus ac talis eſt liber iſte. Meminit in hac præfatiõe, de emẽdata Septuaginta editione, quam olim fecerat inſtantibus Domnione ac Rogatiano, amicis chariſſimis ſuis, quibus negare nõ poterat honeſte petita. & præpoſuerat ei præfationem quandam incipientem. Quomodo Græcorum hyſtorias.

Tranſtulit etiam ex Hebraico Hezram & Nechemiam, ad eoſdẽ Domnionem ac Rogatianũ, vti patet ex præfatione quę incipit. vtrũ difficilius ſit facere. &c.

Tranſtulit ex Hebraico Thobiam & Iiob, ad Chromatium & Heliodorum. vt ex præfationibus patet, prima quæ incipit. Mirari non deſino. &c. & etiam in apologia meminit cõtra Ruffinum libro. 2.

Tranſtulit & Iudith è Chaldaico in Latinum, incertum quibus fœminis inſtantibus. Quod ex præfatione deprehenditur, quæ incipit. Apud Hebræos liber Iudith.

Hanc trãſlationẽ cõmẽdat Græ- Tranſtulit & Iiob, de Hebraico Arabicoq; ſermone ac interdum Syro, incerto inſtigatore vt ex

vt ex præfatione quæ incipit, Cogor per ſin- gorius in
gulos. Et in hac etiam meminit alterius tranſ- Moralib.
lationis factæ ex Septuaginta, ad ſufficiendum ſup Iob.
multa quæ deerant priſcæ editioni Latinæ. po-
ſuerat etiam preuiam præfationem, quæ inci-
piebat, Si aut ficellam iunco texerem.

Tranſtulit etiam Salomonis libros. 3. ex Hebraico in Latinum Chromatio ac Heliodoro petentibus, vt in præfatione. Iungat Epiſtola. & in eadem Apologia contra Ruffinum. vbi meminit etiam de editione quam ab Septuaginta tranſtulerat obelis additis & aſteriſcis.

Tranſtulit & Eccleſiaſten, ſecundo, de Hebraico in Latinum, ad Paulam & Euſtochium vt in præfatione quæ incipit. Memini me, quæ præponitur illi libro. Et in hac translatione quam fecit primo, antequam faceret eam de qua ſupra Chromatio & Heliodoro. ſequutus eſt quandoque Septuaginta, quandoque Aquilam imitatus eſt & Symmachum ac Theodotionem. vt ipſemet ait ibi.

Editionem autem quam Chromatio poſtea miſit & Heliodoro, non fecit, immiſcens quicquam Septuaginta vel cuiuſquam alterius interpretis.

Tranſtu

Tranſtulit prophetas quatuor maiores, ac duodecim minores, ad Paulam & Euſtochium de Hebraico in latinū, patet ex præfationibus.

Pſalterium vero interpretatus eſt Sophronio ex Hebraico in latinum. vti in Epiſtola ad eundem ait, quę incipit. Scio quoſdam. Meminit & huius translationis in Apologia contra Ruffinū. Sophronius autē volebat de latino tranſferre in Græcum.

Hunclibrum correxerat ſæpius ad editionem Septuag. additis obelis, & aſteriſcis, vt in præfatione quæ incipit. Pſalterium Romæ, appâret. Fecitautem hanctranslationem vltimo, Paula ac Euſtochio inſtantibus.

Ecce igitur omnes libros veteris inſtrumenti, verſos ex Hebraico in latinum. Nam qui præter hos ſuprapoſitos ſunt Macchabęorum libri, non ſunt omnes Hebraicè ſcripti. Solus enim primus Hebraicus eſt. Secundus Græcus eſt. Et qui nunc apparuit, Tertius. ac qui in diem ſperatur, Quartus, Græci omnes.

Habes itaq; omne vetus Teſtamentum bis translatum à Hieronymo videlicet à Græco & ab Hebraico. Nunc operepretium eſt videre quos libros, ter vel quater traduxerit. De quo vide ſequentia.

Semel

Semel ex Hebraico verſo Pſalterio, bis trã-duxerat ex Græco: patet ex præmiſſis. Quos libros ſcripturæ plu-ries tradu-xit Hiero.

Semel ex Græco tranſlato Eccleſiaſte, bis ex Hebraico edidit, patet quoq; ex præmiſſis.

Semel Iiob ex Hebraico verſo, bis ex Gręco tranſtulit: primũ quidem infarciens quæ deerant: ſecundo totum continenter ex Septuaginta tranſferens.

Semel Regum libros, ex Hebræo vertens, bis aut ter ex Septuaginta verterat, vt in prologo ſuper eos libros docet. Incipit autem viginti duas literas. vbi inter cætera ſic ait. Lege primum Samuel & Malachim meum: Meum inquam meum. Quicquid enim crebrius vertendo & emendando ſolicitius & didiſcimus & tenemus, noſtrum eſt. &c. Ecce dicit à ſe crebrius verſum librum hunc.

En difficilimos Hieronymi labores, tam in vertendo de Gręco in Latinum, quàm de Hebraico. Nam diſcrepantibus editionibus multis, immixtisq; quæ vnius erant editionis, editioni alteri (quod non potuit nõ fuiſſe, pro temporis qualitate) ſuo Autori editionem reſtituere, non poterat ſine grãdi naſo fieri, multiplicíq; labore.

Poſt hæc, diſcernere, vtra eſſet conformior

Textui Hebraico,non erat paruę difficultatis: Adde quòd deprauationes per imperitiā tranſ-ſcriptorū appoſitas corrigere,reſtituereq; germanam Autoris editionē, erat penè omnium difficillimū: vti quādoq; oportuerit eum diuinare. Quod non bene perpendunt,niſi qui nauant operam in reſtituendis bonis autoribus qui caſu ſimili deprauati leguntur. Demū animaduerte quàm difficiles ſudores exanclauerit Diuus Hieronymus in vertendo ex Hebraico veteri Teſtamento:cui opus fuerit luſtrare totam eam terrę ſanctæ prouinciam,non ſemel, poſt exactiſſimam geographiam ſtudioſiſſime imbibitam:poſtq; diuerſos Hebręorum magiſtros audire,diuerſos conſulere,meditari iugiter ac conferre loca ſacræ ſcripuræ, vt genuinus erueretur ſenſus.

Quādo Hebraici apices inuenti fuerunt.

Namq; necdum inuenti erant apices illi determinantes vocalium ſonos,ipſis characteribus Hebraicis,qui poſt eius tempora inuenti fuerūt in Tyberiade.Sicut Rabi Auen Hezra ait, vidi inquit in libro qui dicitur Zachot, id eſt,memoriarum,conſuetudinem & morem fuiſſe ſapientum Tyberiadis,qui radix ſunt & præcipui,quòd ab eis extiterunt hi qui notationes Maſoreth repererūt,& nos accepimus ab eis

Auen Hezra.

ab eis totam punctandi rationē. Scribit etiam de ijs Figuerola valentinus vti ſupra dictum eſt. Auguſti. Eugubinus in eo tractatu quem facit, vtrū vulgata editio ſit Hieronymi: concordat. Solum enim temporibus Diui Hieronymi per conſuetudinē pronunciabantur cum accentu verba, cuius nō erat aliqua nota in litera, ſicut & apud Hyſpanos ac Italos, & ſimiles nationes, pronunciantur cum ſuis accentibus voces, quorum tamen in ſcribendo nulla fit mentio. Quum tamen maxima ſignificationis pars ab accentu pendeat. Ecce vides difficillimum laborem in ita addiſcendo tunc Hebraiſmum Figuerola Aug. Eug.

Nobis tamen nō æquè nunc difficile fuerit Hebraica diſcere, tēpore iſto in hac parte feliciſſimo. quippe & apud Germanos & Gallos, & Hyſpanos, multi ſunt, qui artes ediderunt Grammaticæ Hebraicæ præcepta cōtinentes per notulas illas Patach, Cames, Sere, Segol Seba, Chirich, Cholem & alias. ac breuiuſculas præceptiones in declinando ac coniugando, & reliqua: reſolutoriè ſimul & exactè tradentes notitiam Hebraiſmi. Quæ ſi temporibus Diui Hieronymi extitiſſent, ſine dubio in tot libris Hieronymi, alicubi eorum mentio

facta fuiſſet. Maximè libro traditionum Hebraicarum ſuper Geneſim: vbi de mutatione nominis Abram in Abraham per additionem ה literæ, quæ ſonat ha. vbi tamen verbũ nullum de punctis iſtis, qui tamen vocales variant in diuerſos ſonos. Differit de his copioſius Eugubinus loco citato ſupra. Hæc de Hieronymi translatione.

Picus Mirandulæ Comes.

MVLTIS diebus poſt Hieronymũ, ſicut Picus Mirandulanus recitat, Nicolaus Papa iuſſit tranſferri bonam partem quorũdam Hebraicorum librorũ, qui Hezrę intitulati erant. Fortaſſis autem de illis. 2. Macch. 2. citatis. Sed præmaturè moriente Nicolao, manſit opus imperfectum.

Anno Domi. 1305.

Clemens poſt hęc huius nominis PP. quintus, à beato Petro. 203. in Conſilio Viennenſi ſtatuit in vniuerſitatibus Scholarum conſtitui peritos Hebraicæ, Chaldaicæ, & Arabicæ: qui eas linguas docerent ad opus euangelizandi populis infidelibus. vti patet Clementina de Magiſtris.

Sequutum fuit poſteà tempus, quo tranſlato Imperio Conſtantinopolytano ad Turcas migrarunt ad nos literæ Græcæ, recolligente Papa aduentantes Gręcos intra ſinum Eccle-

ſiæ

ſiæ Latinæ. Inclytaq; vrbe Florentia vnoſquosq; eorum peritos receptante.

Et ex tunc cepit ardere deſideriũ bonarum literarum. Floruerunt autem cum Græcis & Hebraicæ. vnde claruerunt & Picus Mirandulæ comes, & inſignes alij. Inde Eraſmus non ſatis laudatus vir. inde perplures illuſtres in Germania, Gallia, Italia, & noſtra Hyſpania. Vnde & nata eſt noua veteris Teſtamenti translatio ex Septuaginta editione. Noua item Veteris ac Noui facta translatio Sancte Pagnino. ex Hebraico ſimul ac Græco. Sed & inclytũ Tetraplarum opus Complutenſium, ab Illuſtriſſimo ſimul ac Reuerendiſſimo Cardinali Toletano Archiepiſcopo Fratre Franciſco Ximenez.

Hæc de nona Annotatione.

ANNOTATIO X.

Vtrum vulgata editio ſit ipſius Hieronymi.

IN HAC QVAESTIONE laborãt plures doctores moderni trium linguarũ periti, propter cauſas multas.

Argu. 1. Primũ, quia vident diſſonantiam in locis multis, huius editionis vulgatæ ab Hebraica editione ac Græca.

Argu. 2. Secundo, quia ipſemet Hieronymus in Epiſtola ad Suniam & Fretelam Germanos, taxat locos plures in Pſalmis, qui permanẽt in vulgata editione apud nos.

Argu. 3. Tertio, quòd in Pentateucho, ac libris alijs ſacræ ſcripturæ, manent loci plures, quos vitiatos notat ipſe Hierony. in libro de Quæſtionibus Noui ac Veteris teſtamenti. & libro de traditionibꝰ Hebraicis ſuper Geneſim. De quibus gratia exempli duos aut tres adducere ſatis ſit.
1 Primo igitur in libro de Traditionibus ſuper Geneſim, ad cap. 4. ſic ait. Et dixit

Cain

Cain ad Abel fratrem ſuū. Subauditur, ea quę loquutus eſt Dominus. Superfluum ergo eſt quod in Samaritanorū & noſtro volumine reperitur. Tranſeamus in campum. Hæc ille.

Ecce vides, quomodo iugulat redundantiam illius clauſulæ. Tranſeamus in campum. Et tamen nos habemus. Egrediamur foras.

Secundo, in eodē libro, ſuper cap. 13. Gene- 2
ſis. Et viri Sodomorū mali & peccatores in conſpectu Domini vehemēter, ait. Superfluè hic à Septuaginta interpretibus additum eſt, in conſpectu Domini. &c. Hæc Hiero. Et tamen in noſtris codicibus idem habetur verbis aliquantulum immutatis, videlicet. Homines autem Sodomitæ peſſimi erant, & peccatores coram Domino nimis. Tertio, in eodem 3
libro, tractans cap. 39. pactionem Iahacob cū Laban, de ſeparatiōe vnicoloris gregis à maculoſo. dicit Hieronymus confuſe id tradi ab Interpretibus. Et tamē eandem confuſionem reperimus in editione noſtra qua vtimur, vel maxime in hoc conſpicuam, vt poſtquam de pacta ſeparatiōe ſcriptura narrauit, ſubdit, cunctum vnicolorem gregem poſitum in manu filiorum ſuorum, quod iuxta ſeriem narrationis ad filios Laban refertur, quum tamen hoc

diuerſum ſit à pacto Iahacob.

Argu.4. Quartum principaliter arguitur non eſſe hanc editionem Hierony.ex illo loco Exo.12. Iuxta quem ritum tolletis & hœdum,quia nō conſonat hic editio noſtra Hebraico textui. nam in Hebraico habetur,De hœdis &capris accipietis eum,vel de arietibus & capris,&c.

Burgeñ. De quo Burgenſis Additione.2.ſuper eum locum Exo.12.

Argu.5. Quinto etiā quia in Hieronymi Commentarijs ſuper Prophetas inuenitur ſæpiſſimè exploſa lectio eius loci quem exponit: tamen lectio talis in editione hac habetur: vti exempli grā, lectio illa, Nazareus de radice eius aſcendet.Eſaiæ.11.quę deſiderabatur in Prologo ſuper Pentateuchū Deſiderij mei.& in,de Optimo genere interpretandi. non habetur in editione vulgata. Sed habetur. Et flos de radice eius aſcendet. vti poteſt videri.

Argu 6. Sexto etiam:quia Hierony.idem in Commentarijs ſuper Epiſtolas ad Epheſios,ad Galatas.cap.5.&.6.ad Titum cap.1.arguit Latinū interpretem ineptæ translationis: habetur tamen in noſtra Biblia lectio illa redarguta.

Argu.7. Septimo,quum ipſe Hieronymus deferat multum,obſeruetq́ nomen Domini quadriliterum,

literum, nō reſpondet in editione vulgata nomen referens hebraiſmū, in locis multis quibus id fieri decens erat. Quod ſic oſtenditur Gene. 2. Formauit Dominus Deus hominē. In Hebraico habetur Iehoua Elohim: per nomen quatuor literarum. Item ibidem. Plantauerat autem Dominus Deus paradiſum. In Hebraico. Iehoua Elohim. Item. Dixit quoq; Dominus Deus: Non eſt bonū hominem eſſe ſolum. In Hebræo. Iehoua Elohim. Item. Immiſit Dominus Deus ſoporem. Iehoua Elohim. Item. Et ædificauit Dominus Deus coſtam. Iehoua Elohim. Item Geñ. 3. Et vocauit Dominus Deus Adā. Iehoua Elohim. Et alibi ſæpiſſimè. Quæ notat Cardinalis S. Sixti Caietanus in Commentarijs ſuper Pentateuchum. Ambroſius item lib. 2. de Spiritu ſancto. cap. 6. dicit falſariorum perfidia viciatum eſſe quod in noſtra editiōe habemus. Qui ſpiritu ſeruiuimus Deo. quum deberet ſic habere. Qui ſpiritu Dei ſeruimus. & per hoc vult probare quòd ſpiritus ſanctus ſit Deus,

Propter huiuſmodi rationes, Paulus Foroſempronienſis Epiſcopus, ſuſpicatur nō eſſe Hieronymi editionem hanc vulgatam. Sed & Sanctes Pagninus nonnihil addubitat, dicens in Epi

Paulus Foroſempronienſis.

San. Pag.

in Epiſtola ſua ad Clementem PP. ſeptimũ hu
ius nominis, quam præpoſuit ſuæ translatio-
ni totius Bibliæ, quòd multa in editione vul-
gata ſunt inuerſa, qualia nõ eſt poſſibile à Hie-
ronymo exijſſe: vti negationem pro affirmatio
ne. Gene. 8. de coruo. & adiectiua nomina vel
ſubſtantiua, pro nominibus vrbiũ, in Michea.
1 Quod ſic patet Micheæ. 1. Legimus in editio
ne noſtra. In Geth nolite annũciare, lachrymis
ne ploretis, in domo pulueris, puluere vos
conſpergite. Sanctes autẽ Pagninus ſic tran-
ſtulit. In Geth ne annuncietis, flendo ne fleue
ris propter domos Hophrah, puluere inuol-
ue te ipſam. Similiter & Tetraplæ Compluten-
ſes habent. In Hebraico tamen ſic legitur. La
chrymis ne ploretis, propter domos ipſius
Aphra, puluere vos conſpergite. Sequitur in
2 Textu. Et tranſite vobis habitatio pulchra,
confuſa ignominia. In Hebraico ſic legitur.
Tranſi habitatrix Saphir cum denudatis pu-
dendis. Sanctes Pagninus ita. Tranſi habita-
trix Sappir, nuda pudore. Sequitur in textu.
3 Non eſt egreſſa quæ habitat in exitu, planctũ
domus vicinę accipiet ex vobis quę ſtetit ſibi
met. In Hebraico. Non eſt egreſſa quæ habi-
tat in Saanan, ad planctũ Bethaeſel. vnicuiq;
veſtrum

veſtrum auferet manſionẽ ſuam. Sanctes Pagninus vertit ſic. Non eſt egreſſa habitatrix Saanan, ad planctum Bethaeſel, inimicus mercedem accipiet à vobis, eo quòd ſtetit in obſidione veſtri. Sic in multis alijs locis. Conformiter ad lectiones Hebraicam ac Pagnini, habet aliquantulũ ea editio quæ in cõmentarijs Hieronymi ponitur quaſi Hebraica, è regione alterius quaſi iuxta Septuagin. dictæ. Sic enim habet. In Geth nolite annunciare, Lachrymis ne ploretis: in domo pulueris puluere vos cõſpergite, tranſit à vobis habitatio Saphir confuſa ignominia: nõ eſt egreſſa quę habitat Sennan, Planctum domus Aſel accipiet ex vobis, quæ ſicut ſibimet, quia infirmata eſt in bono quæ habitat in Maroth. &c.

Præterea, mouet Pagninum, vt arbitretur non eſſe hanc vulgatam Hieronymi editionẽ, ꝙ omnia penè nomina ſunt corrupta: quodq́; cauſabatur ipſe Hieronymus, in libris Paralipomenon accidiſſe, idipſum euenit huic editioni vulgatæ. Conteſtatur autẽ Pagninus editionem ſuam feciſſe collatis duodecim exemplaribus vetuſtiſſimis correctiſſimisq́;: ex qua ſi quis conferre voluerit, cognoſcet differẽtiam permaximam eius cum vulgata editione. &

inde

inde inuerſionem corruptionemq́ conuincet vulgatę. Conſequenterq́ nō eſſe Hieronymi.

Signanter autem hoc eſt in promptu videre in interpretatione nominum Hebraicorū. Sed ne ita ieiune hoc tractauerimus, libet vnū aut alterum locum conferre.

Primum. 1. Paralipomenon. cap. 4. ſic legitur in vulgata editiōe. Filij Sela, filij Iudę: Her pater Lecha, & Laada pater Mareſa: & cognationes domus operantium byſſum in domo iuramenti. Et qui ſtare fecit ſolem, viriq́ mendacij, & ſecurus & incedens. qui principes fuerunt in Moab, & qui reuerſi ſunt in Lehem. Hæc autem verba vetera. &c. vide quomodo ex hoc Textu, ſic translato, accipitur anſa arguendi commentandiq́ mirabile quid de ſolis ſtatione, ad modum eius quæ ſub Ioſue

Lyranus. fuit. Dicit autem Lyranus ſuper hoc loco. Quòd noſtri expoſitores exponunt hoc de Helimech, qui orauit Dominum vt ſtare faceret ſolem, in cōprobationem ſuæ monitionis, qua homines tēporis illius ab idololatria, cui nephariè implicabātur auertere nitebatur. Sed poſtea quàm nec per tale ſignum reſipiſcere voluerunt, immiſit Dominus Deus famem validam in terra, propter quam oportuit etiā

ipſum

ipſum Helimelech peregrinari in terra Moab: vti patet ex libro Ruth. Et ita Textus perſpicuus eſt, de filijs ſuis Chelion & Mahalon. Hæc Lyranus. Vide autem nunc Pagnini tra ductionem.

Filij Selah, filij Iehudah Her pater Lechah & Lahadah pater Mareſah. Et familia domus operis byſſini in domo Asbeah, & Iochin & viri Chozebah, & Ioas, & Saraph, qui dn̄ati ſunt in Moab. & habitatores Lechem. & verba antiqua enarramus. Hæc ibi. Vide autē quòd hic nulla mētio ſtantis ſolis. Nūc quoq; vide editionē nouā è Septuag. Filij Iuda, Her pater Lecha. Et Laada pater Mareſa. Et cognatiōes domus operantis linū domui Aſeba. Et Ioachim viri Chozeba, & Ioas, & Sarah: qui dominati ſunt in populo Moab. Et reuerſi ſunt in Lehem. At verba vetera ſunt. Hæc ibi. Ecce nulla mentio de ſtatione Solis.

In marginalibus autē annotationib⁹ noſtrę vulgatæ editionis ſic habet. Filij Sela, filij Iudæ: Her pater Lecha, & Laada pater Mareſa: & cognationes domus operantiū byſſum in domo Asbea. Et Iocim, & viri Choſeba, & Ioas & Saraph, qui principes fuerunt in Moab, & habitatores Lehem Adebarim Athicim. Hæc ibi.

ibi. Vbi nec Solis mẽtio, neq; verborũ veterũ.

2 Secundum locum libet ex. 15. cap. 1. Paralipomenon adducere. vbi habetur in vulgata editione. Zacharias autem, & Oziel, & Semiramoth, & Iahiel, & Ani, & Eliab, & Maaſias, & Banaias in Nablis arcana cantabant. Annotationes autem marginales habent pro arcana cantabant, ſuper halamoth. Eſt autem halamoth inſtrumentum muſicum. Idem habet Pagnini translatio.

His igitur ſcrupulis, potiſſime autem quia phraſes non reſpondent ſibi, editionis, ſcilicet vulgatæ cum Hebraico, vt eſt illud. Peruerſi difficile corriguntur. & ſtultorum infinitus eſt numerus. Eccleſiaſtes. 1. In Hebraico verò habetur. Curuum non poteſt dirigi, & defectus non pôteſt numerari. vel. Peruerſum non poterit corrigi: & immutatio non poterit numerari. Pagninus ſuſpicatur non eſſe hanc vulgatam editionem Hieronymi.

Picus. Eugubi. Contra, Ioannes Picus Mirandulę Comes: ſimul & Auguſtinus Eugubinus, etiam libris de hac ipſa re editis, ingenuè tutantur eſſe Hieronymi vulgatam iſtam editionem, & nullius alterius: conuincentibus, vti & mihi videtur rationibus ſuffulti.

Primum aiunt. Certum eſt librum Heſter eſſe Hieronymi, ex eo quòd cap. 10. habetur, videlicet, quę habentur in Hebręo, plena fide expreſſi. Hæc autem quæ ſequuntur reperi in editione vulgata, quæ Græcorū lingua & literis continetur. Ecce tranſfert etiam autor huius editionis, de Græca editione vulgata. Liber Heſter Hieronymi eſt.

Item cap. 11. Hoc quoq; principium erat in editione vulgata, quod nec in Hebræo, nec apud vllum fertur interpretū. Item cap. 12. Hucvſq; proemium. Quæ ſequūtur, in eo loco poſita erant, vbi ſcriptum eſt in volumine. Et diripuerūt bona, vel ſubſtantias eorū, quæ in ſola vulgata editione reperimus. Epiſtolæ autem hoc exemplar fuit. Item cap. 13. Huc vſq; exemplar Epiſtolæ: quæ ſequuntur poſt eum locū reperi ſcripta, vbi legitur. Pergēsq; Mardocheus, fecit omnia quæ mandauerat Heſter. Nec tamē habetur in Hebraico, & apud nullum penitus feruntur interpretum. Item in fine cap. 14. Hæc quoq; addita reperi in editione vulgata. Item cap. 15. Necnō & iſta quę ſubdita ſunt. Ecce per omnia iſta vides quàm non poteſt hæc nō eſſe Hieronymi. Quis em̄ translator tantæ doctrinæ fuit & facultatis, vt cōplecteretur Hebraicam, ſimul & vulgatam,

& alias

& alias editiones, niſi ſolus Hieronymus? Eſt igitur ſine controuerſia liber Heſter vulgatę editionis Hieronymianus.

Prophetæ minores Hiero. editionis ſunt

Præterea, Prophetæ minores in editione hac vulgata, probantur eſſe Hieronymi. Hoc autem ſic cõſtat. Ionas nõ poteſt negari quin ſit Hieronymi editio, ex eo quod ibi legitur hedera, pro cucurbita, de quo Auguſtinus in Epiſtola ad ipſum conqueritur.

Item Oſeę Hierony. eſt, ex eo ꝙ ibi legitur. Deſiderata lectio loci illius ab eodẽ. Ex Aegypto vocaui filium meũ. quod patet. Super Oſeæ.1. dicit Hieronymus quòd Septuaginta tranſtulerunt. 190. dies. Ezech.4. quum tamen debeant eſſe. 390. & ita habetur in Biblijs vulgatis. Item generaliter de reliquis duodecim Prophetarum hoc patet: quia in Commentarijs Hieronymi ſuper hos prophetas, notantur duę editiones. vna Septuaginta. alia quam ipſemet Hieronymus dicit eſſe ſuam. Sed hęc eſt eadem cum ea quam nos habemus vulgatam. Ergo Hieronymi eſt.

Prophetæ maiores Hier. ſunt.

Præterea, quantum ad Prophetas maiores, negari nõ poteſt, quin Daniel ſit Hieronymianæ editionis, ex eo quod habetur cap.12. Huc vſq; Danielẽ in Hebraico volumine legimus.

Quæ

quæ ſequuntur vſq; ad finem libri de Theodotionis editione tranſlata ſunt. Ecce nullus ex Hebraico transferens, immiſcuit editionem Theodotionis: niſi Hieronymus, ne bonam partem libri detruncaſſe videretur. Hieronymi ergo eſt editio Danielis, quam habemus.

Præterea, quòd attinet ad alios Prophetas maiores tres reliquos, habemus argumentũ eſſe editionis Hieronymi, ex eo quod ipſe in Commentarijs quoq;, ſicuti argumentati ſumus de prophetis minoribus, dicit quandoq; ſic haberi in editione Septuaginta, & ſic aliter ſe tranſtuliſſe: id autẽ quod ſe tranſtuliſſe ait, habetur in editione vulgata, quæ ibi quoque in Commentarijs habetur è regiõe editionis Septuaginta. Nulli ergo dubitandum eſt de hac Prophetarũ editione quin Hieronymi ſit. Sic Eugubinus probat. Tres alij prophetæ maiores Hieronyi ſunt.

Præterea, de libro Iiob eſt euidens argumentum eius integritas, de qua in præfatione, quæ incipit, Cogor per ſingulos, dicit ipſe Hieronymus quòd Septingẽti, vel octingenti verſus deerant, quos ipſe reſtituit, quos etiam legimus in editione vulgata. Ergo Hiero. eſt. Liber Iiob Hieronyi eſt.

Nunc ad Pentateuchum veniamus. Primum, notum eſt apud ſtudioſos antiquorũ tra Pentateuchus Hieronyi eſt.

c ctatorum

ctatorum ſuper Scripturas, Septuaginta po-
ſuiſſe die ſexto, vbi nos habemus, Comple-
uitq; Deus in die ſeptimo opus ſuum quod
fecerat. Gene. 2. Modo quũ Hieronymus di-
cat haberi in Hebræo die ſeptimo, ſicq; debe
re transferri, & ſic ſe tranſtuliſſe: nonne clamat
editio noſtra, Ego Hieronymiana ſum? Item
eodem capite, habemus in vulgata editione,
Plantauerat autẽ Dominus Deus paradiſum
voluptatis à principio. Antiqua translatio Se-
ptuag. habebat pro, voluptatis, Eden. pro,
à principio, verſus orientẽ. Hieronymus au-
tem dicit ibi ſuper Geneſim, Eden, interpreta-
ri voluptatem. & ipſos Septuaginta poſtea
tranſtuliſſe voluptatem, quod antea velut no
men proprium tranſtuliſſent. Et Symmachum
idem edidiſſe. Ex quibus apparet eum fuiſſe
potius ſequutum hoc ſignificatum, quod plu-
ribus videretur, & ſic poſuiſſe paradiſum vo-
luptatis. pro eo quod habebatur, Paradiſum
in Eden. vti Septuaginta habebant. & in tra-
ctationibus antiquorũ, qui editionem Septua-
ta ſequuti ſunt, etiam nũc legitur. Item, pro à
principio dicit haberi mikedem, quod Aquila
ſimul Symmachus, & Theodotio concordes
tranſtulerunt, à principio. Ecce vt Hierony-
mus

mus ſequutus eſt plures, inclinans in ſignificatum à pluribus editionibus acceptũ. Hoc autem habetur in editione noſtra vulgata. Ergo & Hieronymi eſt.

Præterea eodẽ cap. vbi nos habemus. Hæc vocabitur virago, refert Hieronymus Septuaginta tranſtuliſſe. Hæc vocabitur mulier. & ſubijcit. Non videtur in Græco & Latino ſonare, cur mulier appelletur: quoniam ex viro ſumpta ſit. Sed ethymologia in Hebræo ſermone eſt. vir quippe vocatur is. & mulier iſſa. igitur ab is iſſa dicitur. Rectè igitur ab is viro, eſt appellata iſſa mulier: vnde & Symmachus pulchrè ethymologiam etiã in Græco voluit cuſtodire, dicens, αὕτη κληθήσεται ἀνδρὶς ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς ἐλήφθη αὕτη. Quod nos Latinè poſſumus dicere. Hæc vocabitur virago: quia ex viro ſumpta eſt. Hæc Hieronymus. Ecce vt editio vulgata clamat quòd Hieronymi ſit, quum habeat id quod iudicauit Hieronymus Hebraico eſſe conformius.

Præterea, irrefragabiliter cõuincitur hanc eſſe Hieronymi editionem, ex eo quod obſeruatur in annorum numeris Gene. 5. & 11. eorũ virorũ quorum deſcribitur ſeries, quibus Septuaginta centum annos accreuerunt ante ge-

nerationem, detrahentes eos reſiduo tempori poſt generationem, quos ait Hieronymus ſe ad veritatem Hebraicam correxiſſe. At hoc in editione noſtra reperitur ad veritatē Hebraicam conforme. Nulli ergo dubium, quin hæc noſtra editio Hieronymi ſit.

Hæc inſuper numerorum aſſignatio, vbicunq; Septuaginta editio diſſidet ab Hebraico, reperitur in vulgata editiōe Hebraico vniformis. Ergo & Hieronymi eſt.

Tota vulgata editio Hiero. eſt. Argum. 1. Nunc de tota editione vulgata poterit ſic argumentum fieri. Si Pentateuchus Hierony. eſt Ioſue, & Iudicum, & Prophetæ maiores & minores quoq; prophetæ, & Iob, & Heſter, quæ maior pars Bibliorum ſunt: quomodo reliqua pars, quæ minor eſt, non erit etiā ipſius Hieronymi?

Argu. 2. Secundo, poterit ſic argumentari. Hæc editio non eſt Septuaginta, vt conſtat: quia Gene. 2. editio Septuag. habet, Immiſit Dominus extaſim in Adam. noſtra habet, Soporem. Gene. 3. Serpens erat ſapientior. noſtra, callidior. Eccleſiaſtes. 1. Oritur ſol & occidit ſol, & ad locum ſuum ducit. noſtra. Oritur ſol & occidit, & ad locum ſuum reuertitur. Et ſic in innumeris locis. Si igitur non eſt Septuag. & prælata

eſt illi

eſt illi editioni Septuag. quia antiquata illa, hęc in vſu eſt, reclamante Auguſtino, inuitis etiã multis pro antiqua Septuag. editiõe ſtantibus doctoribus. Cuius putas hanc editionem niſi Hieronymi? qui ſolus, vnus prælatus eſt ipſis Septuaginta interpretibus? Nullus enim vnquam fuit celebritatis tantæ, qui præelegi debuerit, poſthabitis Septuaginta, niſi Hiero. Augu. 18. de ciuit.

Tertio quoq; ſic poterit argumentari: editio hæc vulgata, nullius eſt Græcorum: vt patet de ſingulis. Sed omnes complectitur. quãdoq; vnum ſequens, quandoq; alium emulata. vt in promptu eſt oſtendere. Nam Gene. 2. Hæc vocabitur virago, ſequuta eſt Symmachum. Ge. 3. Serpens erat callidior, emulata eſt Aquilam. Eodem capite. Ad auram poſt meridiem, Theodotionem. Et ſic in innumeris alijs locis. Nullus autem præter Hieronymum fuit, cui talis ſuppeteret facultas, conferendo cum Hebraico vtra eſſet aptior Græcorum expoſitio ſeligendi. Ergo & Hieronymi eſt. Is enim primus inter Latinos & ſolus q Hebraicæ ſciens, editiones Græcorũ interpretum cognoſcens, collegit veriſſima & apertiſſima diuerſarum editionum: & omnium earum vice, vnicam dedit exactiſſimam editionem. Argum. 3. Hierony. omnes interpretes quandoq; emulatus.

ſe quodammodo fuiſſe in tranſferendo paraphraſtem, vt ſacras elucidaret Domini traditiones. Quum tamẽ nec propter hoc voluerit Auguſtinus editionem dimittere Septuaginta, licet obſcuram, vt patet inter cętera vel maximè in ſermone illo celebri, quo hactenus etiam vtitur Sancta mater Eccleſia in matutinorum officio ad feſtũ Natalis Domini. vbi in citando contra Iudæos autoritatem Abacuc.cap.3. In medio duorum animalium cognoſceris. vbi noſtra editio habet. In medio annorum viuifica illud. Is autem ſermo eſt Dominicæ vltimæ Aduentus Domini, in ſermonibus Auguſtini.

Veruntamen ſciendum, quòd quum Eccleſia inter diuos annumerans deificauit Hieronymũ, abſit iniuria uerbo, credibile ſit celebritate ſanctitateq; tanti uiri per orbem totũ circumſonantis doctrinæ, fuiſſe eodem Eccleſiæ ſuffragio, ſcripturas eius, præcipuè Bibliorũ editionem conſecratas. Quod nõdum Auguſtini tempore factũ fuerat. At is idem Auguſtinus tam magnificè Hieronymum commendans, uota ſua præexpoſuit, futuræ poſt canonizationi, quæ quoto anno facta ſit ab Incarnatione, nondum eſt mihi compertum. Platina in uita P P. Damaſi ait, ab eo Pontifice ſcripta Hieronymi autoritatem accepiſſe.

Tunc accepta ſanctiſſimi Hieronymi editione ad uſum

Eccleſiæ, ne fieret tam magna rerum permutatio, ſimul ac perturbatio, ſi in Pſalmis etiam acciperet uſus editionem Hieronymi, quum modus cantandi in Eccleſijs conſuetus, feciſſet editionem illam prinutus imbibitam, quæ dediſcenda eſſet, ſi translatio Hieronymi in Pſalterio ſuſciperetur. Conſultò dimiſſa eſt in Pſalmis editio Hieronymi, retentaq́; antiqua editio iuxta Septuaginta: uti etiam conſuluit idem Hieronymus faciendũ in Epiſtola ad Suniam & Fretelam. Dicit autem Hieronymus ibi Suniæ & Fretelæ Pſalmorum translationem à Græca editione communi eſſe, quam habemus, & qua utimur. Inſuper & cõmunem illam Græcam, eſſe Luciani martyris. In reliquis autem libris ſanctis accepta eſt in uſum Hieronymi editio. Notum eſt enim quos tumultus ſuſcitet innouatio rerũ. Quot enim operas neceſſum fuit Carolum Imperatorem primũ impendere ad introducendos libros Miſſarios Gregorianos, in uſum Eccleſiæ, antiquatis Ambroſianis? Quot etiam oportuit nauare, periculoſiſſimè quidem de regno & uita Inclytũ Hyſpaniæ Regem Aldefonſum Toleti expugnatorem, dum antiquum officium Gotthicum mutare uoluit in Gregorianũ. De quo Archiepiſcopus Toletanus dominus Rodericus. cap. 141. Cronicon Hyſpaniarum agit.

Archiepiſcopus Toletanus.

NVNC ad argumenta in contrariũ, ſatiſfaciendum. Et primo ad illud de huius editionis diſſonantia ab Hebraica & Græca, dicendum quòd Hieronymus ſummopere conatus

Ad 1. Ar.

eſt di-

eſt dilucidè tradere ſenſum Scripturarum ſan
ctarum. Sic enim ait in præfatione ſuper Hezra. Deinde etiam qui exemplaria aliorũ interpretum habuerint, & Hebræi ſermonis ignari ſunt, magis errabunt, ignorantes quis è multis verius dixerit: quod etiam ſapientiſſimo cuidam nuper apud Græcos accidit, vt interdum Scripturæ ſenſum relinquens, vniuſcuiuſq; interpretis ſequeretur errorem. Nos autem, qui Hebrææ linguæ ſaltem paruam habemus ſcientiã, & Latinus ſermo nobis vtcunq; non deeſt: de alijs magis poſſumus iudicare, & ea quæ ipſi intelligim⁹, in noſtra lingua promere. Hæc Hieronymus.

Itaq; curauit ſemper dilucidiorem ſenſum reddere. Inde eſt quòd vitans Hebraiſmos, quandoq; nõ videtur in cortice Hebraicis reſpondere editio. Sic habes Gen. 2. Fons aſcendebat è terra, irrigans vniuerſam ſuperficiem terræ: quum tamen in Hebraico habeatur, vapor. At hoc intelligibili⁹ eſt, pręſtatq; illi: quia ſenſibilius clariusq; fit intellectus, de præparata ad humectandam irrigandamq; terrã diſpoſitione, per fontis poſitionem. Singularis pro plurali: quàm per nomen vaporis. Siquidem Aegyptus pluuias neſcit. Quòd ſi Lyra-

nus dicat Gene.2.bdellium translatū eſſe,pro Chriſtallo.& Ge.27. fraudulenter pro pruden‑ter.& Exod.12. limine pro vaſe vulgo baçin. Certe reſpōdendum eſt,quòd Hie.in quęſtio‑nibus Hebraicis,dicit pro carbūculo & lapide praſino, bdellion & onix alij tranſtulerūt. Si‑gnificantius ergo bdellion quàm Chriſtallus poni debuit, vt & carbunculum cōprehende‑ret.Prudentia quoq; quia cautela vſa eſt inſu‑ſpicabili,fraudulentia dicta eſt,ad animum vi‑delicet Eſau reſpiciendo. Item quia vas ſan‑guinem continens in limine domus debebat eſſe vbi agnus immolabatur,recte in liminę dictum eſt.Ita Hieronymus bene habet in his.

Sic item alibi. Sed præcipuè in libro Ec‑cleſiaſtes, eo inquam libro, qui eſt editio ex Hebraico,&in editione vulgata contine‑tur. non loquor autē de eo libro,in quem edi‑dit commentaria & habetur in operibus Hie‑ronymi, quia hic de antiqua Septuaginta tra‑ductione eſt: licet in commentando ad Bleſil‑lam,quoſdam locos repurgarit collatione fa‑cta cum Hebraico textu. In eo inquam libro qui habetur in Biblijs vulgatis inuenitur ſæ‑pe cōtextura quæ videtur nōnihil ab Hebrai‑co textu diſcepare.At hoc verbis tantum eſt,

re con‑

re conſpecta non ſenſu. Imò vt ſenſus pellucidius reddatur, fit vt immutentur verba quandoq; vti gratia exempli. Eccleſiaſtes. 1. Peruerſum non poterit adornari, & immutatio nō poterit numerari. Reddit hoc Hierony. in editione vulgata. Peruerſi difficile corriguntur, & ſtultorum infinitus eſt numerus. Audi nunc Hieronymum cōmentantem locum hunc ad Bleſillam. Tanta inquit malitia in mundi huius capacitate verſatur, vt ad intregum boni ſtatum, mūdus redire non valeat. Deniq; tantus eſt numerus ſeductorum, & eorum qui de grege Domini à diabolo rapti ſunt, vt ſupputatione non queat comprehendi. Ecce Hieronymi intellectum eius loci. vide autem vt reſpondeat editio vulgata huic ſenſui. Peruerſi difficile corriguntur, & ſtultorum infinitus eſt numerus. Item cap. 2. habetur in Hebraico. Cogitaui in corde meo, vt traherem in vinū carnem meam, & cor meum aſſuefacerem ad ſapientiam, poſſideremq; ſtultitiam. Donec viderem quid eſſet bonum filijs hominum. &c. Noſtra autē editio habet. Cogitaui in corde meo abſtrahere à vino carnem meam, vt animum meū transferrem ad ſapientiam, deuitaremq; ſtultitiam: donec viderem, quid eſſet

vtile

vtile filijs hominum. &c.

Ecce vides quaſi aperte pugnantia, dum trahere in vinū carnem, interpretatus eſt, abſtrahere à vino. & aſſueſcere cor ad ſapientiam, interpretatus eſt, tranſferre ad ſapientiā, & poſſidere ſtultitiam, deuitare eam. Quæ videntur contraria. Conſiderandum tamen quòd quum in priſtina editione Latina ex Septuaginta, haberetur olim, ſic. Conſideraui in corde meo vt traherem in vino carnem meam. Commentatus hunc locum ad Bleſillam Hieronymus, ita ait: Volui vitam meam tradere delicijs, & quaſi vino, ſic voluptate ſopire. Hæc ille.

Itaqꝫ ſequutus eſt hic Hebraicam phraſim. Sed quoniam verbū illud Hebraicū, maſhac ſignificat diuerſa, videlicet trahere, & procul facere ſeu allōgare, in editione vulgata volens ſenſum magis exprimere totius clauſulæ, quæ incipit. Cogitaui in corde meo, & finitur, quod facto opus eſt ſub ſole numero dierum vitæ ſuæ, quum prius præceſſiſſet, Riſum reputaui errorem, & gaudio dixi, cur fruſtrà deciperis, maluit ſenſum ſecutus ita tranſferre, accipiens ſecundam verbi ſignificationē, quum primam ſequutus fuiſſet in cōmentarijs. Nam & obijcienti Ruffino, quòd verterat in Pſal. 2. Apprehendite

hendite diſciplinam, adorate filium. quum in commentarijs ſuper Septuaginta expoſuiſſet, adorate pure. reſpondit. Suæ libertatis eſſe, è duobus ſenſibus, ſequi quem mallet. quum alter ab altero non deſtruatur. Quanto magis autem eligendus eſt, is ſenſus, qui è tota clauſula arguitur. Ad iudicandum enim de rebus, imperturbato iudicio opus eſt. Vt quamuis, quis voluptatibus dedatur, niſi liberi iudicij ſit non poterit humaniter illis perfrui. Vt licet intelligatur Salomonē voluiſſe voluptatibus ad libitum abuti oportuerit à vino temperare ad eas profunde rimandas, percipiendas, deguſtandasq́. Vides igitur quadrantem expoſitionem ſenſus in expoſitione iſta? Cæterum de reliqua clauſulæ traductione, ex collatione cum translatoribus alijs, clarius habetur. Sic igitur habet Sanctes Pagninus. Inueſtigaui in corde meo, vt traherem in vinum carnē meā, & cor meum aſſueſcere facerem in ſapientia, & tenerem ſtultitiam, donec viderem quale eſt bonum filiorū Adam. quod faciant ſub cœlo numero dierum vitæ eorum. Sic Pagninus. Translatio autem noua iuxta Septuaginta ſic habet. Et conſideraui ſi cor meum trahet, vt vinum carnem meam, & cor meum duxit me

in ſapien-

in ſapientia, & vt dominarer in lætitia, donec viderem quod bonum filijs hominum: quod facient ſub ſole, numero dierum vitæ eorum. Hæc ibi. Ecce quomodo Hieronymus tranſtulit transferrem ad ſapientiam, quod illi dixerunt, aſſueſcere facerem in Sapientia, & duxit me in ſapientia. Et quod illi dicunt, tenerem ſtultitiam, & dominarer in lętitia. Hieronymus tranſtulit ad ſenſum magis, deuitaremq; ſtultitiam. Item cap. 6. Melius eſt, viſio oculorū, q̃ vagati animum. editio antiqua Septuag. habebat. Melior eſt aſpectus oculorū, ſuper ambulantem in anima. Sanctes Pagninus trãſtulit. Melior eſt viſio oculorum. quàm quòd eat anima per viam ſtultorum. Vide autem quàm clare Hieronymus in editione vulgata. Melius eſt videre quod cupias, quàm deſiderare quod neſcias. Et per hæc ad primã dubitandi occaſionem ſatis factum ſit.

Ad. 2. Ar. Ad ſecundum, dicendum, quòd verè multi ſunt loci in editione Septuaginta, quæ in eccleſijs decãtantur, quos aliter in Hebraico haberi, notat Hieronymus. At non propter hoc falſum quippiam in Eccleſia decantari ſtatim dicendum eſt. Non enim errat in fide Eccleſia ſancta. Abſit. Poteſt autẽ error eſſe in ſcriptura,

ita vt

ita vt tribuatur alicui, quod eius non eſt. At quòd attribuatur falſum alicui: hoc falſiſſimũ eſt. Non enim falli poteſt ſancta mater Eccleſia. Cantat igitur Pſalmos, & quicquid cantat, veriſſimum eſt. Quòd ſi quicquam in decantatis Pſalmis eſt, quod in Hebraica veritate non reperitur ita textũ habere, hoc nil refert. Nam licet textus Hebraicus non ita habeat, ſenſus tamen huic non cõtradicit, imò amplectitur hoc decantatum ac ſuſcipit. Quod vt notum fiat oportet exempla adducere. Primo Pſal. 5. Legitur ſic. Et interfecta eſt terra á ſanguinibus eorũ. Hic ſtatim ſurget quis, dicens codicem mendoſum pro infecta habere interfecta. Et ego itidem ſentio. At nõ defuere doctores magni nominis, qui id cõmentati ſunt, diriuantes multos eius loci ſenſus. Itẽ Pſa. 94. Quadraginta annis proximus fui generationi huic, quum dicendum ſit, faſtidio habui generationem iſtam, vti Paulus ad Hebræos, capite. 3. citat dicens, Quadraginta annis, propter quod in ſenſus fui generationi huic, & dixit. &c. Pſal. quoq; 26. vt videam volũtatem, pro voluptatem Domini. Et quàm plures alij huiuſmodi loci ſunt. Ait autem Auguſtinus Eugubinus, in Epiſtola reſponſiua ad Eraſmũ. Aug Eug.

Dupli

Duplices ſunt errores in fidem, & dogmatis, & in ſcripturis, vt ſecus aliquid legatur quàm ſit legendum. Illud genus primũ in Eccleſia certum eſt eſſe nõ poſſe. Non enim errare poteſt Eccleſia. Secundum genus, poteſt inueniri ſicut inuenitur interdum, vt legantur codices ſecus quàm ſint legendi. Hoc genus oſtendebat Hieronymus creberrimum apud Septuaginta. Vt licet paſſim & apud Hieronymum & ipſos Septuaginta, volenti cognoſcere: & hos errores, negare non potes. Hæc Eugubinus.

Nos autem dicimus. Quòd neq; in decantando, ſic, errat Eccleſia. vti ſupra iam deduximus, licet autor ſcriba Pſalmi, non ita literaliter ſcripſerit. Quandoq; enim legit publicitus in ambonibus lectiones Eccleſiaſtes. Cantici Canticorum, Eccleſiaſtici, Prouerbiorum, ac Pſalmorum quandoq;, ſub titulo libri ſapientiæ, non attendens librum eum ſingulariter ſapientię titulatum. Sed generali nomini ſapientię tribuens lectionem illam. Sic Pſalmos decantat, Pſalmiſtę videlicet cuiuſuis ſancti prophetæ ita intelligentis rem illam, vti continetur in Pſalmo quem cantat. Quamuis Dauid quantum ad partem illam aliter ſe habentem, non ita ſcriptum reliquerit. Et hec quantum

attinet

attinet ad ſecundum argumentum dixiſſe ſufficiat. Nam cætera, iam diximus, quod videlicet editio vulgata quæ cantatur in Pſalmis, non eſt Hieronymi.

Ad Tertium Argumentum nunc dicendũ eſt. Quandoq; accidiſſe editioni Hieronymianę, quod olim contigerat editioni Septuaginta, vt ſciolus quiſpiam immutarit in tranſſcribẽdo, quod ſibi videbatur per imperitiam, male cohęrere. quãdoq; vt lucidior fieret textus, inſertæ ſunt interlineares adnotationes, aut declarationes: & poſitę quidem loco obſcurarum dictionum. quandoq; verbo Hebraico ancipiti, aut latino, facta eſt ab imperitis cuiuſuis dictionis aſſcriptio, vt verbi illius determinaretur multiplicitas. Hæc autem ſic oſtenduntur. Ad.3. Ar.

Primo quantum ad immutationem eorum quæ videbãtur non bene cohærere. Gene. 32. Et addetis. ipſe quoq; ſeruus tuus Iahacob iter noſtrum inſequitur. Dixit enim Placabo eum muneribus. &c. ibi. dixit enim, non eſt de textu Hebraico. vti Gloſa interlinearis dicit, & Toſtado fuſius proſequitur in eo loco. Quamuis & Pagninus ſuę interſeruerit editioni, & in editione noua iuxta Septuagin. habeatur quoq;. Interlinearis. Toſtado.

Item Gene. 34.d. Quibus patratis audacter, dixit Iahacob. Ibi totum hoc: Quibus patratis audacter, non eſt de textu, quod & Lyranus notat eo loco. Sed neq; Pagninus, neq; noua editio iuxta Septuaginta, de hoc meminerunt.

Itē Gen̄. 38. Patiar quod vis ſi dederis mihi arrabonem, ibi patiar quod vis, redundat, nec
Aug. Eug. eſt de textu. uti & Auguſti. Eugubinus notat in Annotationibus ſuis in Pentateuchū. Pagninus inſuper, & noua editio Septuaginta, de hoc nihil. Item Gene. 41. vocauit eum lingua Aegyptiaca. Ibi iſtæ duę dictiōes lingua Aegy-
Caietanus ptiaca, appoſititię ſunt, uti & Caietanns notat in cōmentarijs ſuper Pentateuchum. Sic factum eſt, in loco, de quo argumentum eſt. Gene. 4. Egrediamur foras, appoſitio enim facta eſt à quopiam de editione Samaritana, à Doctoribus citata.

Secundo quantum ad inſertionem declarationum interlinearium, intra textum. Gen̄. 33. propter hoc appellauit nomen loci illius Socchot, id eſt, Tabernacula. Ibi iſtę duæ dictiones id eſt, Tabernacula, non ſunt de textu. De quo Caietanus, & alij ibidem. Item Gen̄. 35. Hoc eſt filius doloris mei, & Filius dextre. Neutrum
Caietanus eſt de textu. Sed appoſititiū eſt. Sic Caietanus.

Sic

Sic Lyranus. Sic Toſtado, & reliqui. Itē Ge. 24. Dimiſerunt ergo illam, & nutricē eius. Aliquę Bibliæ habent & nutricem eius Delboram. Sed Delboram, non eſt de textu. Eſt enim Annotatio interlinearis ſumpta ex cap. 35. Ge. Sic notat Caietanus, & Toſtado, vti & nos in dicto capi. 35. Itē Gene. 39. Qui nequaquam acquieſcens operi nephario, ibi hæ duæ dictiones, operi nephario, redundant, & de interlinearibus inſeruntur. Sic Gene. 13. inſeritur textui. Coram Domino nimis. quum tamen hoc, nō habeatur in textu, vti argumentum adducit Hieronymum ita ſentientem.

Tertio quātum ad aſſcriptionem dictionis pro verbo ancipiti, vel obſcuro, aut pro determinatione obſcuritatis orationis. Gen. 30. Omne habens album aut nigrum, dedit in manu filiorum ſuorum. &c. Sic enim habetur in Hebræo. Omne quod habebat album in ſeipſo & fuluum in arietibus. &c. Pagninus autem ſic. Omne in quo erat candor & omne rufum in pecudibus, & dedit in manu filiorum ſuorum. Editio vero noua iuxta Septuaginta. Et omne fuſcum, quod erat in agnis, & omne quod erat album in ipſis, & dedit per manum filiorum ſuorum, gregem ſingulariter. Itaq; collatis his

interpretationibus, conſtat, ſic debere legi in textu vti diximus. Omne habens album aut nigrum: & nõ ſicut habemus in editione vulgata. Cunctum gregem vnicolorem, id eſt, albi aut nigri velleris, tradidit in manu filiorum ſuorum. Itaq; tranſſcriptor quicunq; primus is fuerit, pro eo quod habebat textus. Omne habens album aut nigrum, poſuit, Cunctum gregem vnicolorem, & addidit inſuper, id eſt, albi aut nigri velleris. putans ſic textum dilucidare, cum potius ſententiam confundat. Agit de

Toſtado. ijs Toſtado copioſe nimis in cõmentarijs ſuper Geneſim. cap. 30. Simile eſt in Nouo teſtamento quoq;, Lucæ. 2. Videamus hoc verbũ quod factum eſt, quod fecit Dominus & oſtendit nobis. Hæ duæ dictiones, fecit, &. non ſunt

Lyranus. in textu, vti Lyranus hoc loco inquit. Sic enim legit, Videamus hoc verbũ quod factum eſt, quod Dominus oſtẽdit nobis. Item Actuũ. 7. Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum, quia neſciunt quid faciunt. Ibi hoc totum, quia neſciunt quid faciunt, non eſt de textu. Sic Ly-

Lyranus. ranus quoq; ibibem ait. Putantes enim tranſſcriptores, elucidare textum, auſi ſunt emulari Hieronymum. At infœliciter. Nanq; Hieronymus ſpiritu ſancto afflatus, doctrinaq; illu-

ſtris,

ſtris, quandoq; ad textus elucidationē ſcripſit quædam ſenſus effulcimenta, feliciter quidem ac dextre. vt Gen. 40. Tria caniſtra farinæ. vbi habetur in Hebraico. Tria caniſtra alba. Iſti vero næoterici, in multis potius confuderunt, quàm iuuerint.

Ad Quartum Argumentum, reſpondendum eſt, ingenuè abnuendo, inueniri inter prophetarum lectiones exploſam in cōmentarijs Hierony. clauſulam aliquam. Imò ſicubi vulgata editio Hieronymi comprobatur. hoc maximè in prophetis conuincitur, ſicut ſupra deductū eſt. Quod ergo adducit argumentū de illa lectione. Quoniam Nazareus vocabitur, quæ nō reperitur Eſaiæ. 11. id iam ſuperius declaratum eſt Annotatione. 9. vbi de editione. 2. Ad. 4. Ar.

Apud Hebræos enim erant notę ſignificantes vocabulum multiplex, quale eſt Hebręum cui reſpōdet flos & Nazareus. Hebræum dico, ſcriptū literis priſcis, quibus Moſes & Eſaias vſi fuerunt, & hoc notat Hieronymus in commentarijs ſuper caput. 11. Eſaię. Cęterum quoniam amplecti non potuit ambas ſignificationes, maluit Septuaginta editionem ſequi, transferens. Et flos de radice eius aſcēdet. Sic ſequutus eſt etiam eos Gene. 33. vbi dicitur,

Quòd emit Iahacob agrum in Sichem. 100. agnis, quum tamen in Hebraico, non agnis, ſed pecunia emptum ſignificetur. Centum videlicet mnas. quomodo Stephanus commemorat Actuum. 7. inquiens. Et tranſlati ſunt in Sichem, & poſiti ſunt in ſepulchro quod emit Arbraham precio argenti, à filijs Emor filij
Aug. Eug. Sichem. Sic enim Eugubinus excuſat Hieronymum. quòd verterit ſicut Septuaginta habebāt ἀμνάς, pro μνᾶς, addita videlicet, α, quæ ex moneta fecit agnas. Fortaſſis quia diues pecoris erat Iahacob, pactam pecuniæ ſummam, agnis tantūdem valentibus dedit in precium agri. Quod non vacat à myſterio ſi quis velit perſcrutari. Dicit autem Eugubinus ibi, eſſe eundem errorem Iiob vltimo, vbi dicitur. Et dederunt ei vnuſquiſq; ouem vnam, & inaurē auream vnam. In Hebraico habetur, nummū vnum, & inaurem auream vnam. Fit enim ibi mentio de iocalibus & nō de gregibus. Quid enim prouenirct Iiob ex agna vel oue tenella? At multum quidem reſarſita fuit iactura: ex donarijs amicorum, ipſi Iiob. Non ergo ἀμνάς, ſed μνᾶς, amna enim agna eſt Gręcis, μνᾶ verò pondus monetæ valoris multi. Sic Eugubi. Ego verò mihi ſubolere videor, Diuum Hierony

mum

mum hoc non ignoraſſe. Sed prudenter in Septuaginta editionem conſentiſſe vt myſteriū quoddam ibi ſignatum ſeruaret inquiſitoribus. ſubſidium videlicet factum, ad inopiam hominis tollendam in maximas diuitias, quū mna valoris eſſet pro vniuſcuiuſqꝫ oblatione, fuiſſe tamen in gregibus agnarum ouium nouellarum, quod non vacat à myſterio.

Habetur igitur ſatis abunde, quibus reſpōdi poſſit Lyrano, in hoc loco. Geñ. 33. vellicāti Hierony. de interpretatione. 100. agnarū. Quo niam autem ſemel in hunc locū incidimus, de agro videlicet empto ab Abraham, Stephano: Moyſi verò ab Iacob. Geñ. 33. & Ioſue vltimo.

Sciendum obiter Eugubinū ſentire in Annota. ſuper Gene. literam Actuū ſic legendam vt non Abraham, ſed Iahacob agrūm emiſſe narret. Itaqꝫ autumatur corruptè pro Iahacob legi Abraham. Beda tamen exponens Actus in hoc loco, ait. Duas hyſtorias confundit, & alterā alteri implicat. Non enim à filijs Emor filij Sichem emit Abraham, ſed Iacob à filijs emit Sichem. Cæterum quòd aliter in aliquibus clauſulis legatur in commentarijs Hieronymi ſuper Eſaiam, quàm in editione noſtra habeamus, vti Eſaiç. 1. vt ambularetis in atrijs

Aug. Eug.

Beda.

meis,vbi Hiero. habet calcare atrium meū nō apponetis.Et eodem cap.nos habemus. Facti eſtis mihi moleſti. Hiero.verò, facti eſtis mihi in ſatietatem. Item ibi, eritis velut quercus. Hieronymus velut terebinthus. Item Eſa.5. Plantauit vineam electam. Hierony. vineam ſorek,& ſimilia quędam minutula,nō eſt quod ſcrupulū moueat.Nam in cōmētarijs,nō egre fert ita legi ac nos habemus, quamuis quandoque notet ſignificantius aliter poſſe dici.Et fortaſſis ſciolus quiſpiam de antiqua lectione tranſſcripſit in Hieronymi hanc editionem putans ſic aptius legere.

Ad Quintum Argumentum & vltimum pro Paulo Foroſempronienſi,reſpondendum eſt. Quòd licet Hieronymus deferat nomini Domini quadrilitero,tamen in Latino ſermone, nulla vox eſt quæ reſpōdeat aut reſpōdere poſſit illi nomini. Sicquamuis in Hebraico obſeruentur nomina diuina. vt appoſitiſſime, iuxta opera Domini in litera textus Hebraici narrata,proprijs nominibus diuerſis nominetur Deus: quandoq; videlicet nomine.4. literarū in opere maieſtatem diuinam proteſtante: quandoq; nomine importante fortitudinē, quum ſalus narratur à Deo alicui proueniēs:

& ſalu-

& ſalus quidem ab ineuitabili aliàs periculo: quãdoq; noïe nominatur Deus importãte iuſtitiam, quũ exequutio narratur alicuius inflictæ pœnæ, & ſimilia, quæ longum eſſet enarrare. De quibus cõmentaria Caietani conſulenda ſunt ijs qui Hebraica non nouerunt. tamen in Latino ſermone, prçter has duas dictiones. Dominus, Deus, non ſunt quæ poſſint reddere nomina Dei, decem illa potiora, de quibus tam latè Hebræi diſſerũt. Quin & quãdo reddunt, çquiuoce reddunt. nam nõ ita appropriatè Deum ſignificant, quòd ad homines non deflectantur. Siquidem & Reges dominos dicimus, & in Euãgelio, Seruator noſter obiecit Iudçis Deos vocari prophetas. Quam çquiuocationem recte intellexit Ioſephus Iudçus, non moratus Cæſarem Dominum vocare, vti multa millia Iudæorũ propter hoc ipſum ceſa, de quo Ioſephus lib. de bello Iudaico. 7. ca. 29. Ioan 10.

IAM NVNC ad Pagnini argumenta veniendũ eſt, quibus in ſuſpicionẽ venit hanc non eſſe Hieronymi vulgatam editionem. Ad primum igitur de inuerſione multiplici, dicendum, ſicut ad tertium præcedens argumentũ dictum eſt, pleraq; ex audacula imperitorum temeritate, immutata. Quomodo autẽ nega- Reſponſio ad argu. Pagnini.

ctionem pro affirmatiõe habeamus Geñ.8. vbi de Coruo, mihi certè mirum eſt, & nõ eſt meũ diffinire. Dicam autẽ id quod ſuſpicatus ſum multoties quum hęrerem ſępius de re iſta cogitans. Propoſui autem idipſum coram Reuerendiſſimo Cardinali Grimano, ac Domino Alberto Epiſcopo eius familiari Romę, anno Domini. 1540. aſtante Illuſtriſſimo Reuerẽdiſſimo Cardinali Henrico à Borgia. Id autẽ eſt huiuſmodi. Moſes narraturus Noah experimenta quæ fecit ad ſciendum vtrum aquæ iam eſſent imminutæ, vtrumq́ terra eſſet habitabilis, dicit, primum coruum emiſſum, qui tamẽnihil pręſtitit eius expectationi, ſed oportuit mitti columbam, certam renuncians poſt coniecturam, ominebono portans in ore ramum oliuæ. Quum ergo tractet Moſes priorem corui emiſſionem, ſic ait. Egrediebatur & reuertebatur, donec ſiccarentur aquę ſuper terram. Innuere volens, Coruũ animal ſagax, callidumq́, nolens in diſcrimẽ incidere, nõ longè ab Arcæ feneſtra auolaſſe per quam emittebat ipſum Noah. Quin circum feneſtram volitans, quoties emitteretur, ab eo loco non diſcedebat. Sicq́ ſcripſit vti dictum eſt, ponens Hebraicum.lo.cum vau, affirmatiue. At (quicunq́

fuerit

fuerit primus huius mutationis autor) putans debere eſſe.lo.cum aleph.negatiuè, ita intellectum textus viſus eſt ſibi declaraſſe. videlicet vt legentes, egrediebatur & nõ reuertebatur, intelligamus, egreſſum illum non fuiſſe tam diſtantem, vt habere regreſſum intelligatur, quando redibat coruus ad feneſtram.

Non autem, quòd ſic intelligamus auolaſſe coruum, vt amplius viſus nõ fuerit ipſi Noe, cadaueribus inſidens mortuorũ, corruptisq́ corporibus, vti & laici fabulantur. Sed quòd nomen regreſſus, præexigat peragrati itineris ac remenſi diſtantiam, quæ in actu illo corui à Noe abacti & ei non parentis, non fuit: vnde nec potuit dici egredi & regredi. Sed egredi & non regredi, ſed non recedere. Igitur ſic concinnare viſus eſt, vt ſenſum illuſtraret. quum tamen experiamur nos, in hac parte ancipitia iudicia reddidiſſe. Ecce quid mihi diuinare cõtigit. Si tamen hoc verum fuerit. Quod maiorum eſto iudicium, patrumq́ ſanctorum in Eccleſia ſancta Dei, quorũ eſt hęc librare, penſataq́ decidere, iudicio ſummi Maximiq́ Pontificis. Dictum eſt autem ſupra, quandoq́ textum affirmatiuè & negatiuè poſſe legi ſenſu principali non variato.

Ad

Ad.2.Ar. Ad ſecundum argumentum iam ſatisfactū eſt, ex his quæ ad Argumentum tertium pro Foroſemproniēſi epiſcopo dicta ſunt. In hoc enim vel maximè conſtat illa ſolutio argumēti.quòd in Michea inuenitur temeratum. Vbi notatio interlinearis, inſerta reperitur textui, exploſa dictione gemina. Videlicet vti Hieronymus expūcta Hebraica iſta dictione Aphra quę proprium nomē eſt cuiuſdam villulę nūc, olim ciuitatis tribus Beniamin.Ioſue.18.poſuerat ſignificatū eius, dicēs. In domo pulueris puluere vos conſpergite, quemadmodū ipſemet in cōmentarijs ſuper locum iſtum, inextricabilem lectionem expoſiturus, implorat gratiam ſpiritus ſancti, ad reddendum proprium prophetię intellectum. Ita quoq; ſciolus quiſquis voluit facere in conſequenti lectione: videlicet expuncta dictione Saphir, quam Hieronymus poſuit, & in textu ſuę editionis, & in cōmentarijs, reddens rationē ethymologię eius, quæ dicitur pulchra, inſeruit hanc interpretationem textui. Similiter fecit in.3. loco adducto in argumentum lectionis conſequentis in Michea. Poſuit enim pro dictione Sennan, quę nomen proprium eſt, interpretationē eius, videlicet, in exitu. Sic enim Hieronymus ait in

eius

eius loci commentarijs, interpretari ſennan; id eſt, exitum. Per hæc igitur, patet quomodo in Michea Hierony. propter lectionis difficilem explicationem, quandoque ad ſenſum tradu xit, quãdoque propter hoc ipſum fecerũt ſcioli temeratores ſuas quas exiſtimabãt illuſtratio nes, inſerentes textui dictionũ quas expungebant interpretationes.

Operepretium autem fuerit audire Hieronymum in cõmentarijs ſuper locum iſtum. ait enim. In Geth nolite annunciare, lachrymis, &c. Multum Hebraicũ à Septuaginta diſcordat interpretatione: & tantis, tam mea quàm illorum translatio difficultatibus inuoluta eſt: vt ſi quando indiguimus ſpiritu Dei: ſemper autem in exponendis ſanctis ſcripturis illius indigemus aduentu, nunc vel maximè eum adeſſe cupiamus, & quę in prophetis loquutus eſt, pandere, vt & nobis quoque poſſit intelligi, quod ipſe alibi polliceri dignatur. Aperi os tuum & implebo illud. &c.

Ad Tertium nũc Pagnini motiuum, dicendum verum quidem eſſe, multas innumerabilesque mendas (quantum attinet ad Ortographiam) inueniri in Biblijs vulgatis, quæ indies magis ac magis repurgantur, reſtitutis *Ad. 3. princip.*

ſuis

ſuis characteribus iam nominibus proprijs, alijsq́ id genus dictionibus, beneficio bonarum literarū. Sicut enim per imperitiam artis Grammatices, indocti tranſcriptores maculauerunt Sanctum Bibliorum opus, improprijs characteribus dictiones tranſferibentes, vnde neceſſe erat conſequenter quandoq; vocabulorum ſignificationes immutari: quo fortè factum eſt, vt codicillus ille, qui ad finem Bibliæ poni cōſueuerat, creuerit in immenſum opus: dum Hebraicorum notans interpretationes quandoque vni dictioni Hebraicę ſubſcribat quatuor & quinque, ac ſi Deo placet & ſex & ſeptem ſignificationes, quum tamen reuera, ſuis characteribus ſcriptæ dictioni Hebraicæ, non tot reſpōdeant ſignificationes. Ita quoq; nunc fit vt adhibita bonarum literarū peritia, linguarū quoq; cognitione, terſum polytumq́ prodeat genuino ſplendore illuſtratū ſanctum opus Bibliorū, ex Frobeniana, Amorbachia, Pariſiacaq; officina Petri Regnault, Roberti Stephani, ac ſimilium calcographorum non ſatis laudatorum.

Illud autem quod argumentum adducit ex 1. Paralip. 4. de lectione illa narrante ſolis ſtationem, non eſt quod improbari debeat. Nam & Hiero-

Hieronymus ipſe, idipſum quod Lyranus refert in traditionib⁹ Hebraicis ſuper Paralipomenon. Quod ſi alij translatores ſequuti ſunt potius verba, quàm ſenſum, hoc non obeſt Hieronymo tradenti ſenſum profundum in ſuperficiem.

Similiter dicẽdum ad illud. 1. Paralip. 15. Super Halamoth. quod Hierony. vertit arcana. Nam ad ſenſum reſpiciens vnico verbulo ſignauit quæ in illo muſico inſtrumento Halamoth, deſignabantur. Sicut enim apud nos in Eccleſia ſancta, cõpoſitio illa quæ pneuma dicitur, in principibus ſolemnitatibus feſtiuis cantatur, & ſic pedibus certis, certisq́ conſonantijs cõpoſita eſt, vt videatur autorẽ eius nullum inueniſſe modum ſuæ narrationi aptum, quum omnes tentarit, quo ſignificantiſſimè notantur beneficentia diuinæ miſerationis in donis quæ nobis dedit, ſimul & gloria illa perennis, quæ inenarrabilis eſt. Ita apud Iudæos erant inſtrumenta muſica, diuerſis inſtituta ſignificationibus, inter quæ Halamoth ad arcana fidei, Meſſiahq́ expectationi pertinentia.

Ad vltimũ autem ſcrupulum Pagnini dicendũ. quod ſupra iam dictũ eſt ex Aug. Eug. qui abunde huic obiectioni reſpondet, ſpeciali tractatu Ad. 4 Ar.

tractatu

tractatu de hac materia, v trũ vulgata editio ſit Hiero. Sequutus eſt eñ diuus Hiero. ſenſum potius quàm verba. Sicq́ trãſtulit lucidiſſimè. Quòd licet ipſe Hiero. (vt Pagnin⁹ quoq́ refert) dicat, in pleriſq́ locis aliter legendũ q̃ in codicib⁹ vulgatis cõtineatur, aliterq́ exponat q̃ habeatur in editiõe vulgata, intelligendũ eſt hoc de expoſitione quã fecit ſup. editionẽ Septuag. quã ad Bleſillam cõmentatus fuit, in Eccleſiaſte: vti Eugub. copioſe diſſerit in prędicto tractatu. Quòd autẽ verbũ anceps & ad duas ſignificationes accõmodũ ſumpſerit in editione pro vno, & in cõmentarijs ſiue expoſitione pro alio ſignificatu, quid mirũ? Diximus autẽ iam de hoc ſup. vti Bar, ſignificat filiũ, ſicut ibi Bariona, id eſt, filius iona. Barptolomę⁹, id eſt, filius ptolomei, Barchineus, Barabbas. &c. ſignificat etiã triticũ, ac ſpicarũ faſciculũ, & electum & purũ. Sic ipſemet Hierony. reſpõdens Ruffino, dicit ſe tranſtuliſſe illud Pſal. 2. Adorate purè, quum tamen in exponendo Pſalmũ dixerit, Adorate filiũ. Et hæc de iſta quęſtione ſufficiant. Deo Opt. Max. laus honor & gloria. Amen.

Aug. Eug.

Decimæ & ultimæ Annotationis finis.

1-7-1-1

Digitized by Google